TRACTATUS
DE REGULIS
MORUM.

TRACTATUS
DE REGULIS MORUM

Adhærendo S. Scripturæ auctoritati, Sacris Canonibus, Pontificum Decretis, SS. Patrum doctrinæ, præsertim S. Ecclesiæ Luminum D. Augustini, & D. Thomæ, & etiam fundamentis à ratione.

IN DUAS PARTES DIVISUS;

In prima agitur de prima, & secunda regula morali; de Conscientia in communi, de Conscientia recta, erronea, & dubia: In secunda de Conscientia probabili: de qua fusiùs diseritur.

SANCTISSIMÆ GENITRICIS DEI

SANCTISS. SPONSO

DICATUS

PER FR. CHRISTOPHORUM A S. JOSEPH

Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, quondam Sacræ Theologiæ Lectorem, Collegij Salmanticensis Rectorem, Provinciæ Castellæ veteris Provincialem, nunc Procuratorem Generalem in Curia Romana pro Congregatione Hispaniarum.



ROMÆ MDCCXI.

Typis Jo: Francisci Chracas, propè S. MARCUM in viâ Cursus.

SUPERIORUM FACULTATE.

Æterni Dei, æternique Patris Filij

NUTRITIO
FIDELISSIMO,

Et in munus Patris cœlitus deſtinato: Sanctiſſimæ Dei Genitricis Sanctiſſimo Sponſo Digniſſimo: Domus Dei Domino, & Principi omnis poſſeſſionis ſuę conſtituto: Singulari Ordinis Carmelitarum Diſcalceatorum Protectori, & Patrono Pijſſimo.

Servulorum Suorum minimus Fr. Chriſtophorus à S. Joſeph.

O. D. C.

QUAMVIS prælo ſcripta committentibus contingere ſoleat dubia diù cogitatione diſtrahi, cuinam potiſſimum ſint inſcribenda: mihi tamen hæſitationis genus nullum fuit. Vix enim, ò PATRIARCHA SANCTISSIME, mens hoc opuſculum excogitarat, cum illa ſtatim tacita quadam veneratione ſuſpenſa certó illud tibi deberi novit. Etenim triplex motivum in Protectoris ſelectione ſolet

let

let attendi: vèl ejus Sublimitas, & Dignitatis præſtantia, veluti quod ſit Princeps, Rex, aut Monarcha: vel quia ab illo plurima, & maxima habet accepta beneficia, quibus ſe dedicans deviҫtum fatetur, aut accipienda ſperat, vel devotio, atque veneratio maxima, qua erga illum eſt valde affectus.In quo igitur mirificè,& ſublimius cunctæ hujuſmodi qualitates colligatæ inveniuntur, ac in Te, qui es Cœlitum Decus? ut in Te, qui es noſtræ certa ſpes vitæ? ut in Te, qui es columen Mundi: ſic te hilariter cuncti reſonant Chriſtianorum chori. (*Hymn. Officij*)

Cœlitum JOSEPH *Decus, atque noſtræ,*
Certa ſpes vitæ, columenque Mundi, &c

I. Si igitur excellentia, & Dignitas intendatur, quis non miratur? quis non ſtupeſcit admirandam potius, quam commendandam tuam ſublimitatem? tuam præclaram inter Sanctos ſingularitatem, tuam penè incomparabilem Dignitatem;ad cujus magnitudinem,quaſi taciturni ſtupent Cœlites, & militantis Eccleſiæ filij? De Te enim accipitur illud Pſalmograſi, in quo Rex ſæculorum de Te loquens ait: *Conſtituit eum Dominum Domus ſuæ, & Principem omnis poſſeſſionis ſuæ.* Sed de qua Domo? De qua poſſeſſione ſic tam ſublimiter Te Pater æternus conſtituit, niſi de illa ſacratiſſima Familia, de illa ineffabili, & incompræhenſibili poſſeſſione Unigeniti ſui, & Matris ejus Sanctiſſimæ? Et quid tibi tradidit Divinus Pater, dum ſuum tradidit filium, in quo ſunt omnes Theſauri? Dedit Tibi Pulcherrimam ſuæ bonitatis Imaginem: Dedit Tibi ſuæ figuræ ſubſtantiam: Dedit Tibi virtutis ſuæ dexteram: Dedit Angularem triumphantem Solymæ

lapi-

lapidem, Dedit suæ Coronæ gloriam: Dedit denique (ut loquar cum Clemente Alexandrino) suæ animam essentiæ, sine qua non potest vivere vitæ principium.

Hinc Te Divinæ possessionis Principem constitutum (*Genes.* 27. 9.) non adumbratus in radiosa solis effigie Genitor, non figurata in candente Luna Genitrix, non delineatus in Planetarum radijs subditorum fratrum cumulus adorabant, sed obsequens Sol Justitiæ, ut primum suo Auroræ suæ Thalamo egrediebatur, in splendoribus Sanctorum, Te reverebatur, ut servulus Dominum: Te intuebatur, ut adoptivus nutritium. Te implorabat, ut suum pupilus Præpositum: Te respiciebat, ut suum cliens causidicum: Tibi se profitebatur filium, & subditum, & in laboribus se famulum exhibebat. Hanc profundissimam Omnipotentis subiectionem; Hanc sublimissimam præsidentis JOSEPHI exaltationem nescivit capere Victorinus Hugo: & quam non poterat compræhendere Regis Gloriæ subiectjonem, stupebat in Te sublimitatem: Unde sola contentus exclamatione attonitus intonuit: O *quanta est Dignitas hominis filium habere Deum*! O *quanta est humilitas Omnipotentis habere hominem Patrem*! Concinit Præsul præclarissimus Florentinus: (*S. Antonin. par. 4. tit. 15. cap. 8. de Annuntiation.*) *Conjice tantum quis, & quantus fuerit ille* JOSEPH, *qui sublimatus est hominum reverentia, & Divina, ut putabatur Paternitate.*

Verùm quid dicendum de alia possessionis parte, cujus es Princeps constitutus? Non suo existit deformis Soli sola Pulchra ut luna, sine originalis nævi macula Immaculata MARIA. Hæc te suum respiciens

coniugem, suæ sublimitatis agnoscebat verticem: Te suæ conversationis honorabat Præsidem; suæ indemnitatis colebat Protectorem. Quanta in te crevit inexcogitabilis Magnitudo ex hac sublimissima possessione, stupescit Orbis. Sublimitatem Virginis Matris in Sanctitate, Dignitate, & omnis generis excellentia humanus nequit capere intellectus: Illius enim aliquid indicare, non aliud nisi obscurare. Tantæ ergo sublimitati aptavit omnipotens aliam simillimam: Te elegit Reginæ Cœli Sponsum plane dignum, & qui similitudinem gereres. Pardus enim Agno non coniungitur. Regalis Aquila cæcutienti Noctuæ non copulatur. Ideo merito scripsit Senensis Bernardinus: (*S. Bernardin. tom. 3. Serm. de S. Joseph artic. 2. cap. 1.*) *Quomodo cogitare potest mens discreta, quod Spiritus Sanctus tanta unione coniugij, scilicet, uniret menti tantæ Virginis aliquam animam, nisi ei operatione virtutum simillimam.* Idcircò consequenter Bernardinus de Bustos, & alij cum Parisiensi Cancellario asserunt: (*Bernardin. de Bust. Serm. de Nativit. Virg. Carthag. tom. 1. de B. Virgine lib. 4.*) Nullum Te esse majorem post Virginem benedictam. Ipsam Virginem Matrem Reginam per anthonomasiam nuncupamus: & cujus Imperij? (*Apocal. 19. 16.*) Rex Regum, & Dominus Dominantium habet Verbum Dei in vestimento, & in femore suo scriptum: hoc illi competit per essentiam: at id ipsum per participationem convenit Verbi ipsius Genitrici. Ipsa est enim Regina Regum, & Domina Dominantium. Nunquid ergo hoc ipsum Tibi competit, o inter homines felicissime? Ita planè. Etenim jure civili à Divino emanato cavetur: (*l. Fæminæ ff. de Senatoribus. l.*

Mu-

Mulieres C. dignitatibus lib. 12.) Ut coniuges ad invicem participent Dignitatum, & honorum ſplendores: Eadem decorantur titulorum claritate. Eadem ornantur corona, & Gloria: Eadem ipſis appropiantur præconia, omnia denique ipſis ſunt communia. (*l.* 9. *tit.* 2. *partita.* 2.) Quæ omnia in coniugibus Regijs, Hiſpanica lex partitarum expræſſit. Dum ergo, o feliciſſime! ſecreto Sanctiſſimæ TRINITATIS calculo, & publico columbæ, & florentis virgæ miraculo ſolus præ cæteris in Empireæ Imperatricis coniugem deſtinaris, quid hac dignitate ſublimius? Quis talem valet Prærogativam excellentius inter creaturas optimus participare? Quis minorem excellentiarum tuarum partem inveſtigare poterit? Hoc potius eſt devotæ mentis cogitationi, & ſilentio commendandum. Quodnam ergo munus tantæ majeſtati offerri, dicari,& conſecrari deberet?Sed quo tua ſublimior majeſtas, eo præſtantior tua benignitas; quæ pauperrimum munuſculum non deſpiciet: quod tibi lætus offero, benigne ſuſcipe Donum.

II. At licet dixerim offero, potius à me eſt proferendum: Debitum ſolvo. Marmoreum Memnomis Coloſſum ad primum orientis Phæbi aſpectum in uberrimam ſuſcepti favoris manifeſtationem diſtillare finxit antiquitas: ut venuſtiſſimam gratæ mentis imaginem delinearet, & ut expuriam deteſtandæ ingratitudinis faciem condemnaret. Non igitur poteſt Religioſa veritas, Carmeli Reformati Familia, THERESIÆ gratiſſimæ ſoboles, & in ipſa ego minimus, & indignus in recognoſcenda tuorum beneficiorum multitudine conticeſcere. Quomodo in memoriam verbis, operibuſque poteſt perennem tui influxus providentiam non

revocare? Sanè ſine ſuimet injuria non poterit: Eſſet enim ſibi ipſi injurioſa. Cum ab Eterno decreviſſet Chriſtus Dominus hanc Carmeli renovati Familiam tempore THERESIÆ, & per ipſam erigere, inter alia ipſi Matri Sanctiſſimæ conſuluit, immo præcepit, ut Te refloreſcentis Carmeli ſeligeret Præſidem; & in hujus Paradiſi Protectorem, validiſſimumque Defenſorem inſcriberet: Idipſumque ei ſuaſſit ejuſdem Incarnati Verbi Clementiſſima Parens, Primus Carmeli Decor, Mater, & tutelaris: Ut ipſa Portentoſa Reſtauratrix in ſuæ libro vitæ narrat. (*S. Thereſ. lib. ſuæ vitæ cap. 22. & 23.*) Ita ipſa complevit, ita conſtituit, ut nedum in generali, ſed in particulari cujuſlibet cœnobij, ſeu Paradiſi eſſes flamiger Angelus. O quantum præſidium, quam magnum incrementum ex hac electione ſapientiſſima Ordini dimanavit! Quid enim in Te Protectore pijſſimo Excalceati Carmeli filij habemus? Sed quid potius non habemus? Habemus in Te ſanè greſſuum noſtrorum Indicem: Habemus in Te noſtrorum inceſſuum comitem, arboris noſtræ ſtipitem, termini noſtri limitem, noſtræ tranquillitatis Iridem, noſtræ ſecuritatis obſidem, noſtræ indemnitatis cardinem, noſtrorumque fluviorum ſcaturiginem. Omnia igitur ſi quæ bona, ſi quæ recta, ſi quæ virtutum, & perfectionis aſſidua exercitatio: totum uni largitoris magnificentiæ debemus, & adſcribimus.

III. Quapropter ſi Carmeli ſoboles tot à Te beneficiis ſe profitetur cumulatam, Tot pignoribus, Tot favoribus, & clementiſſima Tuæ Protectionis providentia devictam: quid efficiet obligatior cæteris filia, Paterni cordis amaſia, niſi Te totis cordium medullis, Totis præcordiorum affectibus, & votis

om-

omnibus venerari, atque laudare: Tibi obsequiis perennibus gratitudinem nostram ostendere? Hoc nos verbo, & opere docuit tua erga Te obsequentissima filia, & Mater nostra, quæ licet debitum grati animi nequiret exsolvere, saltem affectuosum Æternaturæ obligationis indicium exhibere curavit. Te omnium ferè Conventuum, quos mirabiliter construxit, Protectorem destinavit: atque suasit, ut saltem in quolibet suorum Cœnobiorum limine Tui immago collocaretur. Hæc ipsa gratitudo illustrem æternæ Veritatis Discipulam, & celeberrimam Christiani Orbis Magistram illas saluberrimi axiomatis fecit articulare voces: (*cap. 6. suæ vitæ*) *Alijs Sanctis videtur à Domino esse concessum in aliquibus specialibus necessitatibus patrocinari: huic autem Sancto datum est, ut me experientia docet, in omnibus opitullari..... Vellem* (meditemini precor mysteria, scrutemini solamina, contemplemini omnes vèstræ felicitatis rudimenta.) *Vellem libenter erga gloriosum hunc Sanctum ommibus suadere devotionem, ob magnam experientiam, quam habeo bonorum, quæ à Deo obtinet.*

Ad imitationem igitur tuæ obsequentissimæ filiæ, & Seraphicæ Matris Nostrę, quę ad januam suorum Cœnobiorum Tuam collocabat Imaginem, curavi ad hujus operis januam Tuam sculpere venerandam Imaginem, Tui suspendere insignia. In tuis fælicissimis brachijs requiescit ipsamet recta via, ipsa veritas, & ipsa vita. O utinam qui januam hanc studendi causa adierint, mentis aciem in ipsam æternam veritatem, & in te dirigant, ut veræ sapientiæ lucem, & viam veritatis plenius mutuentur, & Deo (cujus gloriam intendimus) affluentius placeant. Ita petimus, ita præstolamur, confiden-

tes quod in casum non ibit votum. Patere ergo, o Pijssime PATRIARCHA in ipsa operis fronte evocari. Suscipe igitur tua fronte benigna: Suscipe oculis tuis pijssimis hoc qualecumque munusculum, quod quanta possum animi demissione offero, ratus tui præsidio Deo gratum, hominibusque utile futurum, & mihi non infructiferum Te Oranti, ut tua utendo solita confidentia, qua nihil à Deo postulas, quod pro voto non impetres, ab eodem obtineas, ut me servum tuum indignum in vita, & morte protegas: ut sic ad totius TRINITATIS, & Beatissimæ Virginis Tuæ Sponsæ, ac Tui gloriam perveniam. Amen.

Servus tuus indignus
Fr. Christophorus à S. Joseph Carmel. Excalc.

PRÆ-

PRÆFATIO AD LECTOREM

Sincerum veritatis amatorem.

Fateor plures, & Doctissimos Viros his maximè temporibus super materia, de qua in præsenti sermo habetur, Libros, seu Tractatus omni sapientia, eruditione, omnisque generis fundamentis refectos pro vera doctrina propugnanda scripsisse, & in magnam animarum utilitatem in lucem fæliciter edidisse. Quare non videbatur necessarium, immo videbatur superfluum me hoc labore vexari. Præsertim cum illi quasi Gigantes in re litteraria emmineant, quibus ego comparatus quasi Pigmeus apparebo. Nihilominus licet audax videar, & inveniar, nonnulla me ad hanc Opellam, & si imperfectam, excitavere.

I. *Mihi aliqualiter adaptavi illa Ecclesiastici verba*: (Eccli. 13. 26.) Et ego novissimus evigilavi, & quasi qui colligit accinos post vindemiatores. In benedictione Dei, & ipse speravi, & quasi qui vindemiat, implevi torcular. *Nequaquam mihi venit in mentem me illis sapientibus æquare; Sed illos mihi plane antepono. Illi enim fuerunt quasi vindemiatores, qui uberem sapientiæ doctrinam, quasi plenam ubarum vindemiam in Ecclesiam intulerunt. Ego vero me quasi racematorem esse censeo, qui post vindemiam accinos pauculos relictos scrutatur, & colligit. Pari modo doctrinam à prædictis sapientibus, & scriptoribus accepi. Sed plura ab eisdem relicta addere curavi. Nemo enim licet sapientissimus omnia undequaque colligit, quin plura invenienda, & addenda relinquat.*

II. *Me etiam non parum excitavit, videns, & audiens qualiter non pauci Zelum habentes secundum scientiam circa modum dirigendi animas per viam salutis mirabantur, & notabant; quomodo Camelus renovatus (præsertim Hispanus) cujus alumni vitam adeo strictam profitentur, & opere complent, scriptis suis ex professo non exurgebant, & militabant contra modernum Probabilismum, qui longè, lateque suos ramos extenderit in non exiguam animarum perniciem. Cum alioqui Summi Ecclesiæ Pastores ejus viam latam coercuissent; & ex omnibus fere Religionibus, Academiis, & aliis Viris Doctissimis libri plures prodiissent tamquam firma propugnacula in doctrinæ tutæ defensionem. Quomodo, ajebant, Zelus Elianus non eximit gladium contra doctrinam claudicantem in duas partes? Quid enim docet Probabilismus in quæstione, an hoc sit peccatum? Nunc dicit*: sic, *nunc ait*: non. *Immo simul sentit, & dicit*: sic, & non. *Cæterum non defuit ex Nostra Excalceata Familia, qui fortiter, & efficaciter Probabilismum repræserit, nimirum R. P. Fr. Carolus ab Assumptione ex Provincia Flandriæ sub nomine Philaleti Eupistini, qui Tractatum eruditum composuit de hac materia in defensionem sententiæ moderatæ paulo post Decretum Alexandri VII. Et etiam alii Scriptores nostri, licet non ex professo, doctrinam tamen contrariam Probabilismo tradiderunt*: (Salmant. & Compluten. infra à n. 557. tot. art. 2. & 3. & à n. 669.) *Præcipue Salmanticenses, & Complutenses, qui principia perspicua, quibus modernus Probabilismus combellatur, statuerunt.* (S. Ther. & B. Joan. à Cruce inf. à n. 518. & 523.) *Et quod majoris ponderis est Seraphica Magistra Nostra, & ejus Scholiastes, & etiam B. P. N. Ioannes à Cruce doctrinam Probabilismo contrariam expresse docuerunt, ut infra apparebit.*

III. *Quis etenim non excitatur ad reprimendam plurium doctrinam Theologorum, qui in hac re indulgentiores in id unum incumbere visi sunt, ut viam salutis dilatarent, quasi possent suis discursibus opinabilibus Divinæ Legis terminos transferre; cum potius satagere debuissent, ne homines ab angusta porta, & arcta via, quæ ducit ad vitam, advocarent ad latam, & spatiosam, quæ ducit ad perditionem: ex quo motivo Alex. VII. & Innoc. XI. huic tanto malo medelam adhibere curarunt. Etenim magna pars Auctorum*

rum Theologiæ Moralis in eo versari videtur, non ut mores nostri ad Deum dirigantur; sed ut excogitentur, atque ostendantur viæ, quibus rebus fruamur creatis absque formidine Deum offendendi. Cujus mali non alia super esse videtur medela, nisi tradere regulas, & principia generalia, quibus veritas inquiratur, & Divina lex vere adimpleatur. Nam ut Doct. Angel. docet: (D. Th. q. 3. de malo art. 17. in corp. in fine.) Ille gravissime ignorat, & periculosissime, qui errat circa principa priora. Ille autem qui errat tantum circa conclusiones, potest reduci per principia, in quibus non errat: *Aristoteles etiam aliam assignat causam*; (Arist. de Cœlo, & Mundo textu 33.) Quia principium virtute majus, quam magnitudine. Quippe quod in principio modicum, in fine fit multum magnum. *Minus itaque malum est in multis quæstionibus particularibus errare, quam in uno principio: nam ex hujus falsitate possunt innumerabiles conclusiones falsæ dimanare. Ideo curavi, quantum potui, Regulas, & Principia generalia morum ad rectè conscientias regendas in hoc opere tradere.*

Præterea animadvertendum censeo, quod dum disputo in sententiam benignam, & ex ea, vel ejus principiis aliquas sequelas absurdas, aut inconvenientia gravia deduco, ut ipsam benignam sententiam deducam esse falsam, non hoc debet jure reprehendi. Alioquin argumentum ab absurdo, vel impossibili in Sac. Theologia valde frequens oportebit de medio tollere. Nonne Probabilistæ, vel modestissimi passim de nostra affirmant sententia, & suadere nituntur eam Divinas leges reddere observatu impossibiles; Iugum Christi importabile, Sacramenta frustranda, Cœli januam imperviã, & his similia; quibus nihil absurdius? Et tamen propterea nemo eos reprehensione dignos de isto argumentandi modo pronunciat.

Si dicat aliquis, quem fructum ex hoc labore colligendum expectas? Quem Deus dederit. (1. Cor. cap. 3. Ps. 53.) Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus. Et enim Dominus (*si illi placuerit*) dabit benignitatem; & terra nostra dabit fructum suum. *Solum unius animæ profectus proveniens ex recta doctrina morum, qua diligenter inquirat, & adimpleat Divinam voluntatem, lucrum ingens cunctorum est laborum. Mea intentio in hoc opere scribendo præcipue fuit pro junioribus Scholas, seu studium professuris, ut antequam doctrina non tuta praoccupentur, tutam in se instar ceræ non signatæ imprimere possint. Nam ut ait D. Greg. Nazianz.* Minoris est negotii rudi animæ veritatem primum instar ceræ non dum signatæ imprimere, quam super litteras, hoc est pravas doctrinas, & dogmata, pium sermonem scribere.

Bea-

Beatissime Pater.

FR. Christophorus à S. Joseph Procurator Generalis Carmelitarum Excalceatorum Congregationis Hispaniarum in hac Almæ Urbis Curia, ad S. V. pedes humillime provolutus exponit; qualiter ipse aliquarum personarum Zelum habentium secundum scientiam circa modum animas per viam salutis dirigendi, repetitis instantiis coactus librum composuit: *De Regulis Morum*. Quem cum præ manibus habuissent, disposuerunt, ut P. Magistro Sacri Palat. Apost. traderetur. Cui postquam illum fecit à Viris Doctis videri, & examinari, placuit, ipsum Typis dandi licentiam præbere hac expressione: *Imprimatur Romæ hoc eximium opus admodum Rev. Patris Christophori à S. Joseph. Procuratoris Generalis Carmelitarum Discalceatorum: habita tamen licentia suorum Superiorum*. Sed cum his temporibus difficillimum, immo quasi impossibile sit librum ad Hispaniam transmittere, & iterum Romam redire; ipsemet personæ Solicitarunt apud Diffinitorium Generale Ordinis Oratoris, ut dignaretur licentiam requisitam concedere, prout sibi magis placuisset, ut Romæ imprimi posset. Diffinitorium ita respondit: [*Et si veracitatem, & soliditatem libri à Charissimo N. P. Procuratore Generali Romanæ Curiæ elaborati cognovimus, ad quod tot, & tam gravia testimonia sufficiunt; nostri non est, quod typis liber commendetur, quin ad Diffinitoriũ opus accedat; in quo facultatem deficere dispensandi in hac lege (utpote ex 3. p. Const.) in ipso unanimiter sancitum est. Sed tamen, quia Apostolica authoritate leges nostræ fulciuntur, & roborantur, per eamdem possunt dispensari: Ipse D. N. Pontifex protegat si dignabitur, & dispensatione, & dispositione sua imprimatur; & tunc repletum erit gaudio os nostrum, & lingua nostra in gratiarum actione exultabit*. [Quare S. V. humiliter supplicat Orator, ut benigne dignetur dispensare, ut pro hac vice sufficiat Sac. Pal. Apost. Mag. licentia, more solito, ad libri prædicti impressionem. Et pro gratia &c.

EXTRA.

Sanctissimo Domino Nostro CLEMENTI Undecimo.

Per

Procuratorem Generalem Carmelitarum Discalceatorum Congreg. Hispan.

Sanctitas Sua rescripsit: --- *P. Magister Selleri Secretarius Sac. Congr. Indicis informet.*

Et Ego dictus Magister mandato speciali Sanctitatis Suæ fidem facio; quod facta à me informatione: *Sanctissimus annuit, & mandavit, ut petitur.* die 8. Maii 1711.

IM-

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatij Apostolici Magistro.

Dominicus Archiepiscopus Theodosiæ Vicesgerens.

Imprimatur Romæ hoc eximium Opus Admodum Rev.P.Christophori à S.Joseph Procuratoris Gen. Carmelitarum Discalceatorum: Habita tamen licentia suorum Superiorum.

Fr. Paulinus Bernardinius Ordinis Prædicatorum Sacri Palatij Apostolici Magister.

APPROBATIONES.

LIbrum ab Admod. Rev. P. Fr. Christophoro à S.Joseph Ord. Carmelit. Discalceat. elaboratum, quem *de Regulis Morum* appellare placuit, ex commissione Reverendiss. P. Magistri Sacri Palatii Apostolici attentè perlegi; ipsumque Auctoris nomine celebrem, argumenti dignitate perutilem, doctrinæ soliditate egregium deprehendi; nihilque in eo contineri, quòd fidei, aut bonis moribus adversetur; quinimò sanas, in ipso, Morum Regulas ex fidei principiis, Scripturæ Sacræ auctoritatibus, SS.q;Patrum testimoniis Auctor tradere nititur. Quamobrem nil vetat,quin Typis committatur. Romæ S.Mariæ super Minervam die 3.Septembris 1710.

Fr. Thomas Maria Magliulo Ord. Prædic. Sac.Theol.Mag. & Cathedr. Casanat.

EGregium Opus mihi commissum à Reverendiss.P.Fr.Paulino Bernardinio Sac.Pal. Apost. Mag., cujus titulus est: *Tractatus de Regulis Morum, & Auctor R.Admodum P.Fr.Christophorus à S.Joseph Excalceatæ Familiæ B. Mariæ de Monte Carmelo doctissimus Alumnus, olim Salmanticæ Sac.Theologiæ Lector, pluries Prior, veteris Castellæ Provincialis, nunc Romæ pro Congreg. Hispana Procurator Gen.*, attenta mente semel evolvi, & iterum perlegi non minus jucundè, quàm avidè; & volumine brevi, magnam, dignamq; tanti Auctoris doctrinam maturo libratam judicio, solidèque roboratam, & ab involucris expeditam inveni: Nec potest invidia, quæ semper magna scripta venenato dente corrosit, vitium novitatis huic Auctori impingere, non enim sic nova, quæ dicit, quasi ex novis deducta principiis, sed potius sic nova, ut priscis Sanctorum Patrum innixa sint fundamentis: Invenienda ergo inventis non obstant; & ut ait Ang.Præceptor Opusc.19. cap.2. *Quantò Doctores multiplicantur, tantò utilitas communis, quæ ex doctrina provenit, magis crescit, quia uni manifestatur, quod alteri nondum notum est*. Et sanè, ut eruditos non latet, majores nostri, qui nos præcesserunt, Sacræ Paginæ, & SS.Patrum Interpretes, quasi fossionis metallicæ Opifices, venas auri, & argenti aperuerunt, non exhauserunt; Plurà eruit hic Auctor, è quibus fœcundissimum exit Opus, tum illustrium fidei dogmatum veritatibus, tum Conciliorum sanctionibus, tum orthodoxorum Patrum testimoniis; talique cumulo viget sapientiæ, ut meritò dici possit cum Volusiano: *Legi deest, quidquid ab Auctore contigerit ignorari*. In presenti materia, quam in hoc Opere tractat, nec res mira est, Auctor enim sapientissimus firma vestigia suæ sacræ, gravissimæ, & doctrissimæ Familiæ premens, non minori pietate, quàm subtilitate, selectioribus rationibus, solidioribusque fundaminibus veritatem jam pridem à SS.Patribus edoctam firmat, & confirmat, rationum lumine deturbat tenebras, auctoritatum pondere recentiorū opinantium placita expugnat; adeoque modesta in ratiocinando vehementia utitur, ut neque asperitas ibi transluceat, neque obumbret efficaciam: Videturque adhæsisse B.Gregorio VII. Pontifici Maximo dicenti lib.3. Epist.10. ad Henricum Regem: *Si quas doctrinas sive ad fidei certitudinem adstruendam, sive ad morum rectitudinem pertineant, præter Apostolicas traditiones, ad nos continua successione propagatas disseminari quis videat, obsistat, dimicet, ut pro aris, & focis, dicatque cum Tertuliano: Hæ sunt doctrinæ Dæmoniorum, prurientes auribus, natæ de ingenio sapientiæ sæcularis, quam Dominus stultitiam vocans, stulta Mundi in confusionem etiam philosophiæ ipsius elegit*.

Meritissimè ergò hujus Operis doctissimus Auctor cum Doct. Mellifluo Epist. 78. dicere potest: *Nihil simile habet, quod loquor illorum blanditiis, qui dicunt bonum malum, & malum bonum, atque ita quæcumque beatificant, in errorem inducunt, blanda, sed periculosa laus, cum laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur.*

Unde

Unde ex hoc præclaro opere, velut ex inexpugnabili arce mille clyphei pendent, omnis armatura fortium, contra recentiores probabilismi ingeniosos defensores in dies irrumpentes, sed, ut ajunt Probabilioristæ, ad christianæ pietatis excidium, catholici nominis dedecus, & interitum Ecclesiasticæ Disciplinæ, quæ, ut ait S. Cyprianus: *Retinaculum fidei est*; deindè, *mos iste semper in Ecclesia viguit* (teste Vincentio Lirenensi) *ut quò quisque foret religiosior, eò promptius novellis adinventionibus contrairet*. Probabilistas non damnat doctissimus Auctor (absit) sed Nazianzeni sententiam secutus, ait: *Ars quædam artium, & scientia scientiarum, cum sit hominem regere, animal omnium maximè varium, & multiplex, & nihil faciendum sit, quod ad rectè, honestèque vivendum nihil affert, nec sui studiosos meliores reddit*. Unde hoc Opus triplici filo contextum, tenui ex subtilitate, ęneo ex doctrina, tereti ex nervo, non difficile, sed nunquam rumpendo, publica luce dignum censeo, necnon toti Christianæ Reipublicæ multùm utile, cùm nihil contineat, quod bonis moribus, fidei, sacris Canonibus, Pontificum, & Conciliorum Decretis adversetur. Sic censeo (salvo meliori judicio). Romæ in hoc D. Thomæ Aquinatis Collegio apud SS. Vincentium, & Anastasium in Trivio, die 15. Octobris, Anno Domini 1710.

Philippus de Castillion Cleric. Reg. Min. Sac. Theologiæ Hispalen. Doctor, supradicti Collegii Primarius Lector, & pro Hispaniarum Provinciis in Urbe Assistens Gen.

SE-

SERIES, ET COLLECTIO

Quæstionum, Articulorum, & Paragraphorum, nec non omnium dubiorum, & præcipuarum assertionum, quæ in hoc Volumine continentur.

Forsitan nonnullis, quibus brevitas magis placet, videbitur Opus hoc in pluribus nimis late effluere. Ideo ad hujusmodi placitum etiam attendere volui; cum autem conspexissem in aliquibus Authoribus post quodlibet caput, vel controversiam, aut disputationem Collectionem apponere, aut Synopsim, ut ibi brevius legantur, quæ magis diffuse tradita erant: ut videre est apud Filliucium in suis Operibus, & in Camargo in suo erudito Opere de Regula honestatis. Alios vero prædictam Collectionem integram apponere in operis principio: ut videre potest apud illum insignem Theologum M. Godoy in ejus Tomis in Hispania typis datis, & apud Reverendiss. P. Thyrsum Gonzalez. Ideo congruum existimavi ita facere, & præsentem Collectionem, & Seriem, hic præfigere. Apponuntur numeri, in quibus loca allegantur, ubi res de quibus agitur fusius discutiuntur, & efficacius roborantur.

PARS PRIMA, QUÆSTIO I. *num.* 1.

De prima, & universali, proximaque regula morum.

CIRCA fidem, & circa mores, Christus Dominus, & Apostoli tradiderunt nobis doctrinam salutarem. *num.* 1. Sed circa morum rectitudinem non pauci arbitrio, & discursui suo decidenda, plusquam oportet, attribuunt. *num.* 2.

Articulus I. *Utrum prima regula morum sit natura rationalis.* *num.* 3.

Respondetur negative: prima enim regula debet esse, inde fictibilis, quod naturæ nostræ non competit, & præcipue respectu moralitatis Theologicæ, & supernaturalis. *num.* 5.

Si autem secludatur alia regula prima, ex impossibili sequitur utrum libet. *num.* 6.

Articulus II. *Utrum lex Dei æterna sit prima regula.* *num.* 7.

Affirmative. Ipsi enim subordinatur, & ab ipsa dependet omnis alia; Sicut in ordine physico omne bonum dependet à primo bono & principio. *num.* 7. *& seq.*

An opera consilij, & actus Indifferentes sub regula ista cadant? Primi cadunt, quatenus permittuntur, & approbantur.

tur. Secundi, quatenus in individuo debent ad debitum finem ordinari. *num.* 9. *& seq.*

Articulus III. *Utrum Conscientia nostra sit regula proxima morum.* *num.* 11.

Affirmative. Applicat enim regulam Universalem actionibus particularibus, ut mensurentur; ut sic salvetur libertas nostra: per ipsam participatur æterna lex, & est illud *lumen Dei signatum super nos.* *num.* 11.

Hoc lumen semper oportet perficere, & non obscurare: perficitur per exercitium virtutum, & per veras doctrinas; obscuratur per vitia, & per doctrinas in quibus non quæritur veritas. *num.* 12. *& seq.*

QUÆSTIO II.

De Conscientia. *num.* 15.

Articulus I. *Quid sit Conscientia.* *num.* 15.

EST dictamen rationis, seu judicium intellectus practici dictans quid hic, & nunc sit agendum, vel ommittendum. *num.* 15. non est potentia sed actus elicitus à Synderesi, quæ communiter dicitur prudentia: differt à judicio scientifico, quia hoc est, pro contemplatione veritatis, & de speculabili; conscientia de agendo hîc & nunc licitè vel illicite, & modo directivo. *num.* 16.

An homo melioris ingenij sit etiam melioris Conscientiæ? Phisice & in se ipsa sumptæ, secus moraliter, & cum extensione in ordine ad voluntatem: hoc experientia docet. *num.* 18.

Articulus II. *Quotuplex sit Conscientia.* *num.* 19.

Dividitur in certam, probabilem, erroneam, dubiam, & scrupolosam; & tandem (quod precipue debet attendi) in bonam, & malam: bona dum inculpabiliter operatur; mala qua agens culpatur, licet contingat agere secundum legem. *à num.* 19.

Articulus III. *An quisque teneatur agere secundum propriam Conscientiam?* *num.* 22.

Certissimum est teneri dum est vera, & certa; juxta *illud*; *Omne quod non est ex fide peccatum est.* Proponit enim nobis legem æternam, cui tenemur conformari. *num.* 22.

An sit duplex peccatum agere contra legem, & contra Conscientiam? negative. Quia dum quid sub eadem ratione à pluribus præceptis prohibetur non variat peccatum. *ibi.*

An dum conscientia dictat aliquid esse malum, non distinguendo, an sit veniale, vel mortale, obliget graviter? Affirmative. Ob periculum cui se exponit. *num.* 23

An Deus dispensare posset ut Conscientia non obliget? Negative. Dispensatio enim legem tollit; manente Conscientia manet lex: unde implicat dispensatio hîc. *num.* 24.

QUÆSTIO III.

De Conscientia recta. *num.* 25.

Articulus I. *Unde Conscientia sit formaliter recta.* *ibi.*

RESPONDETUR. Ex eo quod conformatur appetitui recto: qui consistit in voluntate recta de obiecto conformi regulis morum, & legi æternæ, & in ordine ad bonum finem. *num.* 25.

Quomodo in praxi formatur consciena recta? Fit quodam Syllogismus formalis, aut virtualis: v. g. Malum est fugiendum: mentiri est malum: ergo fugiendum: unde hic, & nunc malum operor si mentior. *num.* 26.

Articulus II. *Utrum Conscientia, ut recta sit, debeat necessario esse omnino certa, & evidens?* *num.* 27.

§. I. Respondetur negative. Job. *Verebar omnia opera mea.* & 1. Cor. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed in hoc justificatus non sum.* De facto esse indubiè recepta sententia, quod quis non tenetur illicò confiteri peccatum commissum, & non est evidens: nec Confessor posset absolvere aliquem pœnitentem. *num.* 27.

Quid dicendum de judicio probabilistarum, per illud reflexum, *qui operatur prudenter evidens est non peccare: sed si se habet sequens opinionem minus probabilem?* Minor est omnino falsa, & licet esset probabilis judicium illatum esset solum minus probabile. *num.* 28.

§. II.

invenendam veritatem juxta gravitatem rei, discurrendo, consulendo, orando, &c. *num.* 50.

2. Si non datur necessitas eligendi, aut operandi, nulla potest eligi. Si datur necessitas, minus malum, seu pars minus inconveniens est eligenda. *ibi.*

3. Si dantur æqualia motiva, præceptum fortius est præferendum. Unde stante præcepto negativo de re ab intrinseco mala, ejus observatio præferenda est observationi cujuscumque affirmativi; *num.* 51.

4. Observatio præcepti Divini etiam positivi est præferenda observationi humani omnis positivi, dum humanum non reducitur ad Divinum. *num.* 52.

5. Qui facta diligentia sincerè absque passione, & respectu proprij commodi, judicat unam partem magis urgere, licet adhuc trepidet, potest pro illa formare judicium, & formare Conscientiam, & non peccabit. *num.* 53.

§. II. *Proponuntur aliqui Casus particulares.* *num.* 55.

Quid faciendum dum quis inter duas obligationes, seu præcepta reperitur nesciens discernere, quod magis obligat? DubitatConfessarius de recta pœnitentis dispositione, & adest præceptum hîc, & nunc communicandi, & non discernit, quænam obligatio magis urgeat. Et sic de alijs. *num.* 55.

Rejicitur modus dicendi, nimirum posse eligere partem, quæ sibi placuerit. Contra: non enim videtur intelligibile, dum quis est inter duo extrema mala, eligere unum præ alio, quia vult, & non peccare: nec valet dicere, carere libertate. Nam si absque passione, & sincerè facit quod potest, & ad Deum recurrit, à Deo illuminabitur, sicut tunc tenetur operari. Unde aliquo motivo debet deponere dubium, & non sola Voluntate: aliàs peccabit. *num.* 56.

2. Vides hominem fugientem à persecutore interrogaris, an videris; si negas mentiris, si affirmas, eris causa occisionis. Dubitas quid faciendum? Resolvit casum D. Augustinus quodam exemplo. Non potest mentiri, nec hominem manifestare. Utrumque est malum. Nec datur perplexio, quia datur medium, nempe tacere. Si judicas esse te perplexum, provenit ex inconsideratione culpabili causata ex proprio commodo, aut passione, ne aliquid corporaliter patiaris. Si potes aliquo modo licito eludere persequentem: teneris. *num.* 56. *& seq.*

§. III. *Alij casus particulares, & dubia resolvuntur.* *num.* 62.

3. Casus. Excommunicatus putat si missam audiat, peccare, & etiam si illam ommittat, quia sic ei dictat Conscientia. Idem de assistente infirmo. Quid agendum? Debent perplexitatem excutere, & quod tutius eligere, & formare determinate Conscientiam, & juxta illam agere: alias peccarent juxta dicta in 1. casu §. præced. *num.* 62.

4. Casus. Existens in Carcere putat peccare ommittendo audire sacrum, an peccet? Negativè. Tunc enim non agit contra Conscientiam; Sed patitur; illud judicium est solum speculatiuum, quod non est causa ommissionis, sicut qui patitur tentationem, & resistit, licet existimet peccare, non peccat. *num.* 63.

Idem de Custodibus gregum, & nemorum, & Viatoribus, &c. dum physice, vel moraliter adimplere præceptum non possunt. *ibi.*

Quale peccatum est, & ad quam speciem pertinet agere contra Conscientiam erroneam? Respondetur in hoc est dicendum, sicut si in re daretur obligatio appræhensa. Ex Divo Thoma, quia obiectum voluntatis est prout ab intellectu proponitur, & conscientia dictat. *num.* 64.

Quale sit majus peccatum, sequi conscientiam errantem vincibilem, aut operari contra illam, dato quod non deponatur? Respondetur, esse pensandum juxta qualitatem materiæ. v. g. Existimas furandum ad dandam elæemosynam, magis peccas furando: si non proponitur major gravitas, erit æqualis culpa. *num.* 65.

An Conscientia erronea magis obliget, quam Præceptum Prælati? Respondetur Subditum teneri deponere Conscientiam, & obedire Prelato dum non præcipit

Numer. Ubi nesciens dicitur peccare: vel si postea intellexerit peccasse. *n.*84.

2 Ex verbis Christi D. Joan. 16. *Venit hora ut omnis qui interfecerit vos arbitretur obsequium se præstare.* Ex quo D. August. ibi colligit doctrinam nostram, & idem D. Bernardus Epist. 77. ad Hugon, & D. Chrysost. hom. 76. in Joan. & D. Th. 12. quæst. 19. art. 6. *n.*86. *& seqq.*

§. II. *Ex capitali textu ad Roman. cap.* 1. *idem probatur.* *num.* 89.

Ibi Apostolus plura adducit flagitia gentilium; & ait quod *non intellexerunt, quod digni sunt morte, qui talia agunt*: ita ut *non sint excusabiles*. At ubi fuit cognitio, & advertentia ratione cujus imputantur ad peccata? *Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt,* sed evanuerunt &c. In hoc defectu fuerunt voluntaria indirecta. Luculenter explicat, & tradit ibi Doct. Angelicus. *n.*89. *& seq.*

Idem docet, & late urget D. Chrysost. in d. cap. 1. ad Rom. hom. 3. & clarius hom. 4. ad medium, quod variis exemplis illustrat. *num.* 93. *& seqq.*

4 Ex verbis Christi D. Luc. 12. *ille autem servus, qui cognovit voluntatem Domini, & non se præparaverit, & non fecerit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis: qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Ex quibus sine actuali cognitione peccari colligunt SS. Aug. Basilius, & Greg. Naz. & idem Theodor. *num.* 96.

§. III. *Probatur idem assumptum ex D. Hieronymo.* *num.* 97.

In illa celibri Epist. ad Tesiphontem, & in duobus libris contra Pelagianos hoc punctum mira eruditione versabit hic S. Doctor: & plurimis ex utroque testamento locis per ignorantiam sine advertentia malitiæ posse peccare docet. *num.* 27. *& seqq. tot* §. 3.

Pars Pelagianorum objiciebat. Rogo, *quæ est ista justitia, ut in peccato tenear erroris, cujus reatum non habet conscientia? Nescio me peccare, & ejus rei, quam nescio pœnas luo? Et quid plus faciam si sponte peccavero.* Ita refert S. Doctor. Et latissime probat ita per ignorantiam contingere. *ibi.*

Unde appellat stultam interrogationem contrariorum; *Respondet stultæ interrogationi tuæ liber Sapientiæ &c.* *num.*99.

Postquam immensa molle scripturarum illos convincit; concludit: *Neque in lege ratio quæritur, sed auctoritas.* Facile posset controversiam concludere, si amplectitur dictamen sententiæ nobis contrariæ assignando aliquam cognitionem, seu remorsum &c. sed hoc rejicit. *n.*102. *& seqq.*

§. IV. *Idem ex D. Augustino.* *num.* 104.

Hic S. Doctor conformiter ad Hieron. scribens contra Manichæos, & etiam contra Pelagium. Illi negabant liberum arbitrium, & hominem non peccare, & probant ex eo quod per ignorantiam invitus homo violat præcepta. Pelagius negabat peccata ignorantiæ, quia vitare illa homo nequit. S. Doctor utrosq; fortiter impugnat pluribus scripturæ locis, & rationibus, assignando peccari per ignorantiam sine cognitione actuali, & tamen vitari posse. *num.*104. *& seqq.*

Sed nunquid recurrit ad remorsum, dubitationem &c. Minime, sed ad negligentiam. *Non tibi* (ait) *deputatur ad culpam, quia invitus ignoras, sed quod negligis quærere, quod ignoras: Nulli enim homini ablatum est scire utiliter, quod inutiliter ignorat, & humiliter confitendam esse imbecillitatem, ut quærenti subveniat qui nec errat cum subveniat &c. Ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis originem ducunt.* Ita ex lib. 1. de libero arb. c. 19. recurrit pro sufficientia ad causam. *n.*106. *& seqq.*

§. V. *Ex SS. DD. Gregorio M. & Ambgrosio.* *num.* 109.

S. Gregorius multus est in docendo, quanta cæcitate procedir homo intra tenebras hujus mortalitatis. Plures loci referuntur in hoc tractatu, & præsertim. *num.* 109. *& seqq.*

Lib. 5. Moral. cap. 6. *Sæpe* (ait) *opus nostrum causa damnationis est, & profectus putatur esse virtutis. & num.*110.

D. Ambr. in Epist. ad Rom. cap. 1. *Sunt quidam, qui se reos non putant, si non operentur quæ mala sunt, assentiunt autem*

tem

tem facientibus. *Et concludit*: *Dignum est, ut pari crimine rei habeantur*. D.Th. in 2.sent. dist.22. q.2.art.2.in 1.arg.adducit S.Ambr .in Epist.ad Rom. *Gravissime peccas* (ait) *si ignoras*. Et respondit Ang. Doctor: ideo dicere gravissime peccare, *propter periculum*. *quia dum morbum non cognoscit, medicinam non quærit*.

§. VI. *Ex SS. PP. Bonaventura, Bernardo, Isidoro, & Anselmo*. *num*. 112.

D. Bonavent. in 2. dist. 22. quæst.3. n.34. cum adduxisset ex D. Ambr. verba proxime relata, ait: *Quia cum non habeat scientiam de morbo, sive culpa, non quærit medicinam; & ita semper remanet morbus, & corruptio, & hoc est quod dicit Augustinus in lib. Confess. Eò insanabilius peccabam, quò me non peccare arbitrabar*. *num*. 113. *& seqq.*

In eodem loco num. 39. affert ex Philosopho 3. Ethic. *Ebrius habet duas maledictiones, maledictionem pro culpa præcedenti, & maledictionem pro culpa subsequenti*. *Quia in hoc se præcipitavit per culpam suam*. Et tandem non excusat incestum Loth: *quia in illam ignorantiam pervenit, per ebrietatem, quam debuit vitare*. *num*. 114.

D. Bern. in Epist.77. ad Hug. de S.Victor. late, & pluribus scripturæ locis probat peccari per ignorantiam, & hoc modo peccare nesciendo peccari, immo judicando positive bene operari, & obsequium Deo præstare. *n*. 115. *&* 116.

D. Isidorus idem sentit lib. Sentent. c. 17. & lib. 2. Synonomorum, ibi. *Ignorantia mater errorum est ... neque quando delinquit agnoscit insipiens assidue, & quid dignum culpa non sentit*. *n*. 117.

D. Anselmus in Epist. ad Rom. cap. 1. *Prioris namque peccati subsequentium fovea legitur, ut qui malum sciens perpetrat, deinceps juste in aliis nesciens cadat*. Et loquens de Jentilibus: *Quamvis non intellexissent non possunt excusari, quia præcedentibus culpis meruerunt excæcari*. *num*. 118.

§. VII. *Ex SS. DD. Chrysostomo, Basilio, & Gregorio Nazianz*. *num*. 119.

Idipsum late propugnat os aureum, hom.3. & 4. sup. cap. 1. ad Rom. & in cap. 2. Math. hom. 6. *Nec de his tantum puniendi sumus, quæ scimus, verum etiam, quæ nescimus: Nihil, inquit Apostolus mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum &c.* *num*. 119. *& seqq.*

D. Basilius idem sentit, & probat ex Christi verbis Luc. 12. *Qui non cognovit, & fecit digna plagis, vapulavit paucis*. *Non omnino judicat liberum* (ait S.Pater) *esse à pœna, sed graviorem multo comminationem extendit in eum, qui cognoscendo*. *num*. 121.

S. Greg. Nazianz. Orat. 1. *Etiam si à veritate aberrent, tamen quia ob religionis studium, & quod Zelum quidem habent, sed non secum dum scientiam hoc patiuntur; Ex eorum fortasse numero erunt, qui non graviter condemnabuntur, nec multis vapulabunt*. *num*. 122.

§. VIII. *Ex SS. PP. Antonino, Bernardino, & Laurent. Justin*. *num*. 123.

S.Antonin.fuse idē statuit 1.par.tit.4.c.14. §.3.circa med. Ex pluribus scripturæ lucis,& exemplis D. Pauli,& filiarū Loth: *Quamvis putaverunt sibi licere credentes totum mundum sumersum, sicut & Sodoma; non excusantur à peccato incæstus*. Et absolute asserit *ignorantiam juris naturalis, & divini, vel eorum, quæ scire tenentur secundum statum suum, non excusari*. Imo etiam in ignorantia facti: *Si dat operam rei illicitæ non excusari, licet malum sequens sit contra ejus voluntatem, si non fecit debitam diligentiam*. Quando quis putat sibi licere, vel est contra voluntatem non habet advertentiam actualem dum peccat.*n*.123.*& seq.*

S. Bernardinus, idipsum fuse tradit tom.2. fer. 4. post Dom. 4. Quadrag. art. 2. cap. 2. *Si talis ignorantia introducta est per præambulam culpam, sicut in ebrioso, non à toto, sed à tanto excusat* (scilicet ignorantia) & fer. 4. post Dom. Palm. art. 1. cap. 1. *Quot etiam hodie conficiunt usurarios contractus, vendunt tempus &c. Similia operantur, & illis videtur cum conscientia bona*. *n*.125. *&* 126.

Et Ser. 2. fer. 4. post Dom. 2. Quadrag. art. 2. cap. 5. Pro voluntario ignorantiæ recurrit ad negligentiam sciendi ea, quæ tenetur, & non ad advertentiam, pro-

probans ex D. Thom. *num.* 127.

S. Laurentius Justin. de casto connubio Verbi, & animæ cap. 17. per tot. & probat ex illo. *Delicta quis intelligit &c. O quam sæpe virtus putatur vitium, & vitium virtus. Ira zelus, præsumptio authoritas*, & sic pergit discurrendo per singula. *num.* 128.

§. IX. *Seraph. Mag. M.N.S. Theresia, & B.P.N. Joanne à Cruce. num.* 129.

S. Mater cap. 5. suæ vitæ agit de Confessoribus Semidoctis; aitque eos sibi asserere, & dicere, quod erat peccatum, ueniale nullum esse, quod gravissimum mortale, esse veniale. *Ego autem, inquit, illos recte scire existimabam; nec me ad plus, quam ad credendum ipsis arbitrabar.* Et tamen addit: *Hoc tantum detrimentum attulit mihi, quod multum non est, ut hic enarrem &c. Ego autem alias decepi idem dicens.* Certum est non adfuisse Thæresiæ cognitionem malitiæ actualem dum illa operabatur, & minus dum aliis idem dicebat. *num.* 129.

Ex hoc colligitur quam plena auctoritate tales Semidoctos resolvere, & qualiter falluntur, & fallunt, & soleant declinare ad lata, & liberiora, ut pote miseriæ humanæ placentia. *num.* 130.

Deinde lib. Mansionum. Mans. 7. cap. 4. loquens de animabus in statu ultimo perfectionis, ait *habere determinationem numquam aliquam imperfectionem ob mundum totum committendi, & quod propterea plures non admittant, & peccata, non quidem advertenter, & scienter .... Peccata in quam venialia; nam de mortalibus libera sunt, tamen non sunt secura: aliqua enim habebunt, quod quidem ipsis erit non exigui cruciatus.* Quid clarius pro assertione nostra. *n.* 131.

B. Joannes, lib. 2. Ascensus montis, loquens de incautis circa revelationes, maximas pati deceptiones, in eisque verificari, quod Isaias cap. 19. ait: *Dominus miscuit in medio ejus spiritum vertiginis*: quod *nihil aliud significat, quam spiritum modo contrario res intelligendi &c.* Docetque dæmonem illos excæcare; & re ipsa efficit dum hujusmodi animi fidem illi accommodant, & spiritum bonum arbitrantur. *num.* 133.

Et lib. 2. noctis obscuræ cap. 1. agens de imperfectionibus in via perfectionis proficientium, affert plures deceptiones, calamitates, & miserias inquas prolabuntur; & si ipsi existiment, recta via ambulare. Immo & ipsos exercere actus heroicos Virtutum. *num.* 334.

§. X. *Ex D. Thoma manifeste probatur assumptum. num.* 135.

Assertio nostra evidenter docetur à D. Th. pluribus in locis num. 135. per totum §. hoc referuntur, & præsertim.

Quod lib. 8. art. 13. ait: *Duobus modis aliquis ad peccatum obligatur. Uno modo faciendo contra legem, alio modo contra conscientiam, & concludit. Illud autem quod agitur contra legem semper est malum, nec excusatur per hoc quod est secundum conscientiam.* Si autem est necessaria aliqua cognitio actualis, dubium, aut remorsus, nunquàm dabitur peccatum, quod sit secundum conscientiam. *num.* 135.

Magis, expræsse id docet, siquidem ait peccata in ebrietate commissa tunc imputari: 1.2. quæst. 71. art. 5. & quæst. 76. art. 4. ad 2. & ad 4. quæst. 3. de malo art. 8. ad 3. & alibi. *num.* 136. *&* 146.

An D. Thomas sit sibi contrarius, eò quod videtur requirere in delectatione morosa advertentiam, & libertatē in se. *n.* 139. *& seqq.*

Articulus VI. *Qualiter ratione probetur posse dari conscientiam erroneam vincibilem, & peccari sine actuali cognitione dum peccatur. num.* 144.

§. I. *Rationibus à priori probatur. ibi n.* 144.

1 Sumitur ex peccato ommissionis, quam in se prohibet præceptum, si quis enim luderet tempore audiendi sacrum, peccaret, & solum prohibetur ratione ommissionis, unde magis prohibetur in se ommissio: propter quod unumquodque tale, & illud magis. *num.* 145.

Datur sufficiens voluntarium, nempe in causa. Si quis mittat venenum, quo homo interficiatur, licet tunc non advertat, est vere homicida. Sicut valet matrimonium per procuratorem, licet qui vere contrahit, non advertat dum contrahitur. *num.* 146.

2 *Nam ignorantia te non excusat, si scire de-*

Hoc

QUÆSTIO V.

De Conscientia dubia.

DE REGULIS MORUM

SECUNDA PARS

De Conscientia probabili.

QUÆSTIO I.

Quid sit conscientia probabilis? quid opinio? & de ejus divisione. *à n.* 259.

hæc

hæc Sacramenta accedere, usque ad ultimum terminum sequentis. Avarus in sententia pro se minus probabili, non tenetur restituere. Et sic de aliis sine numero, præcipue circa jejunium.

Quem fructum spiritus percipiunt, qui juxta has, & similes operantur? Quem finem sibi constituunt? Quot gratiis privantur? Quot periculis se exponunt? &c. *num.* 326.

Apud D. Th. arguebant Hæretici, Ecclesiam non posse præcepere jejunia, eo quod tollit libertatem ad quam à Deo homini assumpto vocati sumus. Respondit: *quod jejunia, & alia statuta non sunt contra libertatem populi fidelis, sed magis sunt utilia ad impediendum servitutem peccati, quæ repugnat libertati spiritus. De qua ad Galat.* 5. *Vos enim fratres in libertatem vocati estis, tantum ne libertatem detis in occasionem carnis.* Probabilismus valde pugnat pro jure libertatis, hæc prævalet ubi non est lex certa: & opiniones illi faventes benignas dicunt. Sed qua benignitate? Satis indicant verba Apostoli, & D. Th. *n.* 330.

Duplici in loco explicat D. Th. quid sit benignitas, *dicitur quasi bona igneitas & benigni illi dicuntur, quos bonus finis, amoris, vel charitatis fervere facit ad bene faciendum.* At laxæ opiniones regulariter non hoc efficiunt; quin potius fovent tepiditatem, amorem, & commodum proprium; imo & periculum in caute amplectendi quod vere probabile non sit, sed grave peccatum. *num.* 331. *& seqq.*

§. III. *Objectionibus fit satis, & magis explicat bujus art. doctrina.* *num.* 334.

An ex dictis inferatur opiniones etiam probabiliores pro libertate non esse vera benignitate benignas. Resp. neg. tum quia per harum usum vitatur periculum peccandi formaliter. tum. Quia in illis inquiritur veritas, & magis in illis hæc apparet, & sic intellectus prudenter adhæret, non quia est commodum: nec oportet aliter judicare, ob præceptum divinum, *nec addas quidquam, nec diminuas*: & quia ut ait D. Th. *Verum est bonum intellectus, falsum est malum ipsius.* Si autem quis utatur opinione probabiliore pro libertate, non intendat bonum finem, hoc erit ex malitia sua, & juxta prudentiam carnis secundum quid, utpote veniale peccatum. *num.* 334. *toto* §. 3.

Quid dicendum de illo axiomate communiter adducto ex Aristotele? *Multa sunt falsa probaliora veris.* Resp. in ipso tale non inveniri. Dato quod sit, *illa multa* sunt paucissima respectu minus probabilium, quæ regulariter falsæ sunt, immo apud nos sic debent existimari. At multa probabiliora apud nos talia, in se falsa sunt: & in eodem sensu dici posset: *multa falsa certis sunt veriora. num.* 335.

QUÆSTIO II.

De delectu opinionis practicè, & verè probabilis sufficientis ad rectè operandum juxta doctrinam Canonicam, SS.PP. & præstantiorem Theologorum authoritatem. *n.* 341.

Articulus I. *Ex qua parte adsit præstantior Theologorum auctoritas; an ex parte moderatæ; an vero ex parte probabilismi sententiæ?* *num.* 343.

§. I. *Auctoritas Theologorum pro prima sententia.* *num.* 343.

In primis omnes antiqui usque ad annum circiter 1570. testantur Azor, Corduba, Tyrillus, & Amicus. Pro quo est vehemens præsumptio ex nobilioribus probabilistis, ut videre est apud Vasquez, Valentiam, Suarez, Dianam, & plures alios, qui nullum antiquiorem citant Bartolomeo de Medina. Idipsum attestatur, & probat Emm. Card. de Aguirre, & Antonius Maria Coratius allegat ex antiquis Theologis, & Juristis plusquam centum omnes convenientes huic principio, quod opinio verior, vel quæ verior præsumitur est attendenda, & sequenda; & in contrarium nullum adducit. *num.* 343. *per tot.* §.

§. II. *De statu bujus opinionis antiquæ post ortum probabilismum.*

Licet probabilismus paulo postquam ortus est; magnum incrementum habuit, num-

quam plures illum impugnantes, & contrariam sententiam patrocinantes, defuerunt. Nam SS. Patres (de quibus infra) & Auctores antiqui in suis libris clamare nunquam cessabant. Deinde orta sententia benigna illi restiterunt, Rebellus, Comitolus, Card. Bellarminus; 4. Archiepiscopi, & 12. Episcopi Galliarum, & alii etiam doctissimi Cardinales quos refert Aguirre. *n.* 350.

A tempore Alexandri VII. Vexillum extulit Clarissimus ordo S. Dominici, præsertim Mart. de Prado; Vinc. Baronius, Gonet, Labath, Contenson, Mercorus, & alii; adeo ut Camargo attestetur apud se habere authores ultra numerum centum distinctè & sigillatim. Et omnes Cardinales tempore Card. Aguirre, ipse testatur, esse hujus sententiæ, præcipue doctissimum Laureæ in lib. sententiarum. *num.* 351. *& seqq.*

Et quod maximopere roborat hujus sententiæ veritatem, est suffragium universæ Ecclesiæ Gallicanæ in suis commitiis congregatæ anno 1700. inter utilissimas regulas, quas statuit, hanc sententiam approbavit, rejiciens contrariam (usque dum à Supremo Ecclesiæ Judice de illa judicium feratur,) magna ponderatione, & auctoritatis fulcimento fuse refertur. *num.* 354.

§. III. *Sententiæ benignæ auctoritas, & ejusdem dilatatio.*

Tota ejus auctoritas reducitur ad multitunem; alii referunt 60. alii 100. alii 200. ex quibus plures non clarè, sed dubiè, & obscure locuti sunt. Hinc insurgunt tanta multitudo pietatis, & doctrinæ, quis dubitare queat de ejus securitate, sine temeritate? Fere omnes ita sentiunt, uno aut altero excepto. Quomodo credi potest Deum tot viros pios, & sapientissimos errare permisisse, aut Ecclesiam suam deseruisse, labique in errorem practicum conjunctum cum legum violatione? &c. Ita discurrunt. *num.* 359. *& seqq.*

§. IV. *Fit comparatio auctoritatis utriusque partis.*

Probabilistæ constanter dicunt auctoritatem suorum alteram vincere; quippe excedentem in numero juxta textum in cap. licet de prob. ibi: *Ex præmissis igitur evidenter apparet quod Ecclesia per testes numero plures, quibus potius lux veritatis assistit.* Et maxime cum pro probabilismo sint tot viri piissimi sapientissimi, & consequenter omni exceptione majores. *num.* 361.

Exadverso probabilioristę contendunt suorum auctoritatem superare negant excessum auctorum benignorum: dum pro se habeant omnes antiquos, & plurimos post ortum probabilismum. Et dato esse numero plures non recte infertur debere prævalere: juxta textum in cap. in nostra de testib. ibi *ad multitudinem tantum respicere non oportet, sed ad testium qualitatem; quibus potius lux veritatis assistit &c.* & in dicto cap. licet: dicitur: *qui etiam aptiora negotio, & vero proximiora expræserunt.* *num.* 362.

Qui autem sunt hujusmodi; pone, esse probabilius requiri attentionem internam in officio divino: Dicunt probabilistæ: poteris sectari oppositam minus probabilem: Negant Probabilioristę: quibus potius lux veritatis assistit nisi secundis? quia si opinio obligans est probabilior, ideò, quia magis accedit ad veritatem. *num.* 363. *& num.* 369.

Deinde probabilistis circa numerum, quem allegant, plures exceptiones opponuntur. 1. Multi qui pro illa allegantur, loquuntur de opinione quæ apud alios est minus probabilis, non vero apud adhærentem illi opinioni subjective, de quo late Reverendissimus Tyrsus. *n.* 363.

2 Plures, & fere omnes majoris notæ allegati ab eis, hanc quæstionem levissime attingerunt, qui vero illam, & utriusque sententiæ fundamenta diligenter discusserunt brevissimum numerum efficiunt, secus respectu partis oppositæ, ut Bibliothecas videnti constabit, & prætere ut (solet dici) plures adhærent sententiæ benignæ alios sequentes instar avium, & ovium, de quibus bene testatur Teryllus. *num.* 364. *& seqq.*

3 Ex censura Alex. VII. proæm. sui decreti notantis modum opinandi luxurantium ingeniorum, licet censura sit in genere, tangit ad minus nonnullos, aut plures auctores benignos, quorum doctrina reprobatur. *num.* 366.

Plu-

Plures etiam, licet viri pii, & docti, illam sententiam à suis magistris acceperunt, & ob humilitatem (si humilitas dici potest) illam oppugnare ausi non sunt sed sequuti; cum rem & utriusque partis motiva diligenter non considerassent. Cujus signum est quod postea in praxi, & libris, quos scripserunt, probabilioribus in casibus particularibus adhæserunt. Et tandem non parum conduxit ad augendum numerum, commoditas utrumque opinandi; *Unusquisque enim faciliter credit quod appetit*. Sed hoc non auget auctoritatem. *n.*367. *& seqq.*

§. V. *Prosequitur assumptum; & judicium cordato relinquitur.*

5 Pensanda est dispositio textus cap. *licet*, & cap. *in nostra*, §. proximo citatis. *Standum* (docent) *testimonio illorum, qui aptiora, & vero proximiora in suis testimoniis expreserint*. Dum ergo occurrit dubium, & opinio minus probabilis stat pro libertate; nonne certissimum est stantium pro opinione probabiliore testimonium esse vero proximius, & aptius negotio salutis animæ, & adimplendi divinam voluntatem, & consequendi verum finem ultimum? *num.*369.

Si dicas textus loqui de testibus, non de auctoribus. Contra. Quare sic de testibus disponitur, nisi quia debet veritas inquiri? Et cur in rebus salutis animæ non sic est agendum? Item auctoritatis pondus ex Auctoribus summitur ab ipsis tamquam à testibus. Item: id ipsum disponitur in jure de Authoribus quod de testibus in l. 1. C. de Vit. jure Enuc. *n.*370.

Quid dicendum ad id; *non esse credibile Deum permisisse tot viros sapientes errasse, & Ecclesiam circa hanc doctrinam deseruisse*? Resp. potius hoc retorquetur. Magis in credibile est Deum deservisse per 15. sæcula Ecclesiam, & errasse omnes antiquos. Deinde est falsum post ortum probabilismum omnes per illum regulasse conscientias, nam soliciti de æterna salute non ita faciebant, atten. debant ad doctrinam SS. Patrum. Plurimi etiam libri spirituales, veri Theologi, non docebant directionem probabilismi. *num.* 372.

Ex quibus (& non omisso pondere authothoritatis, quæ articulis seqq. sumitur ex S. Scriptura, Jure Canocico, decretis Pontificiis, & SS. Patribus) pius, & cordatus poterit definire, ubi sit majus pondus authoritatis. *num.* 373.

Articulus II. *Utrum in materiis moralibus ad S. Scripturam sit recurrendum? n.*374.

Qualiter D. Bonaventura acriter invehitur contra Confessarios non recurrentes ad S. Scripturam, jura Canonica, & SS. Patres pro directione animarum. *ibi.*

Quantum in cap. 1. Josue commendatur incumbere semper Sac. Scripturæ. Et ad Rom. 15. *Quæcumque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt &c.* & Thim. 3. *Utilis ad docendum, ad corripiendum, & erudiendum in justitia &c.* Quantum hic recursus à S. Chrysost. ponderatur. *num.* 375. *& seqq.*

Quid contigit D. Augustino dum inter tot procellas vacillabat? *Arripui stylum spiritus tui, & præsertim Apostolum Paulum, & perierunt illæ quæstiones .... statim quippe cum fine hujus sententiæ, quasi luce securitatis infusa cordi meo, omnis dubitationis tenebræ diffugerunt. num.* 377.

Ex hoc perenni fonte hauserunt, quæ tradiderunt SS. Patres, juxta Psalm. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum*. Ubi D. Aug. *Quod in scripturis omnibus continetur*. Et illa dubia D. Augustini etiam erant circa mores. *num.* 378.

Unde provenit necessitas hujus recursus? Resp. ex D. Th. Quia homo est ordinatus ad finem supernalem, & sic est necessaria doctrina revelata ad percipiendum quid credendum, & quid agendum. Deinde etiam in rebus moralibus ordinis naturalis ratio nostra est deficiens, & nimis difficile veritatem attingit, ut constat in Philosophis non habentibus fidem. *num.* 379. *& seqq.*

Dices: Ubi in scripturis reperiemus resolutionem in casibus particularibus? Resp. objectionē esse contra ipsam scripturam, SS. Patres, & stylum Ecclesiæ. Ad illam recurrunt Concilia, Pontifices, & SS. Patres etiam pro dubiis moralibus resolvendis. Quibus magis credendum? Sed non excludimus libros salutares Theologorum, sed attendendam divinam

nam

nam ſcripturam, in qua inveniemus principia generalia, regulas utiliſſimas, quibus intellectus illuminatus, & voluntas accenſa facile inveniet qualiter diſcernenda eſt in libris vera à falſa doctrina, & qualiter nos gerere debeamus in ordine ad divinam voluntatem exequendam in caſibus particularibus. *num.* 383.

Idipſum commendat S. Chryſoſt. & contrarium reprobat Alex. VII. in ſuo decreto. *num.* 385. *& ſeqq.*

Articulus III. *Utrum opinio ſtans pro libertate, & contra legem, quando eſt æquè tantum, vel minus probabilis, ſit regula honeſtatis moralis ſecundum doctrinam Scripturæ Sacræ?* *num.* 386.

§. I. Reſp. neg. juxta illud Eccl. 37. *ante omnia verbum verax præcedat te: ante omnem actum conſilium ſtabile.* Dum opinio eſt indifferens ad verum, & falſum, vel magis adfulſum accedit, quomodo poteſt dari verbum verax, & conſilium ſtabile? Nam hoc tale eſt, quia firmis nititur rationibus, & veritate fulcitur. *num.* 386.

Reſponſio utiliſſima Doctoris Ang. interrogantibus: Quomodo hæc vita fine errore, & lapſu tranſigi poſſit? *n.* 387.

Ex eod. Eccl. 3. probatur aſſumptum: *Qui amat periculum, peribit in illo.* Quomodo non eſt in periculo errandi, qui amplectitur id quod apparet æque malum, & bonum? Si percuteres animal, quod tibi appareret æquè hominem, ac brutum, certum eſt te periculo exponere peccandi, & peccares. Nec valet effugium illud de peccato materiali, & non formali, quod infra impugnatur, *& num.* 388. *&* 389.

§. II. *Aliis Sacræ Scripturæ locis eadem concluſio fulcitur.* *num.* 390.

Pſalm. 118. *Tu mandaſti mandata cuſtodiri nimis.* Quod ita vertitur, & explicatur, *accuratiſſime vehementer mandaſti*, unde non eſt de conſilio. *num.* 390.

Pſalm. 138. *Mandaſti juſtitiam teſtimonia tua; & veritatem tuam nimis.* Hugo Card. *Mandaſti judicium omnibus judicantibus, teſtimonia credentibus, veritatem docentibus. Diabolus vero mandat contraria &c.* Quomodo componitur cum hoc præcepto docendo, & amplectendo indifferens, imo magis accedens ad falſitatem? *num.* 390.

Magis aperte ex cap. 17. Deuteron. & ex 2. Paralip. 19. Ubi determinatur in caſu controverſo, recurrere ad locum à Deo deſignatum, ubi à Sacerdotibus veritas indicabitur. Quod quidem præceptum non eſt cæremoniale, ſed naturale, & divinum, erat enim etiam in dubiis, & circa legem ſeu præcepta decalogi, & etiam dum pro una & altera parte adſunt diverſa dictamina, vel opiniones: *Et judicium intra portas tuas videris verba variari.* Ubi Cajetanus in dicto cap. 17. -- Hîc habetur caſus controverſiæ noſtræ; ſi circa legem divinam, aut ejus ſenſum dubium occurrit, in cujus reſolutione adſunt oppoſitę ſententiæ peritorum, quid faciendum? Reſpondet Deus: *Surge aſcende ad locum &c.* Et quid reſpondet profeſſor ſententiæ benignæ? In tali caſu non eſſe legem certam moraliter; poſſeſſio ſtat pro libertate, poteſt citra culpam uti minus tuta, & minus probabili ſententia. Cui reſponſioni ſtare debemus? *num.* 391.

§. III. *Ex novo teſtamento ulterius probatur concluſio.*

Primum in unoquoque genere eſt menſura, ſeu exemplar cæterorum. In linea Magiſterii Chriſtum D. eſſe verum exemplar certum eſt. Ejus qualitates manifeſtantur Math. cap. 22. *Magiſter ſcimus quia verax eſt; & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo, non enim reſpicis perſonam hominum.* Et notat D. Auguſtinus: *quo nihil grandius pro veritate dici potuit.* *num.* 394.

Itaque bonitas Magiſteri circa Dei viam conſiſtit in participatione, & aſſimilatione cum ſummo Magiſtro. Quid ergo dicendum de Magiſterio ſententiæ benignæ? Docere in praxi quod eſt indifferens ad veritatem, & falſitatem, imo quod ad hanc magis exiſtimatur accedere; dum ſunt inter ſe opiniones oppoſitæ reſpondere amico juxta benignam, ſeu libertati faventem, licet minus probabilem, & alteri reſpondere juxta oppoſitam rigidam obligantem, etiam ſi minus probabilem: hoc inquam Magiſte-

sterium participatur à Magisterio Christi, & ei assimiliatur? *num.* 394. *& seq.*

Dices ex hoc sequi nos nec posse sequi, nisi quod certissime esset in se verum; nam Christus non aliter potuit. Resp. nos non debere participare plenitudinem scientiæ Christi; sed deficienter, nimirum id quò recte operemur; & juxta nostram conditionem; ita ut si certò veritatem invenire non possimus, quod magis ad veritatem accedit, seu probabilius, doceamus, & sectemur. *num.* 396.

Deinde Magisterium Christi est docere intrare per angustam portam, vitare latam, & spatiosam: arripere viam arctam, quæ ducit ad vitam. Math. 7. Hanc dilatare & perverti est in animarum perniciem, asserit Alex. VII. ad quod vitandum ipse, & Innoc. XI. tot propositiones ab Ecclesia proscripsit. At si intellectus potest eligere, quod verisimilius sibi apparet falsum, & malum, & hoc pro regula honestatis summere; quisque potest percipere quam lata porta, & spatiosa via aperitur in rebus moralibus in natura nostra corrupta, ad libertatem propensa, ad suum commodū vehementer inclinata. *n.* 397. *& seqq.*

Articulus IV. *Utrum verba Christi* D. Jugum meum suave est *faveant, vel potius sint contraria probabilismo.*

Nihil frequentius probabilistis quam ex his verbis lacessere nostram sententiam & illam apud vulgum diffamare, quasi imponentem onus importabile homininibus. *num.* 404.

§. I. *Ex Christi D. verbis nihil astruitur probabilismus.*

1 Si valet id, quod hîc urgent probabilistæ, eodem modo cessaret obligatio multorum præceptorum, quæ naturæ humanæ vitiatæ durissima sunt. Obligatio castitatem servandi; credendi fidei mysteria; dilectio inimicorum, humilitas non se unquam vindicandi, redendi bonum pro malo, indisolubilitas matrimonii, manifestatio omnium gravium peccatorum, & alia quæ ardua, & valde difficilia sunt humanæ superbiæ, carni & sanguini. Unde ex arduitate, & difficultate non recte arguitur evasio obligationis. *num.* 405.

2 Minister Sacramentorum, judex & Medicus non possunt amplecti probabilissimum pro suis muneribus exercendis: ergo valet ne illis non redi jugum Christi suave, & illis imponi onus incomportabile? *num.* 406.

3 Ex verbis Christi Domini, quæ in æternum permanent, via ad Cœlum est valde arcta, per quam nos præcipit intrare: hac auctoritate motus Alex. VII. damnavit plures propositiones, & Innoc. XI. usque ad 110. Omnes juxta modum dicendi probabilistarum erant probabiles, & redebant jugum Christi suave. Sed decepti sunt; ergo jam corruit motivum salvandi suavitatem jugi Christi? *ibi.*

4 Solum ob non committendum unicum mendacium debemus potius substinere omnia mundi tormenta, quia Deus præcipit: nonne hoc durum, & difficile est? *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.* Psalm. 16. & tamen sunt: *Desiderabilia super aurum, & lapidem pratiosum, & dulciora super mel, & favum*: Sed unde? restat videndum. *num.* 407.

§. II. *Christi jugum suave ex dilectione, & virtutum exercitio.*

Ad astruendam, seu salvandam per probabilismum in Christi jugo suavitatem, ad quem locum Sacrorum Conciliorum, vel SS. Patrum fit recursus? Non ostenditur. Sed potius contrarium docent. Siquidem ab his fit recursus ad virtutum exercitium, præsertim ad dilectionem Dei & proximi, & ad amorem legis. Ita Conc. Tridentinum, Catechismus Rom. D. Augustinus, S. Hieronymus, S. Chrysost., Glos. ordinaria, & ipse Christus D. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*; hinc deduxit; *jugum meum suave est*: *num.* 408.

Etenim vita Christiani consistit in subjugandis passionibus, & amplectendis actibus virtutum. Hæ sunt humanæ naturæ dura, & difficilia. Solum ergo sua via fiunt, ipso virtutum exercitio: habitus facilitatem generat. *num.* 411.

§. III. *In via probabilismi potius redditur difficillimum jugum Christi.* *num.* 412.

2 Per

1 Per dilectionem Dei super omnia constat homini jugum Christi esse suave. Quot opiniones dentur apud probabilistas super dilatione ejus obligationis, in earum libris videri potest. In quo summitur medium contrarium, ad suavitatem in jugo Christi. *num.* 413.

2 Idem in orationis exercitio, & obligatione. *Oportet semper orare, & nunquam deficere*. Quando quis tenetur orare? respondent nonnulli, solum tempore gravis tentationis, nam obligare quotidie est nimis durum, imo semel in hebdomada. Cæterum potius est durissimum orationem differre; dum adest gravis tentatio vix assuetis orationi conceditur orare, dum vehementer rapitur appetitus, quid faciet qui rarò orat? *num.* 414.

Qui sine attentione recitat offic.divinũ non peccat; qui ommisit hoc anno recipere Sacramẽta potest integro alio differre,& alia hujusmodi, quę potest quis facere utendo probabilitate quadam: quomodo illis erit jugum Christi suave ommittendo ea, per quæ debet recipere auxilia & robur ad præcepta adimplenda? *num.* 414.

3 Quis dubitat dilectionem legis, & ejus æstimationem illam facere levem? Huic autem non parum præjudicare videtur modus loquendi in via sententiæ benignæ; plerique enim vel ipsam legem Dei intra odiosa reputant, applicantes regulam: *Odia restringi &c.* Constituentes litem inter illam, & hominem, hunc ut reum, & illam actorem, quæ si non probat, cedit. *num.* 416.

Dices. Probabilistæ sunt verè pii & eruditi, potius commendant exercitium virtutum &c. Resp. quod in dictis nolumus attribuere illis contrariam intentionem efficiendi,scilicet, jugum Christi durum: sed tamquam homines falluntur; & dum intendunt vitare peccata, contingit contrarium, & redi jugum Christi in plurimis difficillimum, attenta humana propensione ad libertatem, & commoditatem. *num.* 417.

4 Ante annum 1570. non fuit cognitus usus licitus opinionis probabilis minus tutæ relicta probabiliore. Nunquid per tot sæcula fuit jugum Christi durissimum? *num.* 418.

§. IV. *Jugum Christi D. & ejus mandata faciliora fiunt non auferendo, sed addendo.* *num.* 418.

Paradoxum videtur. Nam præceptum est Deuter. 12. *Nec addas quidquam, nec minuas.* At certum est humanã fragilitatem regulariter deficere minuendo, non addendo in materia obligationis. Nihilominus in lege Dei per aliquas additiones quis dubitat fieri jugum Christi suave, & mandata ejus leviora? D.Augustinus. *Porta ergo pennas pacis, alas accipe Charitatis; hæc est sarcina, sic impletur lex Christi* S. Bern. *leve Salvatoris onus, quò crescit amplius, eò portabilius est*. Uterque ponit exemplum in plumarum numerositate avium. Et late prosequuntur. *num.* 419.

Idem docet Doctor Seraphicus, super illud, *veritatem tuam nimis*. *num.*420.

2 Quid facit agricola dum vult aliò portare magnam quantitatem frumenti? addit bobus plaustrum,& huic gravis ponderis rotas: & sic in aliis pluribus. Cuinam non contingit plerumque sentire tentationis pondus gravissimum. Non aliter levius portavit vincendo, nisi antea multiplicando dilectionem Dei orationem &c. At velle ad pauca obligare, dilatare conscientias opinionibus minus tutis, & minus probabilibus, licet in principio videatur fieri jugum Christi suave, in vitæ progressu difficillima occurrunt, quæ si additione quisque non prævenitur, portare difficillime poterit. *num.* 421.

3 Judicium ultimum futurum esse valde strictum, sacra pagina, & SS.Patres verbis ponderant exquisitis. Illa discussio fiet non aliter nisi per regulas, & leges ab ipso Deo latas: ergo strictæ sunt, salva semper ratione. *num.* 422.

§. V. *Objectionibus respondetur*.

Quid dicendum ad id quod nobis objiciunt Auctores benigni: Viam nostri modi dicendi esse difficillimam in praxi, & fere impossibilem, innumerabilibus scrupulis, & anxietatibus expositam. Resp. Ubi in hac vita excogitari potest via salutis, ubi desit difficultas, & occasio scru-

ſcrupulorum, & anxietatum? In via probabiliſmi? Non ita reſpondit Clemens V. Sed quod: *ad vitandos graviter remorſus conſcientie, pars ſecurior eſt tenenda?* Quiſnam ex Sanctis, & juſtis non patitur ſcrupulos, anxietates, & difficultates in hac miſera vita? *num.*423.

Nec datur difficultas, vel impoſſibilitas quæ viæ noſtræ ſententiæ attribuitur: eò, quòd dicamus eſſe recurrendum ad Pontificem juxta cap. 12. Deuteron. Dicimus, quod qui diſpoſitioni illius, & expoſitioni D. Th.; & aliorum graviſſimorum Authorum non vult ſtare, non contendat nobiſcum. Deinde, cum dicamus eſſe amplectendam ſententiam probabiliorem, in qua regulariter veritas reperitur, non eſt neceſſarius frequens recurſus ad Pontificem; ſecus in ſententia benigna, quæ eſt indifferens ad verum & falſum, ad bonum & malum, ut declaret ubi eſt veritas. *num.* 424.

Articulus V. *An licitus ſit uſus opinionis minus probabilis, & minus tutæ, attentis Sacris Canonibus.* *num.* 427.

§. I. *Valde utilis, & neceſſaria eſt Theologo Sac. Canonum notitia.*

Quam maxime habendam eſſe rationem Sacrorum Canonum docet Cœleſtinus Pontifex. In illis continentur principia moralia præcipua, & plurimæ deciſiones caſuum particularium, quibus miniſtratur doctrina pro aliis occurrentibus. Ideò Theologi antiqui morales nitebantur præcipuè Sac. Canonibus. Quanta ſit horum ignorantia pluribus Theologis, quantum neceſſarius & utilis eorum ſcientia ad dirigendas conſcientias, latè docet Theologus ille inſignis Melchior Cano, & ſimiliter doctiſs. Card. Turrecremata. Et etiam D. Antoninus. Si magna ſeges opinionum, quæ etiam in lingua vulgari multi ſeminarunt, ad Sacr. Canonum principia & regulas Eccleſiaſticas reducerentur, inſufficientia earum, immo & falſitas appareret: ſed contenti ſunt una ratiuncula, & multoties abſque ulla. *n.*427. *& ſeqq.*

§. II. *Secundum Sac. Canonum deciſiones non eſt licitus uſus opinionis æquè, vel minus probabilis, & minus tutæ.*

1 Secundum Regulam juris 45. in 6. *Inſpicimus in obſcuris, quod plerumque fieri conſuevit.* Quæ etiam in foro animæ locum habet *Dominentur nobis regulæ, non regulis dominemur*: ait Papa Cœleſtinus. Plures Canonum interpretationes in libris conſpicimus, quibus potius Sac. Canonibus dominatur. Sacri Canones ordinant & ducunt ad vitam æternam. Item, hæc regula non fundatur in falſa præſumptione: unde forus internus & externus conformantur.

2 Deinde in Cap. Capellanus de feriis reſpondet Pontifex ſequendo ſecundam ſententiam *quia meliori, & ſubtiliori nititur ratione*. Et in Clementina Un. §. ult. de Sum. Trin. *opinionem ſecundam .... tamquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiæ magis ſanam, & conformem Sac. approbante Concilio duximus eligendam.* Hi Sacri Canones ideo ab Eccleſia proponuntur, ut eis conformemur, & immitemus. *num.* 432.

3 Denique: Lucius III. & Innoc. III. determinant, in dubio valoris matrimonii contracti eſſe debitum redendum, ſed petere non eſſe licitum. Ubi in caſu adeo urgenti non recurrunt ad poſſeſſionem pro libertate, ſed ad vitandum animæ periculum, quod eſt contra præcipuum fundamentū probabiliſmi. *n.*435.

Articulus VI. *Qualiter intelligenda ſit illa juris regula*: In dubiis tutior pars eſt eligenda. *num.* 438.

§. I. *Fere ſemper diſcordamus ab obligationibus per defectum.*

Habemus ex Evangelio; *Quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, hoc & vos facite illis*: quod idem eſt ac principium naturale: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris.* Habemus etiam doctrinam de imitatione Chriſti, abnegatione propria, & quęrendo Regno Dei ſub obligatione. Circa hæc principia quis non cognoſcit nos ut in plurimum deficere? Cum autē ex defectu in principiis oriatur neceſſario defectus in concluſionibus, ſit quod majus periculum adeſt in laxando circa præcepta, quam in reſtringendo. Quod ex conditione naturæ noſtræ, ex Philoſopho, & Sacra pagina comprobatur. *num.* 438. *& ſeqq.*

Hæc prænotare voluimus pro modo interpretandi hanc regulam juris, & etiam pertractandis, & resolvendis dubiis moralibus in omni materia. *ibi.*

§. II. *Tutiorem partem in dubiis est de obligatione in jure Canonico.* *num.* 440.

Constat ex Clement. exivi de paradiso de verb.signif. *Attendentes quod in his, quæ ad animæ salutem respiciunt, ad vitandos graviter remorsus conscientiæ, pars securior est tenenda.* Et in cap. ad audientiam de homic. *Cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem &c.* Et in cap. significasti il 2. eod. tit. *Cum hoc casu cessare sit tutius quam temere celebrare, pro eo quod in altero nullum, in reliquo magnum periculum timeatur*; Ubi gl. *in dubiis ergo viam debemus eligere meliorem*. Idem decernitur in Cap.Petitio eod. tit & in Cap. Illud de sent. ex com. idem statuitur: *Quia tamen in dubiis via est tutior eligenda, debebat &c.* Quid clarius & tot decisionibus. *num.* 440.

Idem in Cap. Juvenis de Sponsal. *Quia in his, quæ dubia sunt, quod certius existimamus tenere debemus*; & gl. *in dubiis semper tenendum quod securius.* *ibi.*

§. III. *Excogitate evasiones ad hos Canones.* *num.* 444.

1 Dicere quod loquuntur in dubiis facti, est contra dictam Clementinam, quæ expræsse loquitur de dubiis juris, seu regulæ, & idem in d. Cap. Illud. Deinde quia ideo in dubiis facti habet locum regula, quia latet veritas, & temere operans ageret: hæc autem etiam habent locum in dubio juris. *ibi.*

2 Respondere regulam esse de consilio, est inferre textibus manifestam violentiam, siquidem utuntur non verbis permissivis, sed obligatoriis. *num.* 445.

3 Restringere decisiones prædictas ad casus in illis expræssos, est etiam violentum, tum quia utuntur verbis obligatoriis, & propter vitandum periculum peccandi, nec in illis invenitur vestigium novæ legis, sed recurrunt ad regulam, tanquàm ad principium naturale. *n.*446. *& seqq.*

Quomodo componitur esse adeo regulam obligatoriam cum alia *in dubio, seu in pari causa melior est conditio possidentis*? Resp. regulam de possessione habere locum solùm in materia justitiæ, de quo infra: & quia in hac materia adest hoc privilegium, ratione illius cessat dubium. Secus, in aliis materiis. Et quare non dicis regulam de possessione esse consilii? *num.* 448.

§. IV. *Probatur ratione tutiorem viam in dubio esse eligendam.*

Prædicta regula est principium naturale fundatum in illo; *Qui amat periculum, in illo peribit*: qui sic operatur habet hunc actum: *Sive detur lex, sive non: sic volo operari*: in tali dubio dictamen conscientiæ non est rectum juxta Apostolum; *quod non est de fide peccatum est*. Est contra legem amicitiæ, servitutis & obedientiæ debitæ Supremo Domino, sicut esset in humanis. *num.* 449.

Dicere. Hæc habere locum in dubiis negativis, secus in positivis, seu probabilibus opinionibus; nõ satisfacit: nam. Secundũ D.Th. (de quo supra) in æqualitate pro utraq; parte motivorũ intellectus manet dubius, nec habet, saltem prudenter ad quam partem inclinet: Si aliqua est probabilior, jam non est in dubio. Et constat ex cap. Litteras de probationibus, ubi in æqualitate testium, si ex aliqua parte non datur ratio specialis, remanet dubium: Sic etiam in æqualitate rationum. Et constat ex eò, quod contingit in rebus humanis etiam parvi momenti: Quis in dubio se exponit alicui detrimento si alia majori utilitate non judicat sibi compensari? quanto magis in rebus ad animam pertinentibus, & ad legem & voluntatem divinam, debemus vitare periculum. *num.* 450. *& seqq.*

§. V. *Objectiones contraria, & concordantur regula de tutiore parte sequenda, & de favendo reo.* *num.* 452.

Quid dicendum ad Cap. Ex parte de Censibus. Ubi deciditur in quodam casu decimas solvendi, non tutius sequendum, sed in dubio in minore mensura esse solvendas? Resp. Non fuisse decimas, sed vota gratuita ab initio, quæ benignius ab Ecclesiasticis sunt exigenda, ne videantur lucris temporalibus inhiare. *ibi.*

Et quid ad Cap. Cum venerabilis de consuet. Ubi Abbas dimissa prælatura ad aliam

(contra probabilistas dicentes, potest, & non potest). Si ergo nituntur adductæ propositiones fundamento levi, seu tenui, earum probabilitas est tenuis quam rejicit Pontifex: ergo rejicit modum, quem admittit probabilismus. *num.* 462. *& seqq.*

Item. Judex videns æquales probationes pro utraque parte, si solum ponderat unius motiva, non esset plane iniquus, licet probationes utriusque seorsim sumptæ essent graves, & plenæ? tamen comparative elliduntur. In tribunali conscientiæ intellectus est Judex, non ergo aliter debet se habere. *num.* 465.

2 Probabilitatem esse tenuem, & esse ejus usum licitum non compatitur cum Pontificis decreto: & tamen talis probabilitas in sententia benigna est simplicitèr,& absolutè talis: non ergo compatitur cum decreto probabilitas, quam admittit sententia benigna. Probabilitas tenuis non exitur à finibus probabilitatis, hi autem fines, sunt genus & differentia; qui autem participat genus & differentiam est simpliciter tale: ut parvus homo: & tenuis quantitas. *num.* 466.

§. II. *Expositio decreti Pontif. aliquorum recentiorum confutatur.* *num.* 467.

Dicis: Opinionem tenuè probabilem non esse vere probabilem, sicut habens tenuem prudentiam, non est absolutè, & verè prudens. Contra. Non debes sumere opinionem cum suis fundamentis absolutè, & separatim, sed respectivè ad alterius fundamenta; & hoc modo opinio tenuis probabilitatis non est vere probabilis: & ita in sua vi manet probatio §.præcedentis.Et instatur in suo exemplo. Quilibet justus & timoratus est prudens absolutè: sed compara illum ad prudentiam D. Pauli, ad justitiam S.Jo: Bapt. Absolutè poteris dici Theologus: sed comparative ad SS. Augustinum, & Doct. Angelicum poteris dici Magnus? est differentia quod hîc non eliduntur termini comparati, secus in opinionibus, de quibus est sermo propter oppositionem. *num.* 468.

Sed quid dicendum de evasione, seu interpretatione Decreti, quod loquitur de opinionibus solùm probabiliter probabilibus? Esse singularem constructionẽ ly termini, *tenui*: nec invenitur hucusque in aliquo dictionario.Contradicit aperte probabilismo: in quo idem est *probabile, & prudens: idem probabiliter,ac prudenter*. Et sic esse, *probabiliter probabilem idem ac, prudenter prudentem*. Unde opinio quę talis est, quomodo in via probabilismi ejus usus erit illicitus.

Deinde ex hac responsione sequitur esse rejectam sententiam benignam,nam plurimi viri pii, & sapientes propugnant opinionem illam, quæ respectu hujus intellectus est minus tuta, & æque, vel minus probabilis respectu illius intellectus non esse probabilem. Et sic tantum erit probabiliter probabilis, & illicitus ejus usus. *num.* 472.

§. III. *Argumenta aliquorum recentiorum solvuntur.* *num.* 473.

Nunquid hoc ipso, quod damnata est hæc tertia propositio, & in decreto contenta, nec de sententia benigna mentionem fecerunt, tacite insinuarunt esse doctrinam sanam? Resp. neg. Nam Innoc.XI. expresse in suo decreto asserit per condemnationem illarum nullatenus alias intendere approbare. *num.* 474. *&* 475.

Dicis: damnatio harum propositionum est odiosa; & cum sit dubium an tangat sententiam benignam, & sit quasi reus, nullatenus debeat privari indemnitate, & securitate. Resp. negando esse odiosam damnationem,sed valde proficuam, & favorabilem animabus; siquidem intendit vitare illarum perniciem; & ita etiam dum dubitatur an aliqua doctrina in damnationis decreto contineatur, debemus illam vitare: nam hoc ipso est dubitare an praxis illius sit pestifera, & exitialis, an sana, & tuta, in quo quis existimabit favendum esse tali doctrinæ? Si prohiberetur, ne quis in hoc loco recipiatur incola alterius, in quo grassatur pestis, in dubio an esset peste infectus, reciperetur? Hinc deduci potest quo fundamento nonnulli exponentes dictas propositiones, dum dubitatur de illarum sensu, recurrunt ad præfatum principium: *Damnatio est odiosa, & restringenda &c.* *num.* 477.

Notandum me in dictis non intendere esse da-

damnatam sententiam benignam, sed quod non sit tuta, & quod erit vitanda. *num.* 478.

Articulus IX. *An doctrina recentiorum probabilistarũ consistat cum decreto Innoc. XI. damnãte 2. propositionem de Iudice? n.* 479.

§. I. *Quibusdam suppositis resolvitur dubium negative.* *num.* 479.

Sententia; (*posse Iudicem ferre sententiam secundum opinionem minus probabilem*) orta est post probabilismum. Nam Sanchez, Diana, & alii soliciti in allegandis pluribus Authoribus, citant Medinam, Aragon &c. & nullum antiquiorem. Coacti enim sunt sententiam de Judice defendere, ut salvarent principia probabilismi: *qui operatur probabiliter, operatur prudenter &c.* *num.* 479.

Deinde not. in sententia benignorum, dum hincinde controvertitur casus, an in lege conprehendatur, si est probabile, deficit re ipsa lex. *num.* 480.

Resolutio dubii negativa prob. ex hoc decreto. Et pone Petrum consultorem in casu asserto existimare probabilius dari obligationem restituendi, & respondisse Joanni non teneri, quia habebat pro se opinionem minus probabilem. Recte respondisse, ait probabilista. Sed Joannes vocatus est pro eodem casu ante Judicem: qui idem dictamen habet, ac Petrus, dedit etiam sententiam pro eodem Joanne sequendo opinionem minus propabilem: recte & juste ne judicabit? Minime. Ergo nec Petrus. *n.* 481. *& seq.*

Deinde forus internus, & externus debent conformari, dum externus non fundatur in falsa præsumptione, ut ipsi probabilistæ etiam consentiunt: hîc autem talis præsumptio non adest: ergo. *n.* 482.

§. II. *Responsio communis refellitur.*

Respondere Judicem teneri ex pacto cum republica, non est ad rem. 1. quia non est ubi sit tale pactum: sed tenetur ex jure naturali, & divino. 2. Aliàs Judices Ecclesiastici; qui à Deo habent potestatem, non comprehenderentur in prohibitione. 3. Absurdum est rempublicam pro rebus caducis, & parvi momenti obligare Judices ad probabiliora, dum Deus non obligasset pro lege sua adimplenda, sed solum exigere probabilia, licet minus. 4. finis judiciorum est, quod reipsa unuique tribuatur, quod suum est: unde si est jus majus, (quod contingit, dum est probabilius,) Judex ex jure naturali, & divino ad hoc sequendum tenetur. Et omnes tam Juristæ, quam Theologi ante ortum probabilismi ita censebant. Et probatur ex Exodo cap. 18. Et ex S. Ambrosio, & D. Th. & ex illa regula *in obscuris &c.* *num.* 483.

§. III. *In principiis sententiæ benignæ frustratur damnatio opinionis 2. de judice.*

In casu §. 1. posito, de legato relicto in testamento minus solemni, Judex probabilius judicat hæredem obligatum solvere: sed hæres habet pro se opinionem, licet minus probabilem: unde lex obligans illum non est sufficienter promulgata in sententia benigna, immo non datur lex: ergo Judex debet absolvere, quem nulla lege obligatum invenit. Et sic in aliis similibus casibus. Frustratur ergo damnatio opinionis de Judice. *n.* 487

Dicis: respectu Judicis non est practice probabilis opinio pro hærede. Bene. Ergo etiam in tribunali conscientiæ; nec datur apta disparitatis ratio. *num.* 488.

Dicis: respectu Judicis, si opinio minus probabilis est, verisimilius est esse falsam, & sic datur periculum de facto damnificandi proxim. recte ergo in materia legum versantium circa justitiam licitus non est usus opinionis minus probabilis, circa restitutionem, contractus &c. Dicere autem Deum esse incapacem alicujus mali, & sic nihil interest, id, aut aliud facere, si probabile sit; non videtur hoc bene audiri apud Deum timentes, & amantes. Nonne non offensa est malum Dei? & vitandum ejus pericumlum? *num.* 489. *& seqq.*

Ex damnatione propositionis, & ex dictis colligitur quid dicendum de locutionibus, quibus probabilistæ carpunt probabilioristarum sententiam, *esse rigidam, redere jugum Christi durissimum* &c. eò quia inter tot opiniones morales difficile est discernere, quænam sint probabiliores. -- Cæterum non minor, sed major est numerus opinionum in juris prudentia: & tamen nequit dici durissimam imponi judicibus obligationem

apud illos probabile reperitur, jam ejus usus licitus est: at D. Augustinus expresse ait, quod probabilia, quæ impugnat, apud sapientissiomos Judices defenduntur: ecce viros sapientes: ergo impugnat probabilitatem, quam assignat pro recto usu sententia benigna. *num.* 528.

Replicas. Crimina, quorum probabilitatem rejicit August. erant apud omnes manifesta peccata. Negatur; cum apud sapientissimos Judices contrarium existimabatur. Honestabantur aliquo colore, aliquibus apparentiis vestiebantur (uti solet fieri per ingenia subtilia) & alii videntes à sapientibus propugnari, putabantur probabilia, & licita. Nunquid non ita expertum est: Addeamus propositiones damnatas, ut usurarias, simoniacas, habentes homicidia licita in plurib. casibus; quæ à viris quibusdam probabiles, & earũ usus licitus propugnabãtur. Nec dicebant usuram, simoniam &c. esse licitas, imo tales propositiones à vitio liberabant, sed quadam palliatione, & colore. Et contingit in pluribus propositionibus, præsertim dum sunt minus probabiles: ergo impugnatione Academicorum etiam impugnatur modus opinandi recentiorum. *num.* 529.

Dices: D. Augustinus absolute loquitur de probabili, unde si probat, excludit omne, etiam magis probabile. Resp. S. Doct. reprobare probabile in genere, non vero tale probabile, contentus est enim majori probabilitate. lib. 1. de adulter. coniug. *num.* 532.

Articulus XII. *Quænam sit mens D. Thomæ circa usum opinionis probabilis. num.* 533.

Adeo expressa est pro nobis ejus sententia, ut supervacaneũ esset in dubium vocare, nisi propter interprætationem, & non raro ridiculam aliquorum. *num.* 533.

§. I. *Explicatur doctrina Ang. Doctoris ex quodlib. 8. art. 13. num.* 534.

Quæstionem, de qua agitur, tractat expresse quodlib. 8. art. 13. ut ex titulis appositis q. 6. (sub qua refertur art. iste:) ibi. *Tertio. Quando sunt diversæ opiniones de aliquo facto, utrum ille qui sequitur minus tutam peccet; sicut de pluritate præbendarum.* Adducitur articulus, & expenditur. *num.* 534.

Sufficiebant illa verba. *Aut ergo ille, qui facit contra opinionẽ Magistrorum... facit contra veram opinionẽ, & sic cum faciat contra legem Dei, non excusatur. n.* 537.

§. II. *Rejicitur responsio, & interpretatio junioris. num.* 540.

Ait: D. Thomam, dum docet peccari sequendo opinionem probabilem, si est contra legem, loqui de opinionis usu directæ; non vero dum ex illa fit reflexe judicium certum, & quod D. Th. admittat, & requirat judicium reflexum nequit negari, quia requirit certitudinem, quæ sine illo salvari non potest. Contra. Quisunquam vidit D. Th. habere in suis operibus aliquod vestigium artificii reflexi probabilismi? Certitudo quam exigis est solum moralis, ut supra, & infra traditur, & hîc plura ejus loca adducuntur, & S. Antoninus, Cajetanus, & omnes antiqui hanc certitudinem requirunt, & non reflexam, seu potius imaginariam. *num.* 540.

Item quodl. 9. art. 5. ait, *omnis quæstio, in qua de peccato mortali quæritur, nisi expresse veritas habeatur; periculosè determinatur.* Et hoc ait in illa quæstione accidere, in qua dabantur Auctores inter se contrarii. Idem docet magna ponderatione in procemio Opusc. de usuris. Quid hoc cum modo opinandi sententiæ benignæ? quid periculi, si adsunt Authores pro hac, aut illa parte? *ibi & num.* 542. *& seqq.*

§. III. *Objectiones contrariorum disolvuntur. num.* 544.

1 Quodl. 3. art. 10. ait D. Th. *Qui ergo assentit opinioni alicujus Magistri contra manifestum scripturæ testimonium, sive contra id, quod publice tenetur secundum Ecclesiæ authoritatem, non potest ab erroris vitio excusari*: ergo dum hæc non adsunt, excusatur, juxta illud: *exceptio firmat &c.* Resp. Non asserere S. Doct. quod ex aliis capitibus etiam excusetur; illud vero principium non habet locum, dum exceptio ponitur affirmative. Et contrarium esset S. Doctori injuriosum; nam in casibus adductis ex illo, non datur locus scripturæ &c. & tamen asserit non excusari: esse periculosum. *num.* 544.

Objic. 2. Mens D. Th. debet Venari ex intel-

æque vel minus probabilis, talis electio nec est ex fine Charitatis, aut alterius virtutis: sed regulaliter ex appetitu delectabili, desiderio alicujus commoditatis tẽporalis: non ergo electio seu assensus pręfatæ opinionis erit secundum veram prudentiam. Erit igitur secundum prudentiam carnis. *num.* 582.

§. II. *Ulterior probatio assertionis ex doctrina D. Th., & Salmanticen. num.* 583.

Ad judicium prudentiæ veræ requiritur intentio finis honesti, sanum consilium de mediis, & circumspectio, & cautio de circumstantijs, quorum si aliquid desit, non datur actus prudentiæ, ut docet Divus Thomas, & ex illo latè Salmanticenses: actus autem, qui verisimilius non apparet bonus, non habet hæc requisita, sed plura contraria, ut facile consideranti apparebit, nec nobilissimæ virtutes, ut synderesis, prudentia &c. ad illum concurrent, nec Deus illam approbabit: Nec ejus lex diriget. *à num.* 583.

Articulus IV. *Utrum judicium practicum debeat concordare cum speculativo, quando nulla adest ratio de novo ex parte obiecti.* 587.

Dubitatur an contractus A. sit usurarius: probabilius judicas esse talem, & consequenter contrarium esse falsum; an absque nova circunstantia, vel ratione possis suspendere hoc judicium, quod dicitur speculativum; & formare, quod est licitũ hic, & nunc, in quo consistit judicium practicum. Affirmant plures ex probabilistis. *num.* 587.

§. I. *Eligitur pars affirmativa, & auctoritate, & ratione probatur. num.* 588.

Respondetur debere in casu posito concordare practicum judicium cum speculativo. Refertur doctrina utilis pro decisione, ex Gennetto, Thom. Sanch. & alijs. *num.* 588.

Probatur 1. Tu assentiris in primis opinioni probabiliori, & non habes urgentiorem rationem, quod non sit usurarius: ergo necessariò debes judicare (si rectè judicas) esse illicitum: Nam est quasi catena; est usurarium: ergo a lege prohibetur, ergo illicitum, ergo peccatum, non enim possunt hæc separari. *n.* 589.

2 Supponitur, in primo judicio ponderasse omnia motiva, tam a ratione, quàm ab authoritate, & quod assensum tribuisti parti probabiliori: & consequenter judicasti contrariam falsam, nam juxta Divum Thomam, *duæ opiniones contrariæ de eodem, oportet esse alteram veram, & alteram falsam*: si ergo nihil fundamenti de novo tibi non occurrit, & remanent eadem motiva in memoria, implicat, quod varies judicium saltem rationabiliter. *Nequit enim fides alicui defferri, nisi quantum meriti habere perceperis.* Ex D. August. *à n.* 589.

Quid autem dicendum de quibusdem casibus, in quibus judicium speculativum fuit falsum, & practicum verum, ut accessus Jacob ad liam &c. *num.* 591.

§. II. *Ostenditur insufficientia responsionis ad instantias de venatore, medicina periculosa &c. num.* 592.

Sæpè in hac controversia afferuntur instantiæ ex modo se habendi homines in actionibus circa bona corporis, & res fortunæ. Ut in medicamento, de quo est probabile nociturum, de venatore, cui tres dicerent esse hominem, & alij tres esse feram, non posset in illam jaculare &c. Quibus respondent adversarij esse quid facti, & per hoc quod sit probabile, non vitari periculum, secus, dum est quid juris &c. *num.* 592. *& seq.*

Hoc explicat quidam, dicendo, quod quando in quæstione reflexa de (*an liceat*) affertur aliqua circunstantia, ex vi cujus resolutio quæstionis reflexæ nequit conformari cum resolutione quæstionis directæ, tunc non licet stare probabilitati directæ. v. g. licet sit probabile quæstionis medicinam esse salubrem; non valet: ergo ejus licitus est usus, quia superadditur lex justitiæ, *alteri non lædere.* Secus: si nõ superadditur: Ut si v.g. *probabile est, posse variari officium: ergo licitum est; valet. num.* 594.

Cæterum nedum est insufficiens responsio, sed potius ex ea confirmatur nostra doctrina. Supponamus opinionem illam, *posse divinum officium variari*, esse minus probabilem, vel æque respectu oppositæ. Tunc datur lex non se exponendi periculo peccandi: alia, *quod actio de-*

debet conformari cum lege æterna, & Divina voluntate; alia virtutis prudentiæ: *quod debet esse conveniens ultimo fini*. Debemus etiam in operationibus rectis inquirere veritatem: ex his rationibus etiam in rebus facti limitatur probabilitas opinionis directæ: ergo etiam in rebus juris; nec apparet vestigium disparitatis. *à num.* 595.

§. III. *Difficilis obiectio proponitur, & enodatur.* *num.* 599.

Hæc consistit in eo, quod in rebus facti adductis, etiam si multo probabilius sit. v. g. non esse lupum, medicinam esse salubrem &c. non est licitus usus talis probabilitatis. Undè vel nimis, aut nihil probant hæc exempla. *num.* 599.

Respondetur negando antecedens, & consequens, si intelligantur dum aliquid est probabilius respectu voluntatis. Itaque sicut in rebus pertinentibus ad res facti imputatur violatio legis formaliter, dum adest periculum damni illius, seu violandi legem circa proximum; Ita in alijs materijs, dum datur violationis legis periculum, etiam imputatur ad culpam non cavere periculum; Et etiam sicut est licitum uti opinione probabiliori, seu probabili subiective, vel dum datur certitudo moralis in materia aliarum virtutum, pariter dum hoc modo datur opinio in rebus ad proximum pertinentibus. Quod qualiter est intelligendum, & quomodo legitime componatur hæc doctrina fuse discutitur. *à num.* 600.

Articulus V. *Ex eo quod contingit in quæstionibus facti resolvendis, an recte inferatur, idem dicendum in resolutione quæstionum juris.* *à num.* 608.

§. I. *In quæstionibus facti motiva utrinque probabilia æqualiter, nulli parti tribuunt probabilitatem practicam.* *ibi.*

Adeo est commune hoc inter authores tam Theologos, quam juristas, quod tamquam principium supponitur, ex textu in capite ex litteris de probationibus. Duo viri cordati dicunt tali hora vidisse sepeliri Petrum Hispali, & alij duo ejusdem qualitatis, & fidei eadem hora illum vidisse vivum Granatæ; quis judex, vel prudens assentiretur istis, aut illis. Inter probabilistas datur dissensio. Alij enim docent motiva probabilia in casu nostro utrique parti tribuere probabilitatem; sed intellectum utrique assentiri non posse, saltem minus tutæ: sed negant ex hoc inferri idem esse dicendum in quæstionibus juris. Alij vero negant ex motivis probabilibus tribui probabilitatem utrique parti, sed quæstionem relinquere omnino in dubio: negant etiam ex hoc idem dicendum inferri in quæstionibus juris. Quid ergo dicendum? *num.* 608. *& seq.*

§. II. *Ex eo quod contingit in quæstionibus facti, idem concluditur esse dicendum in quæstionibus juris.* *num.* 610.

Cur in quæstione facti intellectus debet suspendere judicium, vel saltèm non assentiri parti minus tutæ: nisi quia motiva æqualia ad invicem eliduntur? 2. quia impossibile est prudentèr illis credere. 3. quia necesse est authores hos, vel illos falli, & nescitur in qua parte est veritas: si recurras ad imperium voluntatis in casu nostro, non habet locum, ut fateris. Hæc omnia urgent manifeste in quæstionibus juris: ergo idem dicendum. *num.* 610.

Respondet quidam Neothericus, recurrendo ad experientiam: dum quis est, ait, in æquali dubio, vel probabilitate facti, heræt anceps intellectus; secus in juris quæstionibus. Quis non videt insufficientiam? etenim experientia non est medium, nec praxis ipsa inveniendi veritatem: Habes in tali casu praxim absolvendi, sed unde tibi constat non errasse? forte non deberes absolvere. Si hoc motiuum conduceret ad bene regulandam conscientiam; quid dicendum de Hæreticis, Mahomettanis &c. Qui habent experientiam, & facilitatem resolvendi in suis erroribus, non imputabuntur? *num.* 611.

§. II. *Ulterius refellitur voluntaria disparitas &c.* *num.* 616.

Iterum citatus Neothericus recurrit ad experientiam pro ratione disparitatis. Ponit primò casum facti in Salomone, qui non potuit non esse dubius, usque dum habuit illam præsumptionem pro vera matre. Secundo ponit casum juris in ju-

judice, qui ratione opinionum oppositarum manet dubius; Consulit Theologos, alij dicunt debere stare pro parte affirmativa, alij pro negativa: hìc judex jam facillimè adhęret parti cuilibet, quia pro utraque habet motiuum prudens. Hæc ille. *num. 616.*

Quis non advertit hîc petitionē principij, nec dari apparentiam disparitatis? Si inquiratur à judice, quare adhæret huic parti, & non alteri? Si prudenter respondet, diceret, quia ibi magis sibi apparet veritas, non diceret, quia sic volo. Idem in homine cordato, erudito, & prudenti; interrogatus, cur propugnat, ut suam, hanc opinionem? idem responderet. Nullus enim adhæret suæ opinioni, nisi quia existimat veram, & oppositam falsam. *à num. 617.*

Verum est quod facilius assentimur in quæstionibus juris, quia leges sunt universales, magis fixæ & notæ, & sic intellectus facilius potest veritatem investigare; secus in quæstionibus facti, quia facta sunt particularia, & contingentia, & varia; & sic in eis magis latet veritas. *num. 620. & seqq.*

§. IV. *Præcipuum argumentum, cujus occasione doctrina amplius declaratur.*

Præcipua argumenta pro contraria sententia reducuntur ad hæc. Quia opinio, si est probabilis, nititur gravi fundamento, & sic non temere quis ex ipsa operatur. Deinde quia, nixus tali motivo & opinioni licet minus probabili; sequitur regulam rationis,& sic operatur prudenter. Præterea: ut fundamenta gravia dicantur, sufficit quod in apparientia sint talia, & habeant vim movendi intellectum: cum veritas non possit inveniri: opinio autem licet minus probabilis habet gravia fundamenta absolute; sicut materia, seu quantitas est gravis,licet detur alia major. *num. 622.*

Ad hæc satis constat ex dictis supra: Negatur in casu argumenti esse grave fundamentum, quia eliditur ab alio graviori, vel equali. Et sic nec sequitur regulam rationis, nec prudenter operatur, nec in apparientia sunt fundamenta gravia, sed tenetur amplius inquirere veritatem. Et si non invenit motivum gravius resolvendi, ex suppositione, quod velit operari, debet partem tutiorem sectari: & sic veritas pro lege adimplenda invenitur. Ad illud, *quod quantitas est gravis, seu magna, licet detur alia major*; Si sumatur respective; & posita utraque in statera, falsum est. *mum. 623. & seqq.*

§. V. *Concluditur, quod, quando occurrunt duæ sententiæ oppositæ æque propabiles, neutra potest esse regula conscientiæ. num. 625.*

Intellectum non posse simul, nec divisive assentiri, (saltem prudenter) utrique parti oppositæ; probatum jam est: ex quo fit: Utramque non posse esse regulam conscientiæ. Et insuper; per id, quod est manifeste falsum, nequit recte regulari conscientia: sed utramque oppositam esse veram est manifeste falsum: ergo &c. Deinde dum forma repugnat indeterminate uni ex duobus extremis oppositis, repugnat cuilibet attribui determinate: si v.g. necesse est Petrū vel Paulum esse ignobilem, nequit absque mendacio dici determinate Petrus est nobilis; & idem de Paulo. Hoc manifeste contingit in casu nostro. *num. 625.*

Quid agendum, dum quis est perplexus inter duas opiniones tenentes se ex parte legis, & sunt contrariæ? Ad hoc supra jam dictum es. Et hic. *num. 628.*

Quomodo adeo faciliter plerique assentiuntur opinionibus minus tutis, æque, vel minus probabilibus, si hoc esset contrarium recte rationi? Ad hoc etiam fuse dictum est supra: quia non attendunt ad veritatem objecti, ut est in se. Et propter assuetum, & educationem, & etiam ex infirmitate intellectus. *num. 629.*

Quid nobis vult dicere Apostolus illis verbis. *Si quis docet, & non acquiescit sanis Sermonibus D. N. Iesu Christi &c. nihil sciens*. Respondet ibi D. Th. à paritate corporis infirmi non habentis æqualitatem complexionis, *quia ad modica accidentia contraria læditur: sic in intellectu, quando homo non fundatur in veritate, incidit in errorem*. Ergo quid dicendum de his qui fundantur in probabilitate etiam minori, quæ magis accedit

do

docet ut à Deo efflagitemus directionem, & veram scientiam suæ voluntatis & legis. *num. 646.*

Idem ex jure Canonico, & Civili roboratur; si enim pro rebus caducis debemus inquirere veritatem, ut legibus vere conformemur: Cur non idem in tribunali conscientiæ? Idem ex D. Th. & D. Aug. *num. 648. & seq.*

Præterea: Homo elevatus ad ordinem supernaturalem debet quærere, & niti ad consequendam æternam Beatitudinem: & consequenter apponere media; Hæc autem alia non sunt, nisi inquisitio & adimpletio divinæ voluntatis, & conformitas nostræ voluntatis cum illa. *num.* 650.

Articulus VIII. *Utrum qui cognoscit opinionem minus tutam esse æque tantum, vel minus probabilem, illam eligendo, inquirat serio, & diligenter divinam voluntatem?*

§. I. *Respondetur negative.* *num. 651.*

Prob. ex D. Th. qui supponendo stare Auctores pro utraque parte, existimat dari periculum in resolvendo. Etiam ex jure Canon. & Scriptura Sacra (de quo supra) juxta quam debet adhiberi diligentiam circa veritatem ut in se, non prout iste, vel ille existimat: *Dirige me in virtute tua, & doce me.* *num. 652.*

2 Medium, quod debet inquiri ad finem, debet conducere ad illum consequendum: Qui autem sistit in opinione indifferenti ad violationem, vel non violationem voluntatis divinæ, qualiter se habet sequens opinionem minus probabilem, non ita eligit conveniens ejus adimplectioni: Ostenditur exemplis. *num.* 652.

§. II. *Enervatur evasio, & fundamentum adversariorum.*

Dicunt, quod adhærens opinioni probabili, habet bonam spem se conformandi cum divina voluntate, cum habeant motivum grave, nec veritas sit invenibilis: & exempla in contrarium sunt circa factum. *num. 653.*

Resp. omnia hæc multoties esse rejecta; talis enim spes esset imprudens, cum sit æquè vel magis contingens non conformari cum voluntate divina, nec motiva sunt gravia; qualiter sit invenibilis veritas potius ad SS. Patres debemus attendere adducitur D. Chrysost. *n. 654.*

Articulus IX. *Uti opinione æque, vel minus probabili contra legem non est conforme ad divinam voluntatem.*

§. Unicus. *Probatur assertio.*

1 Ex doctrina SS.PP. & præsertim D.Th. de quo satis supra. 2. opinio æquè, vel minus probabilis, non magis concordat divinæ voluntati, vel magis discordat; cum sit indiffers: vel si minus probabilis est, magis accedit ad falsitatem: Quomodo concordare potest? Sicut si in Republica esset mensura recta, cui aliæ deberent concordare, illa quæ huic esset indifferens haberetur tamquam discordans. Deindè ut conscientia concordet divinæ voluntati debet dictare, quod existimamus ipsam divinam voluntatem dictare. Sed imprudentissimè judicares voluntatem divinam, seu legem Dei dictare faciendum esse, quod est indifferens ad verum, & falsum, bonum, & malum. Unde mirum videtur plures assentiri esse necessariam prædictā conformitatem; & tamen propugnant usum opinionis de qua est quæstio. *num. 651.*

Ex quo refellitur illa doctrina asserens posse tali opinioni minus tutæ assentiri præscindendo à motivis oppositæ, vel ex imperio voluntatis: nam talis præcisio, nec imperium non variant, nec mutant Dei voluntatem. *num. 567.*

Pariter inutilia sunt principia reflexa vulgaria probabilistarum: nam quantumvis reflectant, nec variatur, nec mutatur divina voluntas. *num. 658.*

QUÆSTIO IV.

De principiis quibus reflexistæ suam sententiam demonstrare conantur. *n. 661.*

HUJUSMODI principia sunt 1. Sequens opinionem probabilem tuto operatur. 2. Insufficientia promulgationis legis. 3. Possessio pro libertate. 4. Ignorantia invincibilis. 5. Quod multi Doctores sentiunt, prudenter fit. *n. 662.*

Ar-

nendum duplicem modum regulandi conscientiam ex vi ejusdem principij. *num.* 688.

1. Utrùm qui apud se judicat opinionem A. esse falsam, sed apud alios probabilem sustineri, possit licite operari juxta illam? Respondetur negativè. Faceret enim hunc discursum: *Ego judico actionem hanc certò esse contra legem Dei, sed quia viri docti dicunt esse licitam, licet judicem falsum asserere, mihi licitum est actionem hanc exercere.* Si judex certo existimaret Æquum ad Petrum pertinere, & non ad Paulum, esset ejus sententia recta in favorem Pauli? Quid interest quod alteri sit probabile, si tibi non est. Ut enim ait Divus Augustinus: *Quomodo est istud, quod sequuntur, si non probatur probabile.* De quo alijs locis. *num.* 688. *& seq.*

2. Dum se offert dubium, estne licitus hic modus opinandi: non attendendo, nec judicando absolute de veritate obiecti, an verum, aut falsum sit, sed tantum an sit probabile; aut licet judices esse probabilius, quod sit falsum, suspendis judicium, & assentiris opinioni minus probabili, & non pro lege? Respondetur ita docere plures probabilistas; sed immerito. Intellectus enim est judex veritatis, & debet attendere, & considerare in suo tribunali utriusque partis merita, ut ferat sententiam. Suspendere namque tali modo judicium; quid aliud, nisi *noluit intelligere ut bene ageret.* Quo modo conformatur talis modus cum Divina voluntate? Perpendendum an in supremo tribunali approbabitur judicium, quod hujusmodi virtualiter fit: *sive hac actio bona, vel mala sit, sive illam prohibeat lex æterna, sive non, quia dicunt alij esse probabilem, illam elicio?* *á num.* 692.

Articulus II. *Utrum quando circa obiecti honestatem occurrunt opiniones utrinque probabiles, leges non sint sufficienter promulgatæ?* *num.* 696.

§. I. *Aliqua prænotantur pro dubij resolutione:* *num.* 696.

Quid est lex? Est ordinatio rationis in bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata. Ex Divo Thoma. Ad cujus obligationem requiritur imperium Superioris, & promulgatio, per quam tanquam regula hominibus applicatur. *num.* 696.

Differt à præcepto, quia lex fertur pro communitate, & sufficit quod publicatio ad singulorum notitiam veniat, vel venire possit, licet singulis non intimetur; præceptum fertur, & intimatur singulis, vel pluribus, ut singulis. *ibi.*

Quotuplex sit modus publicandi leges? est diversus juxta legum diversitatem. Lex Divina publicata est in æterno verbo, & scriptura libri vitæ æternæ, ad intra; ad extra per legem naturalem, quæ in Creatura rationali, dum anima creatur, participatur: etiam publicatur per scripturam, seu Biblia sacra; & per traditionem Apostolorum; & per legislatores humanos, aut ejus leges, quatenus à lege æterna habent vim obligandi. De publicatione legum Ecclesiasticarum infra dicetur. De legibus civilibus, juxta stylum cujusque Regni, status, aut Provinciæ. *à num.* 697.

§. II. *Quando datur opinio æquè, vel magis probabilis de existentia legis, licet opinio negativa sit minus, vel æquè probabilis, est satis nobis cognita, & obligat in actu secundo.* *nu.* 699.

Hæc assertio satis constat ex locis Scripturæ, sacris Canonibus &c. quæ supra adducta sunt. Deinde ex adducta ratione supra de conformitate debita conscientiæ nostræ cum lege æterna; & quod hæc dictat, nostra debet dictare; quomodo hoc habet locum, dum æqualiter existimas discordare, ac concordare, vel magis discordare? Præterea reflexistæ exigunt judicium practicum ultimum omnino certum: hoc autem non legitime potest inferri ex hac sua non publicatione: Siquidem illam refellunt non solum omnes probabilioristæ; sed etiam nobiliores probabilistæ. *à num.* 699.

Ulterius. Fere omnes probabilistæ existimant; casu, quo opinio pro libertate sit falsa in re, peccari materialiter; & sæpe ipsi eligunt opinionem probabiliorem stantem pro lege: Si autem datur opinio etiam minus probabilis, lex non est sufficienter promulgata, nec est

vere lex; certum est non dari peccatum, nec materiale, nec esse falsam opinionem aliquam stantem pro libertate; nec dari opinionem probabilem, immo nec probabiliorem pro parte legis, vt consideranti patebit. *num.* 703.

Hinc etiam fieret Consultores numquam posse respondere consulentibus, nisi juxta opiniones probabiles faventes libertati: peccarent enim imponendo obligationem, ubi lex non datur: Unde totum studium deberet esse in addiscendis opinionibus probabilibus libertati faventibus, ne imponamus onus sine legibus, & ne efficiamus jugum Christi durum, & importabile. *à num.* 704.

§. III. *Non est necessarium, ut lex obliget, quod singulis publicetur.* *num.* 706.

Circa legem Divinam æternam, jam facta est publicatio modo supradicto; & circa legem naturalem, dum Creatura rationalis, seu intellectualis à Deo creatur, quatenus in ipsa imprimitur, ut expresse docent D. Augustinus, & D. Thomas juxta illud: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*: verum est, quod ut in actu secundo, ut obliget, debet haberi notitia implicita, vel explicita. *num.* 706.

De lege positiva Divina in sacris Biblijs scripta, non est dubium esse publicatam sufficienter. Lex autem Evangelica, cum hæc proprie sumpta, sit gratia santificans cum donis, & Spiritu Sancti præsentia, solum datur in justis, & publicatur, dum quis justificatur; secundarium vero legis Evangelicæ consistit in verbis, sive in scriptis, sive in voce, circa credenda, & agenda; & jam hæc publicata sufficienter fuerunt per Apostolos. *Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum*. ad Romanos 10. *num.* 707.

De legibus Pontificijs, seu Constitutionibus Apostolicis, stylus est, quod *affixis in locis consuetis, omnes ita arctent, & afficiant, ac si unicuique intimatæ fuissent*: & cum hoc stare nequit, quod publicatio fieri debeat pro singulis. Præter quam quod raro disputatur, an sit lex publicata: sed an res sit contra legem, vel præceptum, de cujus existentia constat. *num.* 708.

§. IV. *Respondetur argumentis.* *num.* 709. 710. & 711.

Ostenditur non levia inconvenientia sequi ex motivis contrarijs. *ibi.*

Articulus III. *Utrum in Deo admittenda sit duplex lex, alia directa, & antecedens; altera reflexa, & consequens?* *num.* 712.

§. I. *Repugnat omnino ejusmodi duplex lex in Deo.* *ibi.*

Ut artificium probabilismi posset sustineri, & bonitas actionis regulatæ per opinionem minus probabilem posset lege æterna regulari, quidam recentior ponit in Deo duplicem legem, primariam, seu directam; & secundariam, seu reflexam. Per primariam Deus præcipit res absolute; per secundariam ex aliqua suppositione: nimirum, hoc ipso, quod detur ignorantia, vel opinio licet minus probabilis, licet alias esset ejus obiectum prohibitum per legem primariam, per secundariam approbatur, & redditur honestum, & similitèr operatio circa ipsum. *num.* 712.

Si quæras ex quo loco, aùt S. Patre talem legem extraxit; imò nec Theologum alicujus momenti adducit. Qua ratione probat? Explicatione harum legum est contentus. Videtur enim quòd ex suppositione, quod assumatur probabilismus, necesse est hìc recursus, & revera magis consequentèr videtur procedere, aliàs enim difficilimè componitur in illo conformitas cum lege æterna. Talis doctrina prodiit in lucem circa annum 1650. *num.* 713.

Probatur 1. nostra assertio negativa: æterna lex est immutabilis, ut cum S. Augustino, & D. Thoma assentiuntur omnes Theologi, ut in prohibitione juramenti falsi, ab intrinseco illiciti, quis dicet Dei legem mutari, & dum adest ignorantia, seù opinio falsa, jàm Deum illud approbare? Antequam damnaretur usus restrictionis mentalis, regularitèr dicunt probabilistæ fuisse licitum, & honestum, & sic lex reflexa illum regulabat: at posita damnatione extincta est hæc lex, & revixit directa: quid absurdius? *num.* 714. *& seq.*

Se-

Sequitur (id de quo art. præced. §. 3.) ſtante qualibet opinione pro libertate, nullam eſſe falſam, & omnes pro lege tales eſſe, nec dari peccatum materiale, incepteque auctores aſtruere probabiliores pro lege. *ibi.*

Confirmat Divus Auguſtinus, dum ait repugnare mendacia eſſe juſta &c. *num.* 716.

§. II. *Amplius probatur repugnare præfatam poſitionem.* *num.* 718.

Expoſitione talis legis ſequitur legem Divinam conſtitui intrinſece per notitiam privatam hominum, quia ante ipſam lex Divina eſt indifferens, ad id quod homo opinetur. Item lex naturalis, & actio, quę eſt intrinſece mala in Petro, non erit in Paulo, immo in eodem Petro, quod hodie eſt malum intrinſece, cras erit honeſtum, & econtra. Item talis lex reflexiva eſt contra jus Canonicum, contra ſtylum Pontificum, ſtatuentem obligare ante habendam notitiam, licet excuſari poſſint. *à num.* 718.

Sequitur, legem Divinam, & naturalem nõ eſſe in ſe determinatas, ſed expectare, quid cogitent, quid exiſtiment homines, & ſi hoc ſpectarent hujuſmodi leges, hominum judicia eſſent prima regula *num.* 710. *& ſeq.*

§. III. *Refellitur modus ſingularis, & abſurdus ponendi legem naturalem in Deo, & etiam poſitivam, & in aliis legiſlatoribus.* *num.* 722.

Ex dictis quatuor articulis præcedentibus colligi poteſt; quid dicendum de modo ſalvandi probabiliſmum cujuſdam recentioris noviſſimi. Docet nullam legem habere vim, & virtutem legis, nec in ſe, neque quoadnos, uſque dum ab homine in particulari ſit cognita. Sicut ſi Princeps haberet in ſcrinio formatas leges, & admoneret ſubditos, ſe nolle aliquo modo obligare, niſi illarum in particulari quiſque haberet certam, & indubitatam notitiam: & quod ſic ſe habet etiam ipſe Deus. Nullum auctorem pro ſe citat. *num.* 722.

Ita probat: hoc ipſo quod detur dubium ſecundum quid, vel opinio circa obiectum, manet libera voluntas eligendi quodlibet: nam in omni linea, ſive phyſica, ſivè morali, nullus effectus datur à parte rei, niſi detur cauſa certa: & ſic ut detur obligatio certa, debet dari ejus cauſa certa, quæ alia non eſt, niſi lex: Ergò dum hæc eſt ſub dubio, vel formidine, non datur obligatio; & hoc Deus vult, & quilibet Legiſlator. *num.* 723.

Sed facile impugnatur. Nàm 1. datur lex naturalis certa, ex vi cujus debemus actiones noſtras conformare legi æternę. 2. Ut Dei voluntatem non contemnamus. 3. Ut non exponamus nos periculo transgrediendi legem; prout ſupra fuſe manet probatum. Undè abſurdum eſt Deum illud requiſitum notitię certæ, & conditionem hominibus appoſuiſſe; imò nec ponere poſſe.

4 Circa Sacramenta, circa ſalubrem medicinam, circa vitandum proximi nocumentum, debemus tutiorem partem eligere, relicta contraria, etiam probabili: hîc eſt lex ſub dubio, aut opinione, & non eſt certa: & datur certa obligatio, & Deus illam ſuppoſitionem inventam à juniore, non facit? Quid dicis? idem dicemus circa leges in aliis materiis: Corruit ergo doctrina, & ratio junioris. Et inſtatur in Conſtitutionibus Apoſtolicis, ubi contraria ſuppoſitio, & declaratio fit. *num.* 726. *& ſeqq.*

Quid dicendum ad illud ſophiſma Caramuelis? Secundum antiprobabiliſtas, licitus eſt uſus opinionis magis probabilis: Sed eſt probabilius eſſe licitum uſum opinionis etiam minus probabilis. Ergo &c. *num.* 727. *& ſeq.*

Articulus IV. *De intelligentia regulæ.* In pari cauſa melior eſt conditio poſſidentis.

§. I. *Referuntur variæ ſententiæ.* *num.* 730.

Hæc regula habetur in ſexto. cap. 65. de jur. Probabiliſtæ in ejus explicatione ſunt diviſi, alii aſſerunt ſolum habere locum in materia juſtitiæ, in quo conveniunt communiter probabilioriſtæ. Alii verò, & communiter moderni probabiliſtæ habent illam in omni materia tanquam axioma indubitabile, ut ſic faveant libertati, pro qua dicunt eſſe poſſeſſionem. Alii admittunt ſolum in foro externo. *num.* 730.

§. II.

§. II. *Explicatur breviter natura dubii.*
Dubium definiturà D. Th. *esse motum rationis supra utramq; partem contradictionis cum formidine determinandi ad alteram.* *num.* 731.
Quidnam est iste motus rationis? Resp. esse actum intellectus, qui attingit immediate simul utrumq; extremum contradictionis, quatenus proponitur per motiva, & quia neutrum alteri sibi contrario notabiliter prævalet, intellectus non inveniens veritatem, manet suspensus. Ex D. Th. *ibi.*
An dubitare sit cum ratione? Resp. affirmative cum D. Th. & Arist. alias erit imprudens, nisi detur gravis ratio dubitandi. Unde dubium pure negativum, v. g. an astra sint paria, an Turca dormiat, non est proprie dubium; quia nulla apparet ratio pro una, nec pro alia parte: sed est pura nescientia. *num.* 732.
An dum circa idem dantur opiniones interse oppositæ, & intellectus non discernit, pro qua sint majora motiva, sed videntur æqualia, sit in statu dubitantis. Resp. affirmative: de quo actũ est supra. *n.* 734.
Articulus V. *Utrum in materia justitiæ habeat locum regula in pari causa &c.*
§. I. *Eligitur sententia affirmativa, & probatur.* *num.* 735.
Ita communiter tam Theologi, quam Canonistæ, tam in foro interno, quam externo, supposita bona fide. In utroque jure est expressum: in cap. ex litteris de probationib. cap. à sede deprædendis. l. peregre, l. possessio, l. fin. de acquir. possess. & ex aliis. Ex quibus deducta est præfata regula, posita in utroque jure titulo de regulis juris. Ubi plurimi interpretes, etiam ex Theologis. *n.* 735.
Prima ratio. Quia dum forum externũ non fundatur in præsumptione falsa, debet cum illo internum conformari: hic, est certum in foro externo favère possessionem, & non fundatur in præsumptione, maxime jus Canonicum, cum intendat salutem animarum, & peccata vitare, debet sic accipi, nisi detur manifesta ratio incontrarium, quæ in hypotesi nostra non adest. *ibi.*
2 *Possessio est jus insistendi rei non prohibitæ possideri.* Unde præbet aliquam causam retinendi rem, & semper affert secum aliquem titulum possidendi. *num.* 736.
Quænam sit radix, & causa, ob quam jura hanc regulam statuerunt? Resp. Jure gentium in ratione naturali fundatum ob convenientiam pacis, bonum regiminis; aut ab ipsa Republica consentientibus etiam singulis hominibus ita statutum est, ut vitentur lites, possessores pacificè res possessas habeant; sicut ob hoc introducta est usu capio, & præscriptio. Cum enim habeant homines dominium harum rerum, possunt de illis sic disponere. *num.* 736.
Nec valet instantia de eo, qui contraxit bona fide matrimonium, & postea dubitat, & non possidet: Sed ideo, quia usus matrimonii non est in hominum potestate, ut fiat licitus, vel transeat ad jus alterius, secus in aliis rebus. *n.* 738. *& seqq.*
§. II. *In materia justitiæ, dum opiniones sunt æque probabiles, etiam habet locum in foro conscientiæ regula de possessione. Ostenditur in consequentia probabilistarũ.* *n.* 740.
In consequentia in via probabilismi consistit in eo, quod ex una parte, in vi hujus, possessori Competit jus certum retinendi rem, & sic consultor nequit illi aliter respondere. Deinde ex aliis principis probabilismi, potest consultor possidenti respondere, quod non potest rem retinere, sed teneri ad restitutionem, utrumque licet interse oppositum, videtur ostendi. *num.* 740. *& seq.*
Assertio in §. posita prob. Primo, si possessor existimat dari urgentiora motiva notabiliter contra se, & pro alio, debet restituere rem: quia regula solum loquitur in pari causa, nec prodest illi opinio minus probabilis. Et ita in foro externo obligatur, cui conformari debet in conscientia, ut dictum est. *num.* 742.
Dum vero motiva sunt æqualia, habet jus certum ex hac regula; quia proprie casus est in dubio, ut supra actum est: nec alius, qui nonpossidet potest, illum perturbare, nisi habeat pro se urgentiora motiva, nec aliter Consultores possunt respondere. *num.* 743. *& seq.*
Articulus VI. *Utrum extra materiam justitiæ habeat locum regula de possessione.*
§. I. *Authorum placita referuntur.* *n.* 745.

plu-

Plures, & nobiliores probabilistæ, præsertim ex antiquioribus, negative respondent, & efficaciter probant, asseruntque standum alteri principio: *in dubiis tutior pars est eligenda*. Quibus omnes probabilioristæ consentiunt. Idē asserunt antiqui, qui præcesserunt probabilismo, & sic nullum ex istis refert Sanchez, qui pro nostra parte allegat 35. & inter illos D.Th. *num.* 745. *& seq.*

Et licet aliqui antiqui videantur dicere, quod in dubio non est necessarium tutiorem partem eligere, non est ob hanc regulam, sed ob aliam rationabilem causam, vel ob præsumptionem, quæ dubium dirimere potest. *num.* 747.

Quare cum adeo incertum sit hanc regulam habere locum in aliis materiis extra justitiam (imo certum videtur non habere locum) mirum quantam certitudinem arrogent suæ sententię juniores probabilistæ, cum non habeat aliam certitudinem, nisi ipsorum unanimis consensus, contra consensum omnium antiquorum, D. Thomæ, & S. Antonini, & multorum adhærentium etiam probabilismo. Unde videat, qui sincerè amat veritatem, quomodo ex tam incerto principio, & magis incerto ipso probabilismo, velint illi omnimodam certitudinem demonstrative tribuere. *num.* 750.

§. II. *Ostenditur debilitas fundamentorum asserentium: immo retorquentur in ipsos.*

Præcipuum fundamentum sumunt adversarii ex paritate justitiæ. Sed disparitas jam supra adhibita est, cum res de qua loquitur, sit posita in hominum dispositione; Secus in materia aliarum virtutum circa licitum, vel non licitum. Deinde lex justitiæ semper redit æquale, versatur inter personas æquales: at in aliis materiis controversia est inter Deum, & hominem, inter legem Divinam, & libertatem humanam: inter quas in dubio, vel pari causa, quem convenit potiorem esse? *num.* 751.

2 Fundant in voluntate humana habente dominiū in suas potētias, & actiones, unde quoties ipsis in his non limitatur, aut perturbatur per causam certam, quæ alia non est, nisi lex certa, debet in sua possessione sustineri. Cæterum hoc nimis probat, erat enim hæc doctrina Caramuelis in suo Apologem. merito jam damnato. Dicimus ergo voluntatem habere dictum dominium physicum ad bonum, & malum, non vero ad agendum moraliter, nisi in ordine ad illa, quæ nobis constat certitudine quadam morali non esse prohibita. *num.* 754.

3 Instant ex materia obedientiæ; tenetur quidem subditus obedire Prælato præcipienti, dum dubitat de honestate rei præceptæ, & non alia ratione, nisi quia possessio stat pro Superiore; & non est materia justitiæ. Sed retorquetur. Si in hoc casu tenetur subdubitus obedire in dubio, cur Deo in dubio obedire non debet? Quia prævalet auctoritas Superioris, tenetur subditus obedire; ergo etiam prevalere debet auctoritas Dei in dubio, an casus compræhendatur in lege. *num.* 758.

Deinde totus sillogismus conceditur, ita ut possessio stet pro Superiore, & ideo debet subditus obedire in hac materia obedientiæ; ergo si extra justitiam datur possessio, hæc non favet libertati, sed stat pro lege. *num.* 759.

§. III. *Probatur regulam de possessione non habere locum in aliis materiis extra justitiam.*

Licet voluntas habeat suam nativam libertatem, tamen in casu dubio non propter hoc mutatur divina volunatas, nec objectum morale, ut est in se: sed adhuc videt, vel debet videre homo actionem circa objectum esse indifferentem, ut sit difformis, aut conformis divinæ voluntati: ac proinde semper dubitat de libertate morali respectu talis actionis. *n.* 760.

Deinde dubia possessio in nihilo jubat possidenti: cum autem dubitatur de licito alicujus actus, dubitatur de possessione libertatis moralis, siquidem in dubio de licito impeditur à lege; ergo talis possessio non prodest. *ibi.*

§. IV. *Dato quod Regula de possessione habeat locum in materia aliarum virtutum, semper possessio stat pro lege Dei, & Divina voluntate respectu voluntatis creatæ. num.* 762.

Ratio ob quam debet subditus legi obedire Deo perse, vel suos ministros præcipien-

num. 773.

Hæc regula de possessione allegatur à probabilistis, non solum pro dubijs negativis, sed etiam pro probabilibus, seu dum occurrunt opiniones probabiles oppositæ: Ex quibus adhibito hoc principio de possessione pro libertate, colligunt esse certum legem non obligare: Quod extendunt, etiam si probabilior stet pro lege. Cæterum (dato, & non concesso) quod regula haberet locum, dum oppositæ opiniones sunt æque probabiles, non vero dum ex una adsunt motiva urgentiora; quia regula expresse dicit: *in pari causa &c.* Deinde probabilistæ expositionem suam probant præcipue ex paritate in materia justitiæ: in qua certissimum est, dum una pars habet pro se motiva majora, non stare possessionem pro contraria. *num.* 773.

Deinde ipsi multoties amplectuntur opiniones probabiliores pro lege: ergo cum possessio parti, cui favet, det jus certum, manifeste sequitur in consequentia; immo quod nulla opinio pro lege est probabilis. *num.* 774.

Dicis; dum sic loquuntur, loqui de opinione directa, nam si de reflexa vellent loqui, per hanc fit judicium certum de non obligatione legis. Inepte quidem, quia jam deseris principium possessionis, & recurris ad alia reflexa. Deinde instatur in vestra instantia materiæ justitiæ: Ubi per reflexas non potest tolli possidenti certumius; & per alia quæ dicuntur. *num.* 775. *& seq.*

Articulus VII. *Utrum ex vi opinionis probabilis detur in intellectu ignorantia invincibilis?*

§. I. *Dum pro parte minus tutæ non est probabilior, non datur ignorantia. n.*778.

Hoc est unum ex principijs reflexis probabilismi: nimirum; dum datur opinio probabilis, sive magis, sive æque, sive minus, adest ignorantia invincibilis; & ea propter quisque potest eligere, quam maluerit, & ex illa recte formare conscientiam. Non tamen omnes probabilistæ conveniunt; sicut idem contingit in alijs suis reflexis. Probabilioristæ vero docent nullo modo talem ignorantiam posse inveniri, dum solum operanti opinio pro libertate apparet æquè, vel minus probabilis; si vero appareat probabilior excessu considerabili, & in se est vera, honeste operabitur, si falsa, excusabitur a peccato formali, seu non imputabitur. Ita colligitur ex Scriptura, & Sanctis Patribus, & ita docent omnes authores antiqui, quibus incognitus fuit talis modus ignorantiæ inventæ à recentioribus, orto probabilismo. *num.* 778. *& seq.*

Est expræssa sententia Divi Thomæ, quia, ut detur ignorantia invincibilis, debet esse involuntaria, ut excusetur à malitia actio, quæ causa illius exercetur: Involuntaria autem nequit dici ignorantia; dum quis habet notitiam prævidens actionem esse indifferentem, ut sit bona, ac mala. Sicut in ludo, vel forte indifferenti, quis dubitat ammissionem pecuniæ, si contingat, non esse involuntariam. *num.* 779.

Deinde sola ignorantia antecedens causat involuntarium, & à malitia excusat: ut dum quis facta diligentia debita, nesciens aliquem transire per viam, aliquid proijciat, quo hominem ferit. Est exemplum Divi Thomæ: si autem haberet æquale fundamentum, vel majus, quod aliquis homo transiret, diceretur habere invincibilem ignorantiam, & excusari? Item videns mulierem, circa quam haberet æqualia fundamenta, quod esset coniugata, & soluta, & illam concupisceret, peccaret peccato adulterij: sic in præsenti. *num.* 780.

Alijs fundamentis, & exemplis roboratur, & explicatur. *num.* 781.

§. II. *Refellitur quædam distinctio malitiæ materialis, & formalis.*

Recursus ad hanc distinctionem vulgaris est apud probabilistas: sed mirum est, quod cum ab ipsis assignatur aliqua notitia malitiæ in obiecto, tunc non sit formalis. Unde ejusmodi distinctio huic puncto applicata, refellitur. *num.* 782. *& seq.*

§. III. *Fundamenta sententiæ contrariæ, quorum occasione nostra magis roboratur.*

Quidam Neothericus arguit; quia dum datur ratio probabilis, non tenetur quis ignorantiam fugere. 2. non potuit il-

lam absolute vincere. 3. quia ob rationem probabilem, licet dubitet, non tenetur ignorantiam vitare. *num.* 786.

Sed nullius momenti sunt, nec probantur. 1. tenetur ignorantiam fugere, ne se exponat periculo peccandi. 2. Potest illam vincere judicando actionem tunc esse illicitam practicè, & ab illa abstinere. 3. tenetur etiam ignorantiam, & actionem vitare, & scire tenetur operationem debere esse conformem Divinæ voluntati, & non exponendum peccandi periculo. *num.* 786. *&* 787.

Articulus VIII. *Ad regulandam conscientiam qualiter prosit recursus ad sapientes?* *num.* 788.

§. I. *Modus recurrendi probabilistarum, non ita facilis.*

Alius vulgaris recursus fit in via probabilismi pro resolvendis dubijs moralibus, in operando, seu consulendo. Aperiuntur nonnulli libri, invenitur apud quatuor, aut quinque auctores, quod desideratur. Jam actum est; sufficit ad honestè operandum, quidquid sit pro parte contraria dentur plura, & urgentiora fundamenta: jam habemus pro nobis viros sapientes, & plurimos asserentes, quod ita est probabile esse prudens, & licitum. *num.* 788. *& seqq.*

§. II. *Difficultas inveniendi sapientes unde provenit.* *num* 790.

Medium hoc ad veritatem inveniendam, & resolvendas quæstiones, sive circa fidem, sive circa mores, esse optimum, nos docet Divus Augustinus. *Sed hinc* (ait) *oritur difficillima quæstio; quonam enim modo stulti sapientem invenire poterimus.* Consonat Divus Bernardus. *num.* 790.

Quare in via probabilismi adeo facile occurrunt sapientes, in authoritate summistarum; in quolibet auctore morali, etiam in aliquo compendio, & non sic apud Sanctos Patres? Respondetur ex eodem motivo, seu principio. In illis, ex summa doctrinæ oppositione, & contrarietate nata est facilitas, & probabilismus, ut in eorum doctrina apparet. In Sanctis Patribus, ut etiam in Divo Thomaa constat, ex eadem oppositione, & contrarietate oritur difficultas resolvendi ob periculum errandi. *num.* 791.

Quantum velint plures probabilistæ hanc facilitatem per totum mundum extendere, & quantum periculi hoc afferat. *num.* 791.

Quomodo apud primates probabilismi defensores displiceat ratiocinatio recentiorum circa presens punctum. *num.* 792.

§. III. *Dum est æqualis contradictio, tunc neutri sunt sapientes.*

Qualiter quisque auctor, & qui aliquo tempore studio morali operam dedit, sibi videtur sapiens: & qualiter qui afficitur his, vel alijs auctoribus, illos judicat sapientes: An illi qui turmatim tanquam oves, vel aves alios sequuntur, debeant dici sapientes, & stylus illos citandi indiscriminatim, docetur. *num.* 794.

Auctores pij, & eruditi regulariter, & absolute dicuntur sapientes, quatenus docent plura salubria, vera & utilia ad animas dirigendas: maxime dum docent principia, & regulas morales tutas, & veras, & conformes doctrinæ Sanctorum Patrum. Etiã merito dicuntur sapientes, dùm sequuntur in dubijs particularibus solidis fundamentis opiniones, quæ communiter probabiliores habentur, & non inclinant magis ad favorem libertatis, & commodum carnis, & sanguinis, sed serio, & ex vero affectu attendunt ad legem Dei. *num.* 795.

Difficultas ergo est, dum ex utraque parte opposita datur æqualitas, itaut intellectus difficile discernat, pro qua sit major, sint aliqui, vel omnes, (circa dubium controversum,) Sapientes? Respondetur tunc nullum in illa re esse sapientem. *Deus enim est veritas* (Divus Augustinus) *Nec ullo pacto sapiens quis est, si non veritatem mente attingat*: & constat ex terminis, nam qui errat, quomodo sapit, nec sapiens verè est? In hypothesi autem nostra intellectus nequit existimare omnes attingere veritatem, cum necesse sit unam ex partibus esse falsam, & non potest discernere, & eadem ratione, neque hos, aut illos. *à num.* 795.

An

An missio ad Sapientes, si non designantur, vel in quibus non designatur adesse veritatem, sit inutilis? Et an idem sit dicendum de allegatione, seu reflexione, *hac opinio habet pro se plures sapientes*; Si non existimatur attingere, vel saltem magis accedere ad veritatem? Respondetur utrumque esse inutile ob rationem assignatam. Si judicas esse minus probabilem opinionem, minus veritatem attingunt. *à num.* 797.

An fiat iniuria auctoribus, etiam gravibus, dum se, (ut dictum est sese opponunt) dicere non esse sapientes? Respondetur negative; nec aliud dicimus, nisi quod Divus Augustinus nos docet, cujus authoritas late refertur. Iam modo dictum est qualiter dici possunt Sapientes, quia alias plures veritates docent. *num.* 798. *&* 799.

An hoc sit intelligendũ tam de probabilioristis, quã de probabilistis? Resp. affirmative. Ita quod si datur præfata æqualitas, idem est dicendum. Unde in auctoribus, qui aliàs admittunt viam probabilismi, in casu, vel casibus particularibus magis cum excessu accedunt ad veritatem, quam alij ex parte opposita (licet non admittant probabilismum) standum est magis accedentibus ad veritatem. Negamus tamen in propugnatione probabilismi moderni magis accedere ad veritatem ob motiva hucusque proposita. *num.* 800.

Quantum debeamus æstimatores esse circa amplectendam doctrinam, quam legimus, vel audimus, ne fallamur, & periclitemur. Ex D. Bernard. & R. P. Fr. Alonso à Jesu-Maria. *à num.* 801.

QUÆSTIO V.

De requisitis ad usum licitum, & honestum opinionis probabilis. *num.* 804.

Articulus I. *An aliqua probabilitas sufficiat ad regulandam conscentiam.*

§. I. *Referuntur sententiæ.* *ibi.*

ADEO laxare havenas sententiæ benignæ intendit ingenium subtile humanum, quòd non defuit Author docens, esse licitam, & honestam praxim cujusque doctrinæ in libro exaratę, si ab Ecclesia non erat proscripta: Sed jam Alexander VII. repræsit tam perniciosam, & noxiam laxitatem. Alii è contra, docuerunt semper tutius esse sequendum, nec licere usum opinionis inter probabiles probabilissimæ: quod etiam proscripsit Alex. VIII. De dictamine, & sententia probabilioristarum, & probabilistarum jam supra satis actum; quid alii, & alii communiter doceant. *num.* 804.

§. II. *Sufficit opinio probabilis dum ejus opposita est ratione, & auctoritate destituta.* *num.* 805.

In hac propositione omnes conveniunt, prętter nonnullos paucos rigoristas. Id expræsse docent D. Th. & Arist. nam ad operandum prudenter sufficit certitudo, quæ convenit materiæ morali: quæ habetur ex vi hujus opinionis. 2. Deficiente fundamento, pro una parte, falsa judicatur, ergo alia est vera. Aliàs obligaremur ad impossibile. 3. Duobus, aut tribus testibus credimus prudenter, & non est evidenter verum eorum dictum. 4. Ex statim dicendis. *num.* 805. *& seqq.*

§. III. *Licitum est operari juxta opinionem minus tutam, dum apparet manifeste probabilior.* *num.* 807.

Loquimur de sententia probabiliori practice, & notabilitèr, seu manifestè, & facta diligentia seriò, ex intentione inveniendi veritatem. Ad quod oportet mentem nostram figere in æternitate, & judicio divino, ne decipiamur. *num.* 807.

Hoc supposito: in assertione conveniunt omnes Authores utriusque sententiæ. Et breviter prob. 1. ex regula juris utriusq; *Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit.* Hoc est principium naturale: quod Pontifices amplectuntur in pluribus textibus adductis. *num.* 808. *& seqq.*

2 Ratione D. Th. Certitudo non est similiter quærenda in omni materia: cum autem in materia morali non possit haberi certitudo demonstrativa, quia versatur circa contingentia, & variabilia, sufficit probabilis certitudo, quæ ut in plu-

plurimum veritatem attingat, & si in paucioribus à veritate deficiat. Hoc ita contingit in qualitate opinionis à nobis positę. Secus in æque probabilibus, & minus probabilibus opinionibus, ut ex se constat. In primis enim hanc, aut illam non æstimamus esse verã,& minus in secundis.Ut potest instari,& declarari in modo se habēdi in rebus humanis.*n*.809

signi-

ſignificari notabilior, & inſignior aliqua probabilitas, quæ recedat longe à fallibilitate, & propinquius accedat ad perfectam certitudinem. Hanc dicimus ſaltem requiri, & ſufficere regulariter in judicio practico ad licite operandum, quæ componitur cum aliquo timore, vel formidine, quod forte poterit non ita eſſe: unde excluditur probabilitas vaga. *num.* 826.

Prob. 1. Ratione D. Th. Qui de quolibet objecto judicat juxta propriæ naturæ conditionem, prudenter procedit: Qui autem judicat judicio ultimo practico, probabilitate à nobis aſſignata, de agibilibus contingentibus, judicat juxta conditionem objecti propriam; ergo regulariter prudenter procedit. Hanc rationem confirmat, & illuſtrat egregie D. Antonin. *num.* 827.

2 Sapientia divina omnia ſuaviter diſponit, *& alia obſequia exigit ab hominibus, alia ab Angelis*; ait D. Auguſt. *Divina quidem* providentia non obligat hominem in ſuis operationibus admodum excedentem ejus facultatem cognoſcitivam ordinariam: judicia autem humana de rebus moralibus ex ſua conditione ſunt fallibilia, & veritas etiam diligenter quæſita multoties evidenter ſciri non poteſt: unde ſufficit dicta certitudo. *num.* 828.

3 Ab experientia. Dicant ipſi probabiliſtæ: ſi in cunctis ſuis actionibus concludunt apud ſe dictamen evidens artificio ſui probabiliſmi? Unde conſtat Theologo reſolventi, Confeſſario in ſuo munere, Prælato, & Judici in ſuo, & ſic de aliis, verum evidens, & omnino certum judicium elicere, ita ut ſit illis evidens omnia requiſita ad ea peragenda præſtitiſſe, & ſic honeſte, recte operaſſe, & hoc illis eſſe infallibile; aliàs, peccaſſe? *num.* 829.

§. III. *Enodantur argumenta contraria.*

An ſit verum, quod dum quis operatur honeſte, & juxta judicium prudentiæ, ſit certum omnino judicium practicum? Et an ad hoc ſufficiat motivum probabile, cum hoc ſit conforme appetitui recto, licet ſit expoſitum falſitati? Reſp. quod, hoc ipſo quod quis operetur juxta prudentiam, ejus judicium in ſe certum eſt; ſed quod ei, qui ſic operatur, conſtet hoc evidenter, & omnimoda certitudine ſemper, negatur: Nam unde poterit multoties ſcire evidenter omnem diligentiam debitam adhibuiſſe, omnia requiſita obſervaſſe? Etenim fallibiles ſumus, & non raro decipimur in judiciis noſtris. Quare ſi facta diligentia, & abſque ulla paſſione judicas certitudine morali ſupra aſſignata, ſi contingat errare, excuſaris; ſed non regulatur à prudentia, ut ſupra dictum eſt; dum autem judicium eſt in ſe rectum, licet non ſit tibi omnimoda certitudine certum, honeſte operaris. Sæpè etiam dabitur talis certitudo omnimoda juxta motiva, & diligentiam, ſed non ita requiritur. *num.* 830.

Ad 2. difficultatem dicimus, probabile, ſi non ſit præſtantius, non ſufficere ad judicium prudentiæ, etiam ſi in ſe eſſet verum: quia conſcientia nequit dictare eſſe conforme divinæ voluntati, videt, vel poteſt conſiderare ſe exponere periculo peccandi, nec conformari, aut eſſe conveniens fini honeſto, ſeu ultimo, qui eſt Deus, & ſic nec conformari appetituito recto. *num.* 832. *& ſeq.*

An hęc doctrina noſtra redeat animos tepidos, perplexos, & in periculo peccandi? Reſpondetur hoc potius convenire ſententiæ benignæ: in noſtra vero potius excitantur ad divinum timorem, humilitatem, & charitatem. *num.* 837.

§. IV. *De mente Theologorum circa præfatam certitudinem.* *num.* 839.

An immerito plerique probabiliſtæ attribuant Authoribus ſententiæ noſtræ rigoriſmum, & quod magis eſt, idem attribunt D. Thomæ, Cajetano, & aliis pluribus? Immerito, & inepte, quod oſtenditur relatis eorum verbis. *num.* 839.

Et licet in aliquo, vel aliquibus Auctoribus Catholicis inveniatur, quod ad honeſte operandum requiritur judicium de veritate clarum, evidens, liquidum, dum agunt de materia morali (niſi conſtet de contraria intentione, ut conſtat in Janſeniſtis, & tutioribus) non ideo debemus exiſtimare in tali modo loquendi exigere pluſquam opinativum

à no-

à nobis assignatum. Nam talis modus loquendi passim reperitur in jure: pro capitali sententia requiruntur probationes liquidę, & luce clariores; confessi in jure habentur pro judicatis, &c. & regulariter in talibus fundamenta, & judicia non excedunt certitudinem moralem à nobis statutam: & potest in re non esse verum: adducitur casus singularis. *num.* 845.

Articulus III. *Quænam diligentia sit adhibenda pro certitudine morali ad licitè operandum juxta diversitatem rerum.*

§. I. *Ubi datur strictior obligatio debet adhiberi major diligentia pro certitudine judicii practici.* *num.* 838.

Medicus majorem adhibet diligentiam pro curando Rege, quam pro famulo, & Judex majus studium circa litem super principatum, quam super equum, & natura majorem curam innata pro propensione pro servando capite, quam manu. Ita philosophatur circa diligentiam pro adimplitione præceptorum; & circa eliciẽdum judicium practicũ rectum. Nam alia sunt prętantiora, quatenus utiliora, & efficaciora ad ultimum finem consequendum; & ex prohibitis alia sunt huic fini magis opposita, & efficacius illum impediunt. Et ob hanc differentiã ipsa lex divina excellentiora strictius præcipit, & objecta, quæ ultimo fini magis aversantur, severius prohibet, & punit. *num.* 849.

Ex quo colligitur non eandem diligentiam adhibendam esse à consulente, vel operante pro cognoscenda veritate de honestate, vel malitia objecti. Cum in obligatione adimplendi includatur obligatio sciendi, & inquirendi: & pro majori adimplenda obligatione, adest major inquirendi. *num.* 850.

Hoc patet in materia Sacramentorum, dum agitur de eorum valore. Quanti momenti sint, nemo Catholicus ignorat. Quantum malum sit, quòd eorum frustretur valor, est quasi incompræhensibile. Unde maxima diligentia adhiberi debet, & formare judicium magis firmum, ac certum, quam in aliis materiis tam ab administrante, quàm à recipiente. *num.* 851.

§. II. *De certitudine judicii ad honestè ministranda Sacramenta.* *num.* 851.

Plures Neotherici contendunt nunquam esse licitum uti aliquo judicio opinativo de valore, sed debere cuique esse certum omnimoda certitudine excludente omnem formidinem deceptionis, adeò que hoc esse certum, quod contrarium damnatum sit ab Innoc. XI. Non tamen caret difficultate hic modus dicendi. 1. Quia adhuc post illam damnationem primæ propositionis ab Innoc. XI. afferuntur nonnullæ sententiæ, quæ non pertingunt ad tantam certitudinem, & propugnantur à viris piis, & peritissimis, quorum scripta Romæ typis data sunt cum approbatione Mag. Sacri Palatii. *num.* 841.

2 Deveniendo ad praxim, & ex parte facti. Confessor ne est tali certitudine omnino certus, dum absolvit, pœnitentem afferre dolorem efficacem, & efficere integram Confessionem? Parocho dum constat ex dicto unius, vel duorũ puerum non esse baptizatum, absolute illũ baptizat. Quid de venerabili Missę Sacrificio? Quanti defectus ex parte Ministri, & ex parte materiæ? Quis auderet suscipere munus absolvendi, & celebrandi, si talis certitudo requiritur? Quid de recipientibus? totus mundus nititur certitudini morali &c. *num.* 852.

Quid ergo dicendum? Certè quam maxime enitendum, ut certitudo judicii habeatur, quantum humano modo fieri potest: Et speciali studio, magna cura, majori solicitudine, quam in aliis materiis, & ingenti conatu curandum, ut tam in conferendo, quam recipiendo, pro vitando tanti momenti periculo nullitatis, vel frustrationis effectus Sacramentorum. *num.* 853. *& seq.*

§. III. *Difficultas ex propositione. 1. damnanata in decreto Innoc. XI.* *num.* 844.

Resp. ex Laurentio Pisano, Garcia, & aliis: quod quando opinio non est frequenter ab Ecclesia admissa, nec communiter habetur certò tuta, & versatur in concursu alterius opinionis assignantis materiam, & formam certam, tunc est illicitus usus talis opinionis: & hujusmodi opiniones à Pontifice damnantur. Hoc

autem

autem non evenit quando opinio est ab Ecclesia recepta, & ita ut sit tuta, & securitatem secum afferat. *num.* 858.

Dicis. Si remanet adhuc intra spheram opinionis, & probabilitatis repugnat carere formidine, & affere absolute securitatem. Resp. quod si habet conditiones nuper assignatas, licet careat certitudine metaphisica, non caret certitudine absoluta morali; (& constat exemplis) quod sufficit. Et si enim unus vel alter Doctor, licet clari nominis, vertat in dubium aliquam veritatem moralem, non est sufficiens, ut dubia, vel leviter debeat reputari. Aliàs nihil certum haberemus in moralibus, nec in phisicis, nec metaphisicis. *num.* 859.

Ex quibus deducitur quid resolvendum circa alias quæstiones, de medico, & quæ versantur circa proximum, & de bello &c. *num.* 862. *& seqq.*

Artic. IV. *An judicium practicum, dum nititur opinioni reipsa falsæ, pertineat ad conscientiam erroneam?* *num.* 864.

§. I. *Proponitur assertio affirmativa, & probatur.* *ibi.*

1 Prob. ex D. Th. locis sup. relatis 1. p. hujus operis q. 4. art. 12. 2. Nam conscientia adæquate dividitur in rectam, & erroneam: cum autem est vera, pertinet ad conscientiam rectam; unde si est in se falsa, pertinebit ad erroneam. 3. Conscientia constituitur ex ratione, & illa formatur, & etiam rectitudo Judicij: Ergo si ratio errat, nequit conscientia formari, nisi errans. Per hujusmodi conscientiam errantem nihil aliud intelligimus, nisi illam, quæ judicando, aut dicit malum, bonum; aut bonum malum, tenebras lucem; aut lucem tenebras; sed opinio errans, & judicium ex illa elicitum sic se habent: ergo &c. Nec sufficit probabilitas, ut non erret. *num.* 864.

Ex his colligitur operationem elicitam ex vi opinionis reipsa falsæ, & invincibilis non esse positive bonam, sed negative, non meritoriam, sed excusari operantem: quod non contingit in via probabilismi, nisi juxtà viam nostram opinio sit cum excessu probabilior: de quo loc. cit. *n.* 869.

§. II. *Argumenta contraria dissolvuntur.* *num.* 870.

1. An possit formari conscientia recta illo discursu, quem docent nonnulli auctores benigni? *Dum rationem aliquam judico probabilem, nullo modo judico esse falsam, sed veram practicè: ergo possum formare judicium verum practicè, siquidem nemo errat, nisi existimando falsum esse verum.* Respondetur negativè. Licet enim judicet in sua existimatione rationem esse veram practicè, si est falsa in se, nequit etiam formare judicium verum rectum, seu conscientiam rectam. Illa vero ultima propositio: *nemo errat practicè nisi existimando falsũ esse verum*, est falsa, si sensus sit, *nisi cognoscat, quod existimat verum esse falsum*: nam sic tollitur conscientia erronea: est autem vera, si sensus sit: *tunc quis errat existimando esse verum, quod in se est falsum.* Sed ex hoc nequit conscientia recta formari, esset enim tunc prima regula. *num.* 874. *& seq.*

2. Quid sentiendum de eo, quod nonnulli probabilistæ dicunt? Ego certissimum judico, quod hoc ipso quod sit probabile mihi est licitum, & quod illud eligendo non pecco: dum sic conscientia judicat, non peccatur, quidquid sit, an obiectum sit falsum, vel verum in se. Respondetur, quod si aliud non attendit, nisi quod sit probabile, nequit licitè fieri tale judicium certum, nisi ex aliquo affectu, aut passione, & imprudenter: ut constat ex dictis fere per totum hoc opus. Et dato quod ita fieret, non ex eo formaretur conscientia recta; sed inter veniente ignorantia invincibili, excusaretur à peccato, non autem mereretur. Quod hic latè ostenditur. *à num.* 874.

Articulus V. *An subditus teneatur obedire, dum judicat Prælati opinionem minus tutam esse minus probabilem.* *n.* 879.

§. I. *Ad tuendam obedientiæ virtutem non bene recurritur ad viam probabilistarum.* *num.* 880.

Quam utilis, & necessaria est obedientia ad rectè conservandum omnem statum; & adipiscendam vitam æternam, ostenditur ex SS. Patribns. *num.* 881.

Assertio probatur. Si dum aliquid est proba-

babile, id esset cuique licitum, cum vix aliquid reperiatur, quod ingenijs subtilibus non existimetur probabile, quomodo habebit locum virtus obedientiæ, & ejus perfectio? *num.* 884.

Quod in hypotesi nostra subditus non teneatur obedire, docent plures probabilistæ, ex suis principijs, & non inconsequenter: referuntur. *num.* 885.

Ex hac doctrina quantum labefactetur virtus obedientiæ, quivis agnoscere potest: Subditi armarentur contra superiores, pax turbaretur, & alia damna, & detrimenta non parva sequerentur. *num.* 888.

Ex eadem doctrina infertur, non solum tunc non peccare subditum, sed neque Prælatum posse illum aliqua pœna multare, juxta illud: *Rem, quæ caret culpa, in damnum vocari non convenit*. Hæc doctrina humanæ inclinationi non parùm plausibilis, magnum detrimentum affert. *num.* 888. *& seq.*

Tandem ex vi suorum principiorum probabilistæ solum afferunt Subditum posse obedire, quia datur probabilitas ex parte Prælati, sed ex vi hujus non tenetur, quod est præceptum; & sic non salvatur adimpletio obedientiæ. *num.* 890.

§. II. *Ex sententia probabilioristarum non sequitur non teneri obedire, sed potius debere.* *num.* 891.

Videtur perspicuum. Nam in via sententiæ nostræ, si datur major probabilitas ex parte legis, seu præcepti, tenetur quis hanc partem sectari: in hypotesi autem nostra est probabilius præceptum Prælati obligare, & Subditum obedire teneri, ita sentiunt non solum authores sententiæ nostræ, sed etiam fere omnes probabilistæ: unde optime salvatur vera adimpletio obedientiæ. Immo ipsi, qui docent non teneri, afferunt contrarium esse probabilius, ut Læsius, Spinula, & alij. Non ergo labefactatur in via nostra. *num.* 891.

Si instes: in vestra sententia, quod est probabilius potest, imo debet homo sectari: ergo dum subditus probabilius pro sua parte judicat, non tenetur, imo sæpe non poterit obedire. Respondetur licet ante præceptum sit subdito probabilius, illo adveniente cessat ejusmodi probabilitas, de quo infra. *num.* 892.

§. III. *Quando res præcepta non est manifeste mala, obligatur subditus ad deponendum proprium judicium, & obediendum Superiori. Probatur ex Sanctis Patribus.* *num.* 893.

Id expræsse docent. In primis Sanctus Sanctorum: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit*. Deinde Sancti, Bernardus, Antiochus Abbas, Vincentius Ferrerius, Augustinus, Bonaventura, Nilus, Dorothæus, Joannes Climacus, Ignatius, Bernardinus, & Cæsarius. Qui fuse referuntur. *à num.* 897. *usque* 907.

Omnes fundant assertum in relatis verbis Christi Domini, non in probabilitate præcisivè majori, seu majori sapientia. Haud *secus accipienda sunt* (jussa Prælati) *quam si præcipiat Deus*, ait Divus Bernardus: & *tamquam Deum in his, quæ non sunt contra Deum, audire debemus*. In quo conveniunt cæteri Sancti, & mystici. *num.* 901.

§. IV. *Probatur ratione idem assumptum, & fit satis nonnullis obiectionibus.* *num.* 902.

1. Circa obligationem virtutum, præsertim elevata ad ordinem supernaturalem natura humana, standum est doctrinæ Sanctorum Patrum, non aliorum; secundum autem Sanctorum doctrinam, in casu nostri dubij tenetur subditus; Nec probabilistæ pro sua sententia unicum afferunt. *num.* 903.

2. Ex Divo Thoma docente, quod licet ante judicum sententiam, detur probabilitas pro utraque parte, prolata vero, standum est illi: quia judices solicitius, & plenius possunt percipere veritatem, licet sint minus periti: sic in præsenti. *num.* 903.

Quid dicendum est ad vulgarem difficultatem, quam præfati probabilistæ objiciunt? Quod dum subditus probabilius judicat esse illicitam rem practicam, quo modo potest formare rectam regulam honostatis? 1. Nam magis obligat Dei præceptum. 2. Nam in hac hypotesi subditus habet pro in casu particulari

lari majus pondus auctoritatis, & rationis. 3. ex Mart. de Prado. Lex injusta non obligat: dum probabilitas major, *esse illicitam rem præceptam*, stat pro subdito; est iniustum præceptum: ergo obedire non tenetur. *num.* 905.

Respondetur hæc, si probant, nimis probare. Probant enim subditum nec posse obedire; authores nobis contrarium asserunt posse, sed non teneri. Ad. 1. dicitur subditum teneri deponere conscientiam, quia adveniente mandato Prælati, cessat ejus probabilitas. Et licet Prælatus humano modo præcipiat, hoc facit auctoritate accepta à Deo, & nomine ipsius. Ad 3. constat ex dictis: quia post præceptum jam non est probabilius ex parte subditi esse rem illicitam: alias nec obedire posset, quod non asserit Prado. *num.* 908. *& seq.*

§. V. *Alijs fundamentis doctrina communis fulcitur.* *num.* 911.

Idem, quod asseruimus, confirmat praxis Regnorum, & communitatum. In Commitijs, seu Capitulis generalibus proponuntur præcipienda, & vitanda: ante decisionem regulariter dantur diversa dictamina, & ex utraque parte probabilia. Condita tamen lege, illi standum est, nec in contrarium potest probabilitas prodesse. Quod exemplis corroboratur. *num.* 911. *& seq.*

Denique roboratur assumptum ex maximo inconvenienti, quod in sententia contraria sequitur in materia obedientiæ, quod explicatur, præsertim ex Sanctis Patribus, Ambrosio, & Gregorio Magno, & Basilio, qui bonum obedientiæ, & inobedientiæ malum luculenter ponderant, attenta proclivitate propriæ voluntatis. *num.* 913. *& seq.*

§. VI. *De modo quo subditus debet suspendere assensum proprium, & superioris judicium (etiam in mente) sequi.* *num.* 915.

Sufficiens motivum videtur haberi ex dictis, sine recursu ad probabilismum, ut subditus possit, & teneatur suspendere proprium judicium, idque Prælati judicio conformare. Principale igitur motivum ex doctrina Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum desumitur ex illa, *qui vos audit me audit; & dum modo certum non sit rem præceptam esse illicitam.* Hoc motivum expresse assignant Sancti Patres supra adducti, & maxime Sanctus Ignatius in illa cœlesti epistola de virtute obedientiæ, & ex eo Reverendissimus Tyrsus. *num.* 915.

Adducitur præclara doctrina ad rem ex R. P. N. Fr. Ildephonso à Jesu-Maria; & ex doctrina, & exemplis Seraphicæ Mag. Theresiæ Matris Nostræ comprobatur. *num.* 916. *& seq.*

Tandem Subditus debet etiam mente deponere, & subjicere proprium judicium judicio Prælati, aliàs illicite obediret. Poterit tamen, si perplexus sit, hoc Prælato indicare, & si instet, obedire cogitur. *num.* 918.

§. VIII. *Proponitur obiectio, cujus occasione amplius doctrina declaratur.* *num.* 919.

Forte non quiescet animus; qui regulariter appetit invenire rationem quare debeat prævalere, modo statuto, Prælati judicium. Sufficeret tamen maxime Christi Domini, & Sanctorum Patrum consensus, ut captivemus intellectum in obsequium fidei. Dicimus ergo (submittendo prudenti judicio) quod nobis se offert.

Quando duo inconvenientia, seu mala occurrunt, & utrumque vitari nequit, est vitandum, quod majus est. Quantum malum sit resistere Superioribus per subditos existimantes, & suo judicio probabili innitentes, non teneri obtemperare, quilibet agnoscere potest, omnis status, & maxime Religiosus relaxaretur, & quasi everteretur: Ergo hoc malum commune, tanquam maximum debet vitari, relicta opinione probabiliori etiam in hoc, vel illo casu particulari. *num.* 920. *& seqq.*

Ulterius: Præceptum Prælati supponitur esse certum; & an res præcepta sit contra aliam legem, solum est probabile, licet sit magis. Unde debitum obediendi Superiori est certum: debet ergo prævalere probabilitati alterius partis. Sicut dum constat de contractu Matrimonij, dubitat quis credulitate etiam probabiliori; vitandum est majus malum injustitiæ reddendo debitum, licet

dubitetur, an interveniat in hoc fornicatio, quia illud est majus malum. *num.* 921.

Proponitur duplex obiectio, seu difficultas, & dissolvitur. *num.* 922. *& seqq.*

§. VIII. *Deus miraculis ostendit, quantum sibi placet obedientia.* *num* 926.

Referuntur aliqua miracula, quibus Deus ostendit, quantum sibi placeat obedientiæ virtus, & simplicitas in obsequendo mandatis. *num.* 926.

Articulus VI. *An si præceptum sit de re difficillima, aut in grave detrimentum proximi, vel subditi, hic teneatur obedire?*

§. *Unic. Regulariter obedire non tenetur.* *num.* 929.

In rebus moralibus, cum ratione circunstantiarum plurium res varientur, non potest facile assignari tam generalis regula, quæ omnes casus excogitabiles compræhendat. Quare ex Regula præcedentis articuli statuta, theologi communiter excipiunt casum, quo à Superiore præceptum imponeretur communitati de re difficillima, etiam si esset sub dubio, vel opinione probabili, esset illicita necne; quod probarur ex C. si quis ingenuus 29. q. 2. & rationem assignat Divus Thomas. Deinde, quia quod est nimis difficile, pro impossibili reputatur, & ad impossibile nemo tenetur: nec homo ad hæc intendit se per votum obedientiæ obligare. *num.* 929.

Quid autem dicendum de quadam dispositione Sanctissimi Patris Benedicti in sua regulà, & de prohibitione esus carnium observatione florentissimi ordinis Carthusianorum, & de casu quodam Sancti Joannis Damasceni discutitur. *n.* 930.

Exemplum ponitur, quando præcipitur aliquid, in quo imminet periculum proximum vitæ, vel alterius proximi (nisi casu, quo periclitaretur bonum commune) vel infamiæ, ut si judex interrogat probabiliter adversum personam, cujus vita prætiosa est in Republica. Si Prælatus Superior præcipit (nixus judicio probabili) inferiori, ut officio honorifico renunciet, vel subdito læso ut ab appellatione, seu recursu ad superiores desistat, vel non prosequatur, & alijs similibus: ut si sit mandatum sine causæ cognitione, ex passione &c. *num.* 932.

Sed summopere cavendum est subditis, ne ex levitate, passione, aut affectu ad suum commodum existiment Superiores errare &c. quod non raro contingit. *num.* 933.

Articulus VII. *Utrum Confessarius conformari debeat opinioni probabili pœnitentis, relicta propria?*

§. I. *Status dubij.* *num.* 934.

Contentiosè propugnant probabilistæ Confessarium teneri se conformare opinioni, licet minus probabili pœnitentis, relicta propria. 1. quia aliàs pœnitentes ægre ferent negationem absolutionis, arcerenturque, à frequentatione hujus Sacramenti. 2. tunc accedit pœnitens bona fide, & bene dispositus. 3. Cuilibet in causa propria uti licet opinione probabili, est ergo rectè dispositus. *num.* 934.

Sed hæc parum urgent. Respondetur ad 1. Irrationabiliter ægre ferent. Ad. 2. negatur accedere bene dispositum secundum Confessarij judicium, ad quem ut judicem pertinet hoc determinare, non ad pœnitentem, nec debet quis se regulare per aliorum conscientias, sed per propriam. Ad 3. si Confessarius non habet majus fundamentum ad deponendum rationabiliter proprium dictamen, nequit alteri conformari, licet apud pœnitentem esset probabilius. *num.* 934. *& seq.*

§. II. *Quibusdam suppositis respondetur quæstioni, & probatur.* *num.* 936.

Ex suppositione quod Confessarius audierit confessionem, tenetur accedentem bene dispositum absolvere, sive sit proprius, sive delegatus. Deinde Confessarij animadvertant, ne nimis judicio suo nitantur, ita ut hoc ipso, quod aliquam opinionem, fecerint suam, aut defenderint, illam numquàm deponant: sed omni docilitate, & indifferentia judicij, ubi majus pondus authoritatis, & rationis invenerint, huic parti se conforment. *num.* 936.

Dicendum est Confessarium non posse se accomodare judicio pœnitentis, nisi occur-

currat illi in aliquo casu partuculari circunstantia, aut ratio, ex vi cujus, non ultro, sed prudenter possit variare judicium practicum, & recedere, & discordare à speculativo. Probatur primo: Excludendo communem probabilistarum artificium, quod in hoc opere hucusque laboratum est. 2. Solutio quæstionis per verum saltem existimatum, debet fieri: Confessarius judicat suam opinionem veram; & consequenter oppositam pœnitentis falsam: nequit ergo huic prudenter se conformare. *num.* 937.

Triplex munus gerit Confessarius, Magistri, Medici, & Judicis. In primo cui standum est, dum dissentiunt magis, & discipulus; ad quem pertinet docere, & resolvere? In secundo Confessarius debet pœnitenti infirmo applicare medicamenta: quis Medicus applicaret medicamenta æque nociva, ac salubria, seu verisimilius nociva, quia sic sentit infirmus, vel quia aliud sibi non placet? In tertio Confessor exercet hoc munus instar actus judicialis, quo ab ipso velut judice sententia pronuntiatur, ait Concilium Tridentinum sessione 14. capite 6. cui ergo standum judicio rei, aut judicis in proferenda sententia? Quod instatur in foro externo, ad cuius similitudinem sæpe etiam ipsi probabilistæ recurrunt pro interno. *num.* 938.

§. III. *Ulterior explicatio, & probatio assertionis num.* 941.

Præterea, in sententia adversa intolerabile onus imponitur Confessariis, qui deberent omne studium adhibere in sciendis opinionibus, & de omnibus habere notitiam, ut sic non exponantur periculo injuriam irrogandi pœnitentibus, dum eorũ opinioni non se conformarent. Præterea Probabilistæ asserunt, dum adest opinio probabilis, possessionem stare pro libertate, & non dari legem sufficienter promulgatam: ergo cum Confessarius pro se habet opinionem probabilem, quare non favent illi ejusmodi principia? *num.* 941.

Tandem Confessarius, ut dictum est, gerit munus Judicis, Judex autem debet attendere diligenter ad utriusque partis jura, & fundamenta: ergo debet etiam Confessor attendere ad ea, quæ sunt probabiliora ex parte legis, & ut se, & pœnitentem non exponat periculo illam violandi, & cum proprium judicium putet verum, & contrarium falsum, non ergo potest proprium judicum pœnitentis opinioni conformare. *num.* 943.

§. IV. *Cautè se debet gerere Confessarius. num.* 945.

Ars artium est regimen animarum, inquit D. Greg. quam caute debet se habere in munere suo Confessarius, exigit ejus officium præstantissimum, in quo sanguis Christi D. dispensatur. Hoc exemplar imitetur, cujus mansuetudo manifesta est in docendo, corrigendo, peccatores recipiendo, & adiuvando. Sed magna discretione uti debet, & prudentia; ne consuat pulvillos sub omni cubito manus.

Dum enim non repræhenduntur, non coguntur in molli statu peccati jacentes vitare occasiones, restitutiones facere, adimplere præcepta, sed collata absolutione, dimittuntur; securius dormiunt, & dum pacem putant, tandem lethalem esse somnum suum depræhendunt: & Confessario etiam imputatur. *num.* 945.

Quid prodest confitenti, Confessarium dicere, *ego te absolvo*; Deus vero dicat: *ego te condemno.* Explicatur lepido exemplo ex D. Augustino. Quid etiam dicendum de quærentibus Confessarium, affabilem, pium, qui forte in omnibus suis propensionibus assentiatur; & fugiunt illos Confessores, qui utilissima, & Evangelica integritate animas ducunt per viam, quam nobis Christus ostendit. *num.* 947.

Exemplum formidabile refertur damnationis pœnitentis, & Confessarii. *num.* 948.

An teneatur Confessarius restituere, quando in munere deficit non obligando confitentes ad restitutionem? Resp. Si pœnitens in non restituendo bona fide procedit, nec interrogat, nec consilium petit à Confessario, nec dubitationem circa hoc aliquam ostendit; licet Confessarius peccet non admonendo, non tenetur restituere, quia nec expresse, nec tacite consentit. Si vero aliquo modo

ex dictis ostendit pœnitens formidinem circa restitutionem, & tacet Confessarius, illumque absolvit, licet expresse non dicat non teneri; difficillimum est Confessarium non peccare contra justitiam: Quia hoc ipso indicat accedere recte dispositum, & positive movetur ex hoc ad non restituendum. Fideles enim existimant ad hoc habere Confessores, ut tamquam à Magistris de suis erroribus, & ignorantiis admoneantur. *n.*950. *& seqq.*

§. V. *An dum inter opiniones Confessarii, & pœnitentis datur æqualitas, ille possit huic accommodari? Ubi aliqua non parum utilia Confessariis.* *num.* 952.

Consequenter ad dicta in hoc art., & toto hoc opere dicendum est Confessarium in hac hypotesi non posse se accommodare opinioni pœnitentis: quia nequit judicare absolutionem esse conformem legi divinæ, cum non judicet opinionem pœnitentis esse veram: Et Confessarius tanquam Judex, Medicus, & Magister tenetur judicare, sectari, & docere, quod verum judicat. *num.* 952. *& seqq.*

Poterit ne obligare ad restitutionem? Resp. negative, ob nuper dicta: sed ut illum absolvat, debet obligare, ut ad ipsum redeat, vel requirat Doctores, aut Confessarium doctiorem, & si credat Confessarius habere de hoc propositum efficax, illum absolvere poterit, & non aliter. *num.* 954.

Quid in hoc casu dum pœnitens est in articulo mortis? Resp. Si non adest tempus faciendi ulteriorem diligentiam, efficiat, ut infirmus disponat, ut onus imponat hæredi, aut ipsi Confessario, aut alteri committere, ut veritatem inquirant, & juxta obligationem efficiant, quod recta conscentia dictaverit. *num.* 955.

Quid agendum, si de proposito confitentis dubitat confessarius? Resp. quod pœnitens semper asseverabit se dolere, & habere propositum efficax emendationis: Sed operibus credite. Quanti sunt, qui ita dicunt, ita asseverant, sed adepta absolutione, vel recuperata salute, reipsa modus malè ante actæ vitæ non mutatur: Iste non deponit consuetudinem jurandi &c. referuntur plures modi vivendi, in quibus satis ambigitur. *n.*956. *& seqq.*

Pluribus prudentibus, & Animarum salutem vere diligentibus videtur, quod melius est bene disponere, & absolvere quinque, aut sex, quam centum male. Essetque conveniens, immo necessarium pluries differendam, non negandam absolutionem, ut prius ostendatur verus animi dolor, & propositi efficacia. *Pœnitentes, pœnitentes, pœnitentes* (exclamat D. August.) *Si tamen estis pœnitentes, & non estis irridentes, mutate vitam*: Dissolvuntur aliquæ objectiones, quæ opponuntur. *num.*957. *& seqq.*

Articulus VIII. *An Confessarius possit relinquere pœnitentem in sua ignorantia?*

Quantopere timendum, ne ex silentio confessarii pœnitentes in pluribus deficiant, in vero dolore, in proposito, & ignorantiis. Et etiam quantum periculi in ipsis Confessoribus, cum non sit facile displicere hominibus, & veritas manifestata plerumq; non placet: Nam veritas odium parit. *num.* 959.

§. I. *Authorum placita circa ejusmodi obligationem.*

Conveniunt Confessarium non posse dissimulare, dum pœnitens laborat ignorantia vincibili sive facti, sive cujuscumque juris. Quare difficultas procedit de invincibili ignorantia: an Confessarius dum formidat admonitionem pro futuram, possit, immo debeat dissimulare? Primus modus docendi affirmat: quem regulariter sequuntur moderni probabilistæ, qui facilè admittunt ignorantias ferè in omnibus præceptis juris naturalis. Quod pluribus casibus exemplicant, & assignant, quando Confessarius judicare potest, seu præsumere, admonitionem esse nocituram, & non pro futuram. Referuntur. *num.* 960.

Refertur modus dicendi aliquorum, qui viam probabilismi non sequuntur. *num.* 964.

§. II. *Prima & principalis assertio: & ex Sac. Scriptura probatur.* *num.* 965.

Dicendum est primo: Dum est in potestate pœnitentis remedium apponere, & obligationem adimplere, & ex sua malitia

litia nollet à peccato abstinere, Confessarius illum debet admonere, etiam si non pro futura, sed nocitura admonitio, etiam si existimet laborare ignorantia invincibili, sive facti, sive cujusvis juris. Apponitur exemplum, & referuntur Authores id docentes. *num.* 965.

Prob. ex Ezechiel. cap. 3. *Si me dicente ad impium &c.* Et ex celebri loco Apostoli: actor. 20. *Vos scitis &c. quomodo nihil subtraxerim utilium, quo minus annuntiarem vobis, & docerem vos publice, & per domos vestras &c.* loquitur Apostolus de doctrina fidei, & morum, & de admonitione publica, & etiam in particulari. Hoc exemplum nobis proponitur. *num.* 966. *& seqq.*

§. III. *Ex jure Canonico, & SS. Patribus idem probatur:* *num.* 968.

Ex Nicol. Papa, & D.Greg. M. relatis in decreto, præcipue ex illo. *Utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur*, & ex D. Ambr.

Dicis: Scripturam, & alias authoritates adductas intelligi de admonitione publica facienda à Prælatis, & Concionatoribus. Contra. Nam Apostolus loquitur in particulari. 2. ostendant aliquam authoritatem, ad probandum in terminis, quod Confessarius non debeat admonere. 3. corruit fundamentum adversarium; nam quia nocere potest, debeat non admoneri, idem inconveniens sequitur in publica admonitione. 4. Parum prodest admonitio concionatorum, si confessarii obmutescunt. *ibi, & num.* 969.

Tandem præfati Auctores non distingunt de ignorantia vincibili, aut invincibili. *num.* 970.

§. IV. *Valde difficile est discernere inter ignorantias vincibiles, & invincibiles.*

Ignorantia invincibilis solū datur, quando ignorans posuit omnem diligentiam debitam ad sciendam veritatem circa obligationem juxta rei gravitatem, quæ in pertinentibus ad Dei voluntatem, & animę salutem est magni momenti: quam apposuisse, non facile est, quod homo sciat, & prudenter credat. Ideo SS. Patres erant repleti timore, maxime circa ignorantiam juris naturalis, & obligationes proprii status. Adducitur ex Arauxo exemplum notabile S. Francisci de Paula. *num.* 971.

Recursus ad remorsum conscientiæ juniorum fallax est. Quem remorsum habent Mahumetani, & hæretici circa suas sectas? Immo & plures Catholici circa nonnullas res illicitas, ob suas concupiscentias? Ex D. Th. *num.* 973.

Vitia, & appetitus cæcitatem in animam inducunt. Ex P. N. Fr. Joanne à Cruce. Immo ex Sac. Scriptura, SS. Patribus, præcipue ex D. Ambros. & D. August. Quid de Parochis, Prælatis, & Judicibus, quantam scientiam pro suis muneribus debite exercendis debent comparare? ex Salmantic. *num.* 974.

§. V. *Pœnitens accedere debet ad Confessionem cum proposito adimplendi totam legem: & Confessor non debet præsumere contra legem operaturum, cognita veritate.* *num.* 977.

Juxta Concil. Trident. pœnitens recte dispositus debet accedere cum efficaci proposito adimplendi totam legem, & vitandi omnia peccata. Et cum ad hoc necessarium sit scire id quod est necessarium ad non peccandū; saltem virtualiter vult, ut hæc notitia sibi tribuatur: aliàs nollet intelligere, ut bene ageret: si ergo Confessarius existimat, quod si illi notitiam obligationis notificat, violaturum illam, non judicat accedere recte dispositum, & quò magis credit esse tale periculum, eò minus potest sibi persuadere accedere cum debita dispositione: nequit ergo dissimulare. *num.* 977.

Instatur in correctione fraterna; circa quam si nullus fructus speratur, sed potius sumeret corrigendus occasionem peccandi, ommitti debet: ergo idem de Confessario dicendum est. Resp. dari disparitatem: Qui ommittit illam habet se negative, ad nihil concurrit: At Confessor positive confert Sacramentum, & tenetur dignis illud conferre. Exercet etiam ex officio munus Magistri, qui tenetur veritatem docere pœnitentes: non ita qui corrigit. *num.* 979.

Aliud inconveniens: Si ex manifestatione veritatis sumit quis occasionem peccandi,

di, ex hoc esset tacendum, Deus non recte, vel saltem melius esset facturus, nō manifestando nobis suam voluntatem; quia peccatum non imputatur, si lex non esset, juxta Apostol. Et Christus Judæis non manifestaret tot veritates, cum sciret ex eò sumpturos occasionem scandali, & perditionis propriæ, & illius populi. *num.* 980. *& seqq.*

Quid ergo dicendum de pœnitente moribundo, qui bona fide omnia habet illicite acquisita? Resp. non esse dissimulandum, quia est flexibilis voluntas hominis, & tunc est abundantius Dei adiutorium. *num.* 982.

§. VI. *Argumenta contraria conclusioni dissolvuntur.* *num.*983.

Ex dictis constat, quid dicendum ad fundamenta contraria: quia pœnitens est in bona fide, & melius est ita illum relinquere, quam occasionem peccandi præbere; & maxime, quia admonitio debet esse in bonum pœnitentis. Resp. Neg. accedere bona fide pœnitentem: admonitio autem ex se est in bonum illius, si malè illa utitur, continget ex illius malitia. *num.* 983.

2. Ex Evangelio docemus dissimulare, & desinere crescere Zizania, ne eradicetur & triticum &c. Resp. quod ager est Ecclesia, in qua bonis sunt ad mixti mali. Talis mixtio in Sacramento nequit admitti, omnia mala sunt eradicanda, nec unicum grave relinquendum. *ibi.*

Etiam Ecclesia non omnes corrigit, non omnes ignorantias depellit: quia omnibus adhibere remedium est impossibile. Cæterum sufficienter ab Ecclesia provisum est de vera doctrina, si ex hominum malitia non introduceretur falsa. In Sacramento nullum potest tolerari peccatum. *num.* 984.

Quid dicendum ad verba difficilia D. Aug. *Si scirem nihil tibi prodesse, non te admonerem &c.* Resp. potius ex illo loco corruit sententia contraria. *num.* 985.

§. VII. *Dum Confessor cognoscit secutura gravia damna, & scandala, si admoneat, an teneatur dissimulare?*

Sit casus, qui non raro contingit. Fæmina in facie Ecclesiæ invalide contraxit bona fide matrimonium ob impedimentum ortum ex copula illicita. Confessarius id cognoscit, sed illa ignorat, & sic utitur jure matrimonii. Si impedimentum illi revelat, certo sequutura gravia damna: Nam si redit debitum, adulterium committit; Si non, à marito interficietur. &c. Tunc ergo est dissimulandum à Confessario, & quam primum dispensationem solicitare, deinde licentiam loquendi à fœmina petere, illique veritatem manifestare, ut matrimonium perficiatur juxta modum, quem graves Doctores tradunt. *num.* 987.

Casus simillimus habetur in jure de matrimonio sic contracto invalide, ex cujus manifestatione, seu separatione sequebatur scandalum; & Papa respondet consulenti: *Dissimulare potest &c.* cap. quia circa de consanguin. & affin. Afferuntur, & refelluntur aliquę interprętationes. *num.* 987.

Deinde quia Confessarius potest sibi persuadere coniugem laborare ignorantia invincibili, cum tale impedimentum non sit omnibus notum; & alias inconveniens, vel scandalum, nimirum illicita copula non committitur ex malitia pœnitentis, sed solum est peccatum materiale, & quià parum in illa perseverabit. *num.*988.

3 Dum aliqua opinio à Doctoribus communiter traditur, habetque gravia fundamenta, licet dubitetur an sit probabilior, stante vero casu urgenti, gravi necessitate, & imminentis periculi, & scandali, est sufficiens circumstantia, ut practice probabilis habeatur: quod in casu præsenti contingit. Assertum autem nostrùm gravissimi Authores propugnant, ne dum ex benignis, sed etiam ex probabilioristis: referuntur. *num.* 990.

4 Ubi inter duo extrema, quorum quodlibet secundum se erat vitandum, minimum est eligendum. In casu nostro minus malum est permittere adulterium materiale, quam alia plura peccata formalia, quæ ex manifestatione sequerentur.

§. VIII. *Difficilis objectio ex D. Augustino, & Thaulero.*

Spiritualissimus Doctor Mysticus Joannes Thaulerus affert casum in propriis terminis

minis de matrimonio nullo,ignorantibus ipsis contrahentibus,ex cujus separatione magna scandala sequi erat certum;& non ausit dissimulare; D. Aug. affert alium casum fere eumdem, & affirmat expresse non esse dissimalandum,sed admonendum. Uterque casus discutitur; & exponitur D. Augustinus, ita quod nobis non est contrarius; Thaulerus vero nostræ assertioni contrarium sentire videtur. *num. 991. usque ad 996.*

§. IX. *Aliqua corolaria ex præcedenti doctrina.* *num. 997.*

Ex dictis colligitur, quod quando ignorantia est juris naturalis in pœnitente, Confessarius debet speciali studio pedetentim procedere, nec in hoc audiendi sunt plures Authores benigni illam facile admittentes.

2 Admonendi sunt pœnitentes de iis,quæ ignorant circa ea, quæ omnes scire tenentur, licet non sit pro futura admonitio: & similiter si fuerit circa ea, quæ ad proprim statum pertitient, sive sint juris naturalis, sive divini, vel humani. Quia quicumque hæc ignorat, negligit habere, vel facere id quod tenetur, vel procedit ignorantia ex de prabata ratione,aut passione.Ut docet D. Thomas:Pro quo adducitur gravis authoritas Dominici Banez: quod damnantur plures, etiam ex Confessoribus &c. *num. 997.*

3 Quid sentiendum de illa commiseratione multorum dicentium doctrinam statutam esse nimus rigidam, redereque Confessorem austerum, cum debeat esse blandus, & pius? Resp. Non negamus pietatem, & misericordiam in Confessore, sed potius illam commendamus cum D. Augustino, sed non dissimulando ignorantias culpabiles, quod crudelitas potius esset. Pro quo adducitur præclara auctoritas Cardinalis Denoff. *num. 999. & seqq.*

Benignissimus, piissimus, & amantissimus erat,& est Noster D. Jesus: Et quid verbo, & opere docuit? Nonne viam rigidam, strictam, & arctam secundum carnem, & sanguinem arripuit, & docuit? SS. Patres hunc veritatis Magistrum sunt immitati, quid aliud sequuti sunt; docuerunt? Immo in præsenti puncto ab ipsis acceptum est, quod à nobis traditum est: Ut videre est in D. August. S. Cypriano, S. Thoma à Villa-Nova. & D. Hieronymo. D. Thom. & S. Bonaventura:referuntur. *num. 1002.*

Articulus IX. *An ex sententia probabilioristarum oriantur plures scrupuli, & anxietates; sitque hujusmodi via nimis difficilis, & impossibilis?* *num. 1006.*

Hoc inconveniens authores benigni attribuunt nostræ sententiæ, illud amplificant, & magnificant: sed si recte percipiatur, magis consistit in vocibus. *num. 1006.*

§. I *Referuntur fundamenta, quibus attribuuntur via probabilioristarum difficultates, anxietates &c.* *num. 1007.*

Arguunt ex suavitate jugi Christi, ex nimia difficultate discernendi majorem efficaciam rationum: Quid faciet Confessor non habens nisi summam brevem? 2. Probabilioristæ requirunt etiam in judicio directo, ut maneat parum formidinis. Quot scrupuli, & anxietates possunt hinc oriri? 3. Debemus attendere ad temporum diversitatem: præsens autem ad tantum onus aptum non est; *Quoniam dies mali sunt*. Ephes. 5. Expedit ergo aliquantulum remittere arcum:ipsa Sancta Mater Ecclesia sic se gerit, cum restrinxerit plura præcepta, quæ olim erant stabilita, & temperavit modum vivendi Ecclesiasticorum. *num.* 1007.

§. II. *Obiectiones adversæ retorquentur in viam probabilismi, cui potius convenit origo anxietatum, & difficultas. &c.*

Pro fulcimento sententiæ nostræ sufficiebat illa indefectibilis veritas magistri Cœlestis: *Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*: & illa: *Arcta est via &c. & pauci sunt, qui inveniunt eam.* Nonne facile est adimplere omnia præcepta? Numquid potest homo a scrupulis, & anxietatibus eximi in recta via ad Cœlum? Hæc autem difficultas non complanatur, & facilis redditur per probabilismum. De quo supra. *num. 1010.*

Alia difficultas est in eliciendo judicio practico de rectitudine, dum occurrit dubium de honestate obiecti, vel actionis.

Dari

Dari difficultatem in hoc, quis cordatus ignorat? Restat investigandum in qua via reipsa invenitur major difficultas, & ex qua oriri possunt ampliores scrupuli, & anxietates, si hoc punctum seriò, & modo debito discutiatur? Jam mihi videor plerosque benignos probabilistas mirari, quod hoc in quæstionem adducatur, cum luce clarius apparere videatur omnia relata in convenientia facillime per probabilismum vitari. *num.* 1012.

Sed quamvis plura circa præsens dubium in Superioribus dicta sunt, hîc aliqua addenda arbitramur. Et in primis supponimus benignos authores statuere, quod eorum probabilitas debet esse talis vere, & sufficiens ad movendum intellectum, & voluntatem ad operandum prudenter, nixa motivo gravi, itaut possit fieri judicium ultimum, certum, & infallibile. *ibi.*

Quantam autem hæc patiatur difficultatem non parum potest constare seriò, & ex affectu inveniendi veritatem ponderanti, quæ dicta sunt hucusque in hoc opusculo. Sed si ipsos non urgeant; adeamus auctores eosdem benignos, non quoscumque, sed celebriores, qui ex professo de hoc assumpto scripserunt. Refertur doctrina Terylli, quem ut strenuum ducem sequuntur communiter recentiores, & perspicue constat ex requisitis ab ipso statutis pro recto usu opinionis; quam difficile sit vitare præfata inconvenientia. *n.* 1013. *us.* 1017.

§. III. *Assumptum prosequitur adducendo doctrinam ex aliis probabilistis. n.*1018.

Inter celebriores probabilismi defensores refertur Sparza; docet idem, quod Teryllus, & apponit Regulas pro recto usu opinionis probabilis; quæ manifestant esse valde difficile discernere, quæ opinio sit vere sufficiens pro regulanda conscientia. Acrior propugnator jurium probabilismi existit Cardenas, qui diffusè apponit plura claustra, seu limitationes (ad minus octo) intra quæ non debet includi opinio, ut sit practicè probabilis. Et quidem non adest parva difficultas in dignoscendo, quæ opiniones includantur in illis claustris, & quæ extra vagantur. *num.* 1018.

Affertur etiam pro assumpto Filliucius, & gravis authoritas Franc. Suarez. & dictum Sparzæ de fundamento penitùs evertente principia reflexa. *num.*1021.

§. IV. *Refertur breviter modus resolvendi dubia in praxi, & dirigendi conscientiam in via probabiliorismi: & quænam in hoc reperiatur difficultas. num.* 1023.

Nunc videndum; quanta difficultas reperiatur in modo eligendi opiniones in via probabilioristarum, & resolvendi dubia. Quod licet in superioribus non semel sit assignatus, hîc breviter explicabitur. Occurrit dubium, an contractus A. sit usurarius. Debes in primis ex vero affectu absque passione intendere, veritatem invenire, & quæ sit voluntas Dei: Magna diligentia evolvere libros (si potes) vel consulere viros eruditos, & probos, de quibus existimes veritatem tibi dicturos; & non ommittere recursum ad Deum, ut lucem emittat pro veritate invenienda, & si tibi non constet quadam morali certitudine, vel præstantioribus motivis obiectum, seu actionem esse licitam, abstinendum ab operando: vel, quod tutius est, amplectendum. Si vero pro utraque parte adesse videatur lex, quod est majus malum, debet vitari, ut jam supra actum à nobis est. *n.* 1023. *& seq.*

Hunc modum resolvendi nos docent Summi Pontifices in jure canonico, præsertim Clemens V. ad vitandos remorsus conscientiæ. Quænam difficultas in hoc apparet? Certe non minor, sed major adest in probabilismi modo, si radicitus secundum veritatem, & rectitudinem lustretur. *num.* 1025.

Dicis: Quænam major difficultas, quàm si quis nesciat judicium facere de opinionibus inter se oppositis, quæ sit cum excessu probabilior; & quod semper teneatur sectari, quod tutius est? Respondetur, apud diligentes Deum non erit hoc difficile, nec rigidum: De quo etiam supra actum est. Nec valet exceptio *per difficile* secundum carnem, & sanguinem, nec Doctores Sancti, dum ostendunt nobis viam salutis, recurrunt ad blanda, & suavia, & facilia

alia, quæ pro impossibilitate à plerisque allegantur. Ipse enim Sapientissimus Legislator cognoscit figmentum nostrum: cognovit esse rusticos, barbaros &c. Unde si quid voluit ab aliquo fieri, novit supra vires illius non esse. Non voluntariè hæc à nobis dicuntur, sed audiri possunt à S. Chrisost. referuntur. *num.* 1040. *& seq.*

§. IV. *Evasiones, & obiectiones contra datam doctrinam.* *num.* 1043.

Respondent quidam Sanctos Patres loqui concionatoriè, & per quandam exagerationem ad excitandum fideles admajorem diligentiam: & sic non tangunt sententiam benignam. Refellitur. Nunquid in concionibus non debet veritas doceri, sed occultari? Aliàs deciperent fideles. Deinde antiquitus non alij erant libri nisi Scriptura, & Sancti Patres. Sancti Thomas, & Bonaventura, & alij non aliam doctrinam tradunt,& loquuntur dogmaticè,& scholasticè, & non exagerative. Verum est aliqua concionatorie dicta esse in Scriptura Sacra, & Sanctis Patribus. Hæc autem sic debent intelligi, quando ex intelligentia in proprio, & rigoroso sensu sequitur inconveniens.

Cur Alexander VII. rejecit modum illum perniciosum opinandi, nisi quia non conformis doctrinæ Evangelij, & SS. Patrum? *num.* 1043.

Dices: in via probabiliorismi statuitur posse voluntatem operari licitè amplectendo opiniones magis probabiles stantes pro libertate contra legem, sed plures existis contingit esse falsas: ergo jam debes admittere esse invenibilem veritatem circa plura præcepta, aliàs non excusatur, qui illas opiniones amplecteretur. Respondetur. Quod raro continget opinionem esse falsam, dum habet requisita a nobis posita; ideo dixi in assertione, quod; *Veritas moralis ut in plurimum inveniri potest.* Non ita in via probabilismi, quia hoc ipso quod aliquid sit probabile, sine ulteriori inquisitione, licitum statuit; cum non dicat majorem connexionem cum vero, quam cum falso, & cum falso majorem, si est minus probabile, & ideo non inquiritur veritas, nec curat illan invenire. *num.* 1044. *& seq.*

§. V. *Fit satis argumento apud probabilistas strenuissimo.* *num.* 1046.

Sancti Patres, & Theologi insignes frequenter se contradicunt; & in materia morali plures opiniones minus tutas, & minus probabiles tradiderunt, & etiam plures,quæ erant falsæ: quibus attribui nequit defectus debitæ diligentiæ: si ergo illi contenti sunt judicio probabili, & in illis fuit veritas in pluribus invenibilis, & excusantur: cur ergo non idem dicendum respectu nostri? Resp. negando Sanctos Patres frequenter se contradicere. Raro enim in illis invenitur contradictio, nec docuerunt opiniones,quas ipsi probabiliores non existimassent, & verum quod tradebant. Quod autem quandoque id in se verum non fuisset, etiam dum minus tutum, id contingit, quia forte leviter defecerunt(non loquimur quando unaminiter consentiunt) in aliqua diligentia facienda: quod illis attribuere non est blasphemia: vel(quod verisimilius est)Deus permisit illos tunc errare, ut humiliarentur,& scirent,quod nō habebant clavem sapientiæ,non erant indefectibiles. Idque est intelligendum, dum scribebant, secus dum actu operabantur; non enim assistit Deus scribentibus, sicut operantibus, dum faciunt, quod in se est ex gratia Dei. *à n.* 1046. *usque* 1050.

Articulus XI. *Qualiter non facile debemus adhibere excusationes in peccatis.n.* 1051.

In pluribus nos excusamus, & coram Deo excusatio nihil proficiet. Cognoscere, quando adest invincibilis ignorantia circa jus naturale, est difficillimum, immo valde difficile,quod detur aliquando. Ignorantia facti etiam circa hoc jus, vel inadvertentia non raro datur. Et etiam circa jus positivum Divinum, & humanum dabilis est ignorantia, sed non circa ea,quæ communiter homines debent scire, & pertinent ad proprium statum. --

Quare Deus permittit nos laborare ignorantijs? *num.* 1051.

Hoc roboratur, & explicatur auctoritate D. August. & D. Thomæ *num.* 1052.

Non dari ignorantiam aliquā circa ea,quæ sunt

or-

ordine ad ultimum finem. Hinc est homines simplices, immo & fœminas sine scientiis scholarum, aut Authorum sapienter, & prudenter resolvere, & operari. *num.* 1069. *& seq.*

Quid contigit Magistro celebri Joan. Thaulero à simplici sæculari edocto. *n.* 1071.

Maxime ergo conducit virtutum exercitium ad veram sapientiam acquirendam, & inveniendam veritatem, ut recte viam nostram instruere, & actiones regulare possimus. Unde D. Aug. ad studium virtutum nos mittit, tamquam ad verum Magistrum, ut ab ignorantia cæcante liberemur. De omnibus agere minus diffusum; & sic de quatuor id ostendemus. *num.* 1073.

§. II. *Humilitas, & Obedientia maximè disponunt ad inveniendam veritatem, & regulandam conscientiam.* *num.* 1073.

Unde tam contraria consilia, tamque diversæ sententiæ? Unde nisi de cordis caligine? Ait Ricar. de S. Victore. Et unde maxime caligo provenit cordis nisi ex superbia? Quærendum ergo est Colyrium, & adhibendum, nimirum humilitas. Hoc nobis indicat S. Scriptura; hoc SS. PP. & comprobatur exemplo cujusdam ex sua natura ineptissimi, sed sapientissimi humilitate. *num.* 1074.

Humilitati affinis est virtus sublimis obedientiæ: Hæc ante se affert, docet, & intimat illud: *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.* Et illud: *Super senes intellexi; quia mandata tua quæsivi.* Pluribus aliis illustratur. *num.* 1076.

§. III. *Oratio est præcipuum medium ad veritatis inventionem.* *num.* 1080.

Quam aptum. & necessarium medium sit oratio ad inveniendas veritates practicas, pleni sunt libri sacri, & etiam sanctorum, id passim inculcantes, & ponderantes. Præcipuum est illud Regis Josaphat exemplum, quod nobis imitandum, & exequendum proponit Spiritus Sanctus. Paralip. 20. *Cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui; ut oculos nostros dirigamus ad te.* Angelicos Doctor, *numquam lectioni, aut scriptioni se dedit nisi post orationem.* Et alia plura. *num.* 1080.

§. IV. *Charitas multipliciter docet veritatem moralem.* *num.* 1083.

Quam plurima nos docebit, si manet in nobis Regina Magistra Charitas! *Sine qua vera, & Magistra Cœlestium virtutum Matre, quid facere debeat, vel quantum debeat omnino non novit &c.* ait Aug. *lucerna, & lampas &c.*

1 Charitas docet vitare quæstiones plurimas. Ubicumque occurrit dubium, intimat: *quasi à facie colubri fuge peccatum.* Non solum fuge colubrum, sed etiam faciem, idest, occasionem, & periculum peccati. Ipsius enim est illud Compendium Morale: *Quæcumque vultis ut faciant vobis, & vos facite illis.*

2. Docet, & facit nos quærere veritatem divinam, quam intimè impellit amare, & illi non displicere. Et vias nobis difficiles redit nobis suaves, & faciles.

3. Nos docet redendo animum bene affectum, ut non disputemus, nec lites cum legibus formemus, sed illas valde æstimemus: *Unusquisque enim judicat secundum, quod est affectus*: bene affectus ad Deum, sic erit ad suam legem; & qui vere Deum amat, iterat illud Ps. *Portio mea Domine dixi custodire legem tuam.* *num.* 1083.

4 Nos docet vitare incerta, & amplecti quæ justa sunt. Vere Deum diligens non intelligit illam vulgarem evasionem introductam per reflexiones: *lex solum materialiter violatur.* Adi illum, qui opere & veritate Deum diligit; & dic illi de jejunio, & recitatione officii divini &c. in libris est hæc opinio æque, aut minus probabilis. Nunqud illis assentietur? 5. In quæstionibus de facili, & difficili docet recte judicare. Sæpè recurritur à plerisque: *est difficile, quod idem est ac impossibile: unde non obligat.* Sed affectus charitate terrena non quærit, omnia possum in eo qui me confortat. Animam cum ipso Deo unit, & ut Trinitas Sanctiss. in illa maneat. Quod non sciet, qui talem Magistrum habet? *Homo Deo præsente illuminatur, absente autem continuo tenebratur*: ait. D. Aug. *n.* 1086. Pluribus illustratur hic §. 4. *num.* 1083.

DE

DE REGULIS MORUM

PRIMA PARS.

QUÆSTIO I.

De prima, & universali proximaque Regula Morum.

1 OMNIS nostra fælicitas, & beatitudo dependet à rectitudine operationum nostrarum. Hæ autem sunt in duplici differentia. Aliæ enim pertinent ad rectè credendum; aliæ vero ad rectè agendum. Nec unum sufficit sine altero. Siquidem ad salutem consequendam, quamvis omnino sit necessaria fides, sed non otiosa, & speculativa, sed quæ per dilectionem operatur; & ita; nihil proderit, nisi mores recti sint, nec mores sint aliquid, nisi fundentur in fide, eamque animent, vicissimque animentur ab ipsa. Circa utrumque requisitum salutarem doctrinam nobis reliquerunt, & tradiderunt, illi, qui primi fundaverunt Eccl., tum Christus Dominus, tum & ejus Apostoli; & observat D. Augus. lib. de fide & oper. cap. 3. *Quod si absurde* dicitur (scilicet solam fidem sufficere) *fateantur ergo Apostolos doctrinam suam ex utroque fidei, & morum, perfectam suis Epistolis indidisse: Sed propterea prius insinuasse fidem, & inde quoad vitam bonam pertinent subjecisse: quia in homine ipso, nisi praveniat fides, bona vita sequi non potest.*

2 Cæterum vel inter plures Catholicos, illa persuasio indulgentior locum obtinuit: qui licet de his, quæ ad fidem pertinent, recte de fidei doctrina sentiunt, circa reliquam, de rectitudine morum, multum arbitrio, & discursui suo decidenda putant, ut infra, dum de conscientia probabili agitur, apparebit. Et quia morum rectitudo dependet omnino ex commensuratione, & conformitate cum regula recta, ut apud omnes compertum est, & similiter malitia moralis ex eadem mensura attenditur, quatenus ab illa recedit: ideo prius de ipsa regula recta agere oportet.

ARTICULUS I.

Utrum prima Regula Morum sit natura rationalis.

3 DIcendum est, quod natura rationalis, ut rationalis est, non potest esse prima, & universalis Regula Morum. Pro intelligantia notandum est, quod nomine naturæ rationalis, ut rationalis est, tria possunt intelligi. 1. judicium dictans hic, & nunc aliquid esse faciendum, vel ommittendum. 2. Ipsa natura rationalis utens discursu, & libertate. 3. Natura rationalis prout est principium radicale intelligendi, ita ut si ejus inclinationi ratio actualis, seu dictamen sit conforme, erit regula recta, si vero difformis, erit erronea.

4 Prob. ergo breviter naturam rationalem nec primo nec secundo modo esse primam regulam rectam. Nam quicumque libere operans in quovis actu peccaminoso habet judiciũ dictans hic & nunc esse faciẽdum, vel ommittendum: at dum peccat, tunc dictamen & discursus potius est contra regulã rectam: ergo dictum judicium, vel natura rationalis, ut discursiva non est regula prima.

Prob. deinde (quoad 3. partem in qua posset esse aliqua difficultas) primo ex D. Th. 1.2. q. 71. art. 6. ¦ q. 2. de malo art. 4. & q. 5. de virtutib. art. 2. & 12. q. 19. art. 4. ibi ait: *lumen rationis, quod in nobis est, in tantum potest nobis ostendere bona, & no-*

& nostram voluntatem regulare, in quantum est lumen vultus tui, idest à vultu tuo derivatum. Unde manifestum est, quod multo magis dependet bonitas voluntatis humanæ à lege æterna, quam à ratione humana: & ubi deficit humana ratio, oportet ad rationem æternam recurrere.

5 Secundo prob. Prima regula rectitudinis moralis debet esse per se recta, & indeffectibilis moraliter: Sed natura rationalis, ut rationalis est, etiam radicaliter sumpta non est indefectibilis, sed maximè fallibilis, ut experientia docet in Lucifero, Adamo, & cæteris peccatoribus: ergo nequit esse regula prima recta. Tertio. Regulare moraliter idem est, quod præcipere, prohibere, & consulere: Sed hoc non facit natura rationalis radicaliter sumpta, siquidem solum concipitur, ut principiũ elicitivum intellectionis: Ergo non regulat.

Quarto; illa est prima regula moralitatis, quæ primo, & per se dirigit, & regulat actus morales in ordine ad ultimum finem, ad quem agens liberum debet respicere, dum recte operatur: sed natura rationalis nequit esse primum, & per se dirigens actus morales, cum sit solũ causa secũda: ergo nequit esse prima regula. Et confirm. natura rationalis ad summũ posset esse regula moralitatis puræ naturalis, prout dicebant stoici, qui ponebant fęlicitatẽ naturalem in exercitio virtutũ sistentes in earũ honestate naturali: nullatenus vero potest esse regula prima moralitatis Thæologicæ, & supernaturalis, de qua in præsenti quæritur; siquidem regula in hoc ordine debet excedere ordinem naturæ.

6 Objicies 1. Bonum est idem, quod naturæ conveniens: ergo præcise per hoc, quod actus sit secundum convenientiam naturæ, erit bonus moraliter: ac proinde natura tunc erit regula prima -- Conf. 1. Quamvis homo non regularet actum suum per aliã regulã extrinsecam, esset agens morale, & operaretur bene dando eleemosynã, male autẽ, furando: sed tunc sola esset regula talis moralitatis natura rationalis: ergo cũ nunc eadẽ sit essentia moralitatis, ac tunc; etiam modò talis natura est regula moralis.

Resp. ad arg.: *Bonum Physicum est natura conveniens*. Concedo. *Bonum morale*. Nego. Alias dum appetitus fruitur suis actibus, diceretur recte moraliter vivere, cum nihil sit naturæ magis conveniens. -- Ad confirmationem. Resp. quod in tali hypotesi, sicut est impossibile, ita sequitur utrumque: & operaretur bene: nam homo ipse sibi esset prima regula, & non Creatura, sed Deus, cum esset finis ultimus: non opęraretur bene moraliter; siquidem non haberet superiorem à quo gubernaretur, & dirigeretur in ultimum finem, aut non tenderet in finem ultimum, & consequenter nec bene, nec male moraliter ageret: Sed quia de hac quæstione optime agunt nostri Salmant. tom. 3. in 1.2. tract. 11. disp. 1. dub. 5. Ubi adducunt rationes, solvuntque argumenta contraria, ideo hic breviter hoc attingimus, de quo aliqua dicimus inf. à num. 239.

ARTICULUS II.

Utrum lex Dei æterna sit prima, & universalis regula moralitatis?

7 Dicendum est primam, & universalem regulam moralitatis esse legem Dei æternam, seu in ipso existentem. Est doctrina expressa D. Th. locis art. præcedenti relatis, & totius ejus Scholæ. Et prob. ratione Ang. Doctoris 1.2. q. 19. ar. 4. Illud est prima, & universalis regula morũ; cui omnis regula particularis in ordine morali subordinatur essentialiter, & ab ea in regulando dependet: Sed hujusmodi est lex Dei æterna; siquidem omnis ratio, & cujuscumque conscientia, quæ est regula particularis, & proxima, essentialiter subordinatur, & dependet in regulando à lege æterna: ergo hæc est prima, & universalis regula.

Respondebis: rationem, & omnem conscientiam dependere à lege æterna, ut causa effectiva, & exemplari, quod sufficit ad salvandam dependentiam essentialem; non vero dependere à lege æterna, ut regula, & causa morali in regulando.- Et responsio firmatur 1. Ex eò quod opera consilii sunt bona moraliter, & non per ordinem ad legem æternam; cum per illam hæc, nec præcipiantur, nec prohibeantur. -- 2. Quæ lege humana præcipiuntur, sunt bona moraliter: Sed hoc est sine ordine ad legem æter-

æternam, alias essent immutabilia. 3. Juxta phylosoph. 10. Meth. tract. 4. Regula, & mensura debet esse homogenea: sed æterna non est homogenea cum actibus humanis, siquidem in nullo conveniunt: ergo non est eorum regula.

8 Sed contra. Ratio creata, seu dictamen rationis non minus est causa in ordine morali, ac causa effectiva in ordine physico: sed causa effectiva in hoc ordine non solum debet dependere, & subordinari causæ primæ, ut causæ exemplari, ut primo creativæ, & ut causæ exemplari, sed etiam in omni actuali operatione: ergo sicut repugnat causam creatam effectivam agere sine influxu physico actuali primæ causæ, idem dicendum de causa secunda morali non posse agere sine morali influxu primæ causæ. -- Et confirmatur. Quia Deus non solum est primum bonum physicum; sed est primum bonum morale, & ultimus finis actuum humanorum: sed quia est primum bonum physicum, est primum principium influens actualiter in omnes actiones creaturarum: ergo quia est primum bonum in ordine morali, debet esse primum principium, & regula omnes, & singulas actiones morales dirigens, & regulans, ab illaque debet derivari omnis bonitas voluntatis creatæ: juxta illud principium: Illud, quod est primum in quolibet genere est mensura, & ratio omnium, quæ sunt illius generis: de quo D. Thom. 1. 2. q. 19. art. 9.

9 Ad illa quibus responsio fulciebatur, resp. ad 1. neg. min. licet enim opera consilii, nec præcipiantur à lege æterna, nec prohibeantur, cadunt sub illa, quatenus permittuntur, & approbantur. -- Ad 2. neg. min. Nam ut ait Apostolus ad Rom. 13. *Non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt*. Etenim lex humana nullam habet potestatem ligandi nisi derivatam à lege æterna, quatenus jubet: *Omni Superiori legitime præcipienti esse obediendum*. Unde quod legislator humanus præcipit, virtualiter, & universaliter hoc ipso à lege æterna præcipitur. -- Ad 3. dicimus cum D. Th. 1. 2. q. 91. art. 4. ad 2. Regulam, & mensuram proximam debere esse homogeneam, non vero remotam, & universalem, qualis est lex æterna.

10 Objicies: Actus indifferentes sunt actus humani: & tamen à lege æterna non regulantur, siquidem nullam bonitatem ab illa in ipsos influit, nec per contrarietatem ad illam mali reducuntur: ergo lex æterna non est regula universalis. -- Resp. 1. neg. min. ut enim ex D. Isidoro docet D. Th. legis actus est imperare, vetare, permittere, & punire. Quidam vero ex genere suo sunt actus indifferentes, & respectu horum lex habet permittere: ita. 1. 2. q. 92. art. 2. Resp. 2: hos actus indifferentes, dum humani, & liberi sunt in individuo, cadere sub lege æterna præcipiente ordinare illos ad debitũ finem; *quia actus hoc ipso quod non sit ordinatus ad debitũ finem, repugnat rationi, & habet rationem mali*; ut D. Th. docet 1. 2. q. 18. art. 9. & N. Salmant. tom. 3. tract. 11. disp. 7. à num. 16.

Ex dictis colligitur omnem perfectionem, seu bonitatem moralem à Deo velut guttam quamdam, aut stillam derivari ut à summo, & primo fonte totius bonitatis. Quare eatenus erit bonitas, & perfectio, quatenus imitatur illam summam bonitatem, & quò illam perfectius imitatur, & ad illam magis accedit per conformitatem, eò erit perfectior, & major bonitas: nec aliter actio aliqua nostra potest esse honesta, & recta, nisi secundum quod legi, & voluntati divinæ conformetur. Nam ut ait D. Th. 1. 2. q. 19. art. 9. *Unumquodque autem rectum, & bonum est, inquantum attingit ad propriam mensuram*.

ARTICULUS III.

Utrum Conscientia nostra sit proxima regula morum?

11. DIcendum est conscientiam nostram, seu dictamen rationis nostræ esse particularem, & proximam regulam morum. Probatur: illud est particularis, & proxima regula morum, quo formaliter applicatur regula universalis obiecto particulari, seu actioni morali, ut mensuretur: Sed uniuscujusque conscientia, & dictamen rationis est, per quam illa regula universalis applicatur; conscientia enim conferendo obiectum, seu actionem particularem cum regula univer-

 sali,

sali, judicat, an consonet, vel dissonet, & sic illam sibi applicando, dirigit suas actiones.

Confirmatur. Actus est bonus moraliter, aut malus moraliter, prout ipsa conscientia dictat; & est recta, aut non recta; ac proinde immediatè dirigit, & influit in actum. Ergo est mensura, & regula proxima. -- Deinde confirmatur, & explicatur. Deus quatenus causa prima, & universalis dirigit omnes creaturas in suum finem accomodatè ad suam naturam, quibus virtutem proportionatam præbet, per quam una quæque suo modo tenderet in finem ultimum: & quia creatura rationalis, ut potè libera, habet dominium, ut sequatur, vel non sequatur naturalem inclinationem, opus fuit speciali directionis modo, nempè directione morali, ratione cujus salva libertate participaretur lex æterna, & huic subijciatur. Quæ quidem participatio habetur per rationem humanam, seu dictamen rationis, quo determinatur, & dirigitur homo, seu illi intimatur, quæ agenda, quæ fugienda conformiter ad legem æternam, Quod probat Angelicus Doctor ex illo Psalmo 4. *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Quasi diceret: lumen rationis, quod in nobis est, in tantum potest ostendere bona, & nostram voluntatem regulare, in quantum est vultus tui, idest à vultu tuo derivatum.* ita 1. 2. q. 19. art. 4.

12. Hoc lumen prætiosissimum oportet hominem sensatum perficere, & non obscurare, si vult in illam deplorabilem miseriam non incidere, de qua loquitur Isaias capite 59. jam serò illam recognoscentibus. *Palpavimus sicut cæci parietem, & quasi absque oculis attrectabimus, impegimus in meridie, quasi in tenebris.* Perficitur ergo lumen istud ornando intellectum assiduè salutaribus, atque veris doctrinis, & potiùs virtutum exercitio, & legum adimpletione: juxta illud Psalm. 118. *Super senes intellexi, quia mandata tua quæsivi.* Et ibidem: *A mandatis tuis intellexi: propterea odivi omnem viam iniquitatis.*

13. Obscuratur vero hoc lumen doctrinis, in quibus veritas non quæritur, & præcipuè, ut docet Divus Thomas 1. 2. quæst. 94. art. 6. *propter malas persuasiones, vel etiam propter pravas consuetudines, & habitus corruptos.* De quo loquens David ait Psalm. 39. *Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui, ut viderem.* Quod exponit Noster Doctor Mysticus, & verè Theologus Beatus Joannes à Cruce libro 1. Ascensus Montis capite 8. *In hoc ipso obscuratur quis secundum intellectum, torpescit secundum voluntatem, & secundum memoriam obtunditur, & deordinatur in propria operatione. Quoniam hæ potentiæ, cum in suis operationibus ab intellectu dependeant ipso inordinato, perspicuum est ipsas quoque manere inordinatas, & perturbatas:* Unde ait David: *Anima mea turbata est valde.* Psal. 6.

Apponit exemplum idem Beatus Pater in papilione, cui parum deserviunt oculi; cum appetitus pulchritudinis lucis, ipsum caligantem ad flammam, & incendium confert. Undè rectè possumus affirmare de illo, qui affectu suo inordinato afficitur, esse instar piscis lumine piscantium fascinati, cui lux illa potius tenebras offundit, ne damna à piscatoribus sibi imminentia animadvertat. Quam rem egregiè explicavit David de hujusmodi dicens: *supercecidit ignis, & non viderunt Solem.* Psalm. 57. „ Videtis quomodo (inquit „ ibi Divus Augustinus) dicit quamdam „ pœnam obscurationis. Ignis supercecidit: ignis superbiæ, ignis fumosus: „ ignis concupiscentiæ, ignis iracundiæ. „ Quantus ignis est. Super quem cedidit „ non videbit solem. Ideo distinctum „ est. Non occidat sol super iracundiam „ vestram. Ergo fratres, ignem malæ „ concupiscentiæ timete, si non vultis liquefieri sicut cera, & perire à facie Dei. Supercadit enim ignis iste, & „ solem non videbitis. Quem solem? „ Non istum, quem tecum vident, & „ pecora, & muscæ, & boni, & mali, „ quia facit solem suum oriri super bonos, „ & malos. Est & aliud sol, de quo dicturi sunt illi: Et sol non ortus est in „ nobis; Transierunt omnia illa tamquam „ umbra. Ergo erravimus à via veritatis, „ & justitiæ lumen non luxit in nobis, & „ sol non ortus est nobis. Sap. 5. Hæc D. „ Aug.

14.

14. Quis unquam obsecro dixisset, nec cogitasset virum adeò Sapientia insignem, divinisque donis refertum, ut erat Salamon, ad tantam cæcitatem, & teporem devolvendum, ut in ultima sua ætate altaria Idolis erigeret, illisque cultum divinum adhiberet? Quid summum illud, quod Deus illi infuderat lumen, prorsus obruit? Quid tot nocumenta inferre potuit? Ipse causam assignat: *Omnia, quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis, neque prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur*. Eccles. cap. 2. Quia pravis affectionibus licentiam dedit, in eis frenandis in principio sollicitudinem non adhibuit, pedetentim intellectum ejus obcæcaverunt, & sic in tantum malorum profundum venit. *Quid ergo sperandum nobis est* (concludit ibi Noster Doctor Mysticus) *si innatis nobis tenebris addatur appetitus*.

QUÆSTIO II.

De Conscientia.

QUIA conscientia est proxima regula actuum humanorum, ut articulo præcedenti habitum est, oportet ejus naturam, & divisionem breviter explicare relinquendo plura, quæ inter Theologos latè discutiuntur, divisi in varios modos dicendi.

ARTICULUS I.

Quid sit Conscientia.

15. CONscientia diffinitur à Thomistis, quod sit: *dictamen rationis, seu judicium intellectus practici, dictans, quid hic, & nunc sit agendum, vel ommittendum*. Sumitur ex Divo Thoma 1. p. quæst. 79. art. 13. ibi: *Dicitur conscientia testificari secundum quod, per nostram conscientiam judicamus aliquid esse faciendum, vel non faciendum*. Quæ si propriè sumatur non est potentia, nec habitus, sed actus: tum quia habitibus, & potentijs utimur cum volumus, & ideò subduntur nostræ voluntati: at conscientia etiam nobis nolentibus dictat, arguit, &c. Tum deindè quia, ut docet Divus Antonin. 1. p. tit. 3. c. 10. §. 1. *Conscientia dicitur quasi cum alio scientia: applicatio autem scientiæ ad aliquid sit peractum*. Idem Divus Thomas loco mox citando.

Tum demum quia præfato actui intellectus conveniunt omnia, quæ tam in scriptura, quam Patribus de conscientia dicuntur: nempe, redarguere, perturbare, arguere, affligere, ligare, instigare, accusare, remordere: hæc autem omnia consequuntur applicationem alicujus cognitionis nostræ, seu scientiæ, aut notitiæ ad ea, quæ agimus. Quod contingit multipliciter. Unomodo quatenus judicamus aliquid esse, vel malè factum: & secundum hoc conscientia dicitur excusare, vel accusare, vel remordere, perturbare, arguere, vel redarguere. Secundo quatenus recognoscimus aliquid fecisse, vel non fecisse, & secundum hoc conscientia dicitur testificari, tertiò quatenus per nostram conscientiam judicamus aliquid esse faciendum, vel non faciendum; & secundum hoc dicitur conscientia ligare, dictare, vel instigare.

Quæres: ad quem habitum pertinet actus iste, qui est conscientia? Communiter dicitur esse actum prudentiæ, non quia ab ipsa virtute prudentiæ eliciatur propriè sumptæ; sed quia synderesis regulariter prudentia nuncupatur; & actus hic nempè conscientia procedit ab intellectu practico ex principijs Synderesis; qualia sunt: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris. Omne bonum est faciendum, omne malum est fugiendum*.

16. Sed est notandum, quod non intendimus, quod conscientia procedat ex illis im-

immediatè; quasi ex illis tantum dependeat, & solis illis utatur intellectus ad conscientiæ judicium formandum. Sed utitur fide divina, habitibus scientificis maximæ Theologiæ, & Philosophiæ moralis, testimonio, seu fide humana, & opinione &c. Sed quia omnes isti habitus cognoscitivi, seu cognitiones, quibus intellectus utitur, efficaciam suam habent ab habitu primorum principiorum, qui in proposito est synderesis, ideò dicitur conscientia ex principijs synderesis procedere, seu esse actus intellectus practici. Docet Divus Thomas 1. part. quæst. 79. art. 13. ad 3.

Ex quibus colligitur, qualiter differat conscientia ab actu, seu judicio scientifico, vel opinionis in ordine morali, quibus intellectus practicus utitur, (& idem de alijs cognitionibus.) *Conscientia*, siquidem (ut docet Divus Thomas loco proximè relato in corpore.) *secundum proprietatem vocabuli importat ordinem scientiæ ad aliud: nam conscientia dicitur cum alio scientia. Applicatio autem scientiæ ad aliquid fit per aliquem actum*. Constat autem, quod applicatio scientiæ, vel cujusvis cognitionis moralis est actus diversus ab ipsa cognitione applicata. Undè cognitio scientiæ, vel opinio differt a conscientia illas applicante in obiecto, fine, & modo procedendi. Nam cognitio, v.g. *peccatum dubium confitendum*, *dari obligationem*, est de agibili, ut de speculabili, finis est de contemplatione veritatis; modus procedendi est resolutivus, non factivus, aut directivus. Conscientiæ vero obiectum est de aliquo hic, & nunc licitè, vel illicitè agendo. Finis est, ut rectè fiat agentis operatio. Modus procedendi est modo factivo, & directivo.

17. Supposita igitur cognitione, quod datur obligatio confitendi peccata dubia, judicium conscientiæ ostendit, dictat, & concluditur per discursum intellectus practici in hunc modum: *ergo hic, & nunc hoc est faciendum*: vel hic, & nunc non est faciendum: ergo hic, & nunc peccatum dubium est confitendum. Differt etiam ab actu proprio prudentiæ, qui est per modum imperij practici ultimò determinativi; & concluditur per discursum intellectus practici: *ergo hic, & nunc fac hoc*: vel ergo hìc, & nunc non facias: ita ut huic imperio in sensu composito non potest agens resistere: Secus judicio conscientiæ: ut sæpe sæpius dicimus nos agere contra conscientiam.

Obiicies contra hucusque dicta: conscientia manet indormiente: sed homo in somno nullum habet actum intellectus: ergo non est actus. Respondetur ex Divo Thoma sup. ad 3. quod dormiens non habet actum conscientiæ actualiter, & formaliter; secus verò virtualiter. Et si enim actus in se non maneat semper in se; manet tantum in sua causa, quæ est potentia, & habitus.

18. Inquires: Homo qui est melioris ingenij, erit ne etiam melioris conscientiæ? Et videtur quod sic: nam cum conscientia sit actus intellectus, qui est majoris ingenij, eò habet meliorem intellectum, & illius actus habebit meliorem conscientiam. Dicimus posse esse melioris conscientiæ naturaliter, physicè, & in se ipsa sumptæ; secus moraliter, & cum extensione ad voluntatem, prout hic debet accipi. Conscientia etenim est actus intellectus practici voluntatem connotantis. In quo sensu; qui absolutus est, dantur plures homines ingeniosissimi, quibus sunt conscientiæ pessimæ: econtra plures ingenio tardi, nullam scientiarum notitiam habentes, quibus optimè conscientiæ sunt. Et ea propter, quamvis conscientia sit actus intellectus, cui convenit veritas, vel falsitas; tamen dicitur bona, vel mala, quia est actus intellectus practici, de illicitè, vel licitè agendo, & connotat voluntatem.

ARTICULUS II.

Quotuplex sit Conscientia.

19. Dividi communiter solet conscientia incertam, probabilem, dubiam, rectam, erroneam, laxam, & scrupulosam. Quæ divisio sumitur per ordinem ad modum judicandi, seu respectivè ad motiva, vel principia, per quæ movetur, vel inclinatur ad sic, vel sic judicandum. Si enim procedit ex motivis certis sibi,

sibi, oritur in eo conscientia certa, si ex probabilibus, probabilis, si ex defectu, aut æqualitate motivorum suspendit judicium, dicitur habere dubiam conscientiam. Similiter potest considerari conscientia respectivè ad obiectum, seu rem consideratam. Undè si ita fiat conscientia, ut sit conformis ad obiectum in genere moris, ut reipsa est in se: ut dũ judicat usuram esse illicitam, aut licitum esse Censum; est conscientia recta, sive vera: Si deformis, quia aliter in se est res judicata, est falsa, seu erronea. Et denique conscientia potest considerari respectu ad subiectum, sive ipsum agens ratione defectus bonæ dispositionis; ita quod excæcatum aliqua passione, vel prava consuetudine, aut affectu corruptæ voluntatis, & ideò ex propria concupiscentia errat contra legem, dicitur conscientia laxa. Si autem econtra ex nimio quodam timore, & ex levibus fundamentis conceptis plus rigidè, quam lex obliget, errando judicet, erit conscientia scrupolosa.

20. Solet etiam dividi conscientia in bonam, & malam: Unde Apostolus 1. Thim. 1. dicit. *Finis præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona*. Et si vis fiat in terminis; bona est, quæ inculpabiliter operatur, licet forte deviet à veritate. Mala vero, qua culpatur agens, etiam si fortè contingat agere conformiter ad legem. Undè conscientia bona dicitur, quę prudentialis est in genere opinandi, sive in se vera, sive falsa, sive erronea. Mala verò, si imprudentialis sit, licet aliàs in se vera sit. Et notandum divisionem hanc conscientiæ in prudentialem, & imprudentialem esse valde utilem ad dijudicandum, & discernendum conscientiam bonam à mala. Quia in multiplici acceptione conscientiæ hoc est potissimum, quod attendere debemus, ut scilicet bonam, & malam conscientiam discernamus. Ac proindè hæc divisio est, quæ revera habet magis propriè formaliter, & moraliter rationem conscientiæ. Nam se tenet ex parte modi procedendi ipsius agentis, informando sibi dictamen, vel per prudentiam, vel sine prudentia in genere electivo, vel operativo, & non solum in genere cognoscitivo: qui modus est valde proprius conscientiæ: Ut articulo præcedenti dictum est. Aliæ verò conscientiæ ex prius recensitis propriè, & proximè non sunt in tali genere, sed potius in genere cognoscitivo veritatis in se, si bene considerentur.

21. Obiicies: conscientia dubia nequit appellari conscientia: ergo non rectè apposita est in ejus divisione. Probatur antecedens: conscientia importat actum intellectus, estque circa verum: sed conscientia dubia potius importat suspensionem, & carentiam actus. ergo. = Respondent aliqui, ideo hanc vocari conscientiam, quia est privatio conscientiæ, & privatio in moralibus reducitur ad actum. Sicut peccatum est dictum, vel factum &c. Et tamen ommissioni convenit ratio, seu definitio peccati. Sed melius cum nostro Lezana dicitur vocari conscientiam; quia licet formaliter, & expresse nullum includat actum, seu judicium; virtualiter tamen, & moraliter illud includit: quatenus, qui de re aliqua dubius est, censetur judicare utramque partem contradictionis incertam. Et proptera dubius in fide censetur hæreticus; quia dubitans de rebus fidei, censetur illas judicare esse incertas.

ARTICULUS III.

An teneatur quisque facere secundum propriam conscientiam:

22. Certissimum est, quando conscientia est vera, atque certa, teneri secundum ipsam operari, aliàs peccat; (nunc loquimur de conscientia recta, nam de obligatione conscientiæ erroneæ infra q. 4. erit sermo.) Colligitur ex D. Paulo ad Romanos 14. *Omne quod non est ex fide peccatum est: idest omne quod est contra propriam conscientiam*: ut explicat D. Thomas 1. 2. quæst. 19. art. 5. Divus Bernar. de prec. & dispens. & communiter Sancti Patres, & docet textus in c. ult. de præscript. cap. Litteras de restit. spol. & ita conclusionem docet Divus Thomas loco citato, & ibi artic. 6. ubi communiter expositores. Ratio est. Peccatum tunc datur, cum voluntas non conformatur legi, seu regulæ morali: sed conscientia nostra est proxima regula moralis nostrarum actio-

num

num, quæ nobis proponit, & applicat legem æternam, naturalem &c. ergo illi non conformari est peccatum. Inquires an sit unum, vel duplex peccatum, quando aliquis agit contra legem, & contra propriam conscientiam, dum existimat quis dari legem, quæ reipsa non est. Respondetur esse unicum peccatum. Quia dum dantur plura præcepta circa actum virtutis, si prohibent sub eadem ratione, non multiplicatur peccatum; ut constat in furto prohibito jure naturali, divino, & humano: non enim propter tot præcepta, tot dantur peccata: ergo licet teneatur quis conformari legi, & conscientiæ. v. g. de non jurando falsum, non ideo datur duplex peccatum. = Et confirmatur: quia propria conscientia, & lex sunt inter se subordinata, undè formalitèr est eadem prohibitio: sicut prohibitio Regis, & Prętoris de eadem re.

23. Ulterius inquires. An quando conscientia dictat aliquid esse peccatum, non distinguendo an sit mortale, aut veniale, sed solum confusè, quod sit malum, obliget graviter. Respondetur affirmativè: Nam qui amplectitur obiectum malum sine sufficienti examinatione, quod sit mortale, exponit se periculo amplectendi malitiam mortalem; sed hujusmodi animus nequit à malitia mortali excusari. Ergo =Confirmatur. Qui ita operatur, saltem virtualiter, & ex vi modi operādi prosequitur non solum eam malitiam, quæ fortasse erit, sed omnem aliam, quæ ex vi talis cognitionis potest esse, & non excluditur: sed ex vi talis cognitionis non excluditur malitia mortalis: ergo quantum est ex modo operandi amplectitur illam. Quod explicatur, in eo qui videret animal in communi, non distinguens an sit fera, vel homo: si jacularet in illud, & interficeret, a nemine excusaretur a peccato homicidij. Quare sic docent N. Salman. tom. 4. de peccat. disput. 10. num. 160. & est sententia communis; licet Navar. Reginal. Lopez, & alij pauci contrarium sentiant: non enim horum sententia alicujus momenti fundamentum habet.

24. Præterea dubitabis. An Deus possit dispensare in hoc, quod conscientia non obliget? Ad quod dicit Corduba l. 3. q. 10 v. 3. pr. esse probabilem Scoti sententiam, Deum posse dispensare in præceptis decalogi secundæ tabulæ. Undè stando in hac sententia asseritCorduba esse probabile Deum dispēsare posse, quod non sit peccatum agere contra conscientiam, & sequitur Almain. Tract. 3. moral. c. 15.

Sed contrarium est tenendum juxta sententiam communem, & ratio convincit. Quia dum fit dispensatio legis, tollitur lex respectu illius, cui fit dispensatio: sed manente conscientia dictante aliquid esse malum, manet lex, & prohibitio ejus, de quo est Conscientia, nihil enim est conscientia, quam dictamen proponens prohibitionem, seù legem, illamque intimans: ergo non stat stare Conscientiam, & non stare prohibitionem, & per consequens quantum ad hoc dispensatio nequit intelligi. Nec ex illa Scoti sententia infertur bene possibilitas dispensationis: nam dato, quod Deus dispensaret in præceptis naturalibus, tolleret præceptum respectu illius, cum quo dispensaretur, ita nec tunc haberet conscientiam peccati, at respectu illius, qui habet peccati conscientiam, nequit tolli præceptum, vel prohibitio. Præterquam quod propriè, & in rigore loquendo, neque Deus rigorosè dispensare potest in præceptis naturalibus, ut docet Divus Thomas 1. 2. quæst. 94. art. 5. & quæst. 100. art. 8. Dicitur tamen posse dispensare, quatenus potest mutare materiam, & illa mutata, jam non obliget: ut in occisione Isaac non esset homicidium, & in ablatione rerum Ægyptiorum facta ab hæbreis non esset furtum: quatenus ut supremus Dominus potest disponere de vita, & rebus hominum de quo Nost. Curs. mor. Salm. tr. de matr. cap. 5. num. 43. & de legib. cap. 5. num. 21.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

De Conscientia recta.

CERTISSIMUM est rectitudinem nostrarum operationum dependere à rectitudine nostræ conscientiæ, tanquam à proxima regula, & mensura, ut supra q. 1. art. 3. habitum est. Unde omnis nostra solicitudo deberet esse in omni negotio, verbo, opere, & cognitione, in benè, & debitè formanda hujusmodi conscientia, ex quo dependet æterna nostra salus. Sed quò majoris momenti est ad hanc rem applicatio, eò in varios modos dicendi, & diversitatem assignandi regulas ad hanc rectam conscientiam formandam distenduntur hominum placita, maxime post ortum recentiorum probabilismum.

ARTICULUS I.

Unde conscientia sit formaliter recta.

25 DIcendum est conscientiam formaliter esse rectam, ex eo quod conformatur appetitui recto. Pro quo est notandum, quod nomine appetitus recti, quo multoties utitur D. Th. cum Arist. 6. Ethic. cap. 2. Scot. & alii sumimus in præsenti voluntatem rectam, cujus rectitudo desumitur ab objecto recto, seu quod est conforme regulis moris, legi nempe, & voluntati divinæ: hæc enim est prima mensura bonitatis omnis, & ideo dum voluntas prosequitur objectum illi conforme, est recta, & moraliter bona: Ut docet Ang. Præc. 1. 2. q. 19. art. 9. Hoc supposito probatur conclusio. Bonitas moralis judicii, utpote actus intellectus, debet sumi ab illo principio, à quo derivatur omnis bonitas moralis in nostris actibus: Sed conscientia est judiciũ practicũ, & morale, cujus rectitudo est bonitas moralis: ergo cũ voluntas sit principium, à quo derivatur talis bonitas, per conformitatem ad illam, ut rectam, debet sumi conscientiæ rectitudo.

Objic.: cõscientia invincibiliter errans est recta: & tamen non est conformis appetitui recto, tunc enim appetitus non est de objecto conformi regulis moris: ut patet in eo, qui judicat teneri mentiri: ergo conscientia non est recta per conformitatem ad appetitum rectum. Resp. neg. maj. Nam talis conscientia, inquantum est errans invincibiliter, est inculpabilis, non vero positivè recta, ut docet D. Th. 1. 2. q. 19. art. 6. de quo erit nobis sermo infra q. 4. art. 12. à num. 227.

Objicies secundò. Datur conscientia de actibus indifferentibus, sunt enim actus humani: Sed non est tunc ab appetitu recto. Ergo. Resp. quod eò modo, quo datur conscientia, sumitur ab appetitu, seu voluntate moraliter. Nam licet objectum secundum speciem sit indifferens; in individuo vero, prout judicatur esse prosequendum, vestitur circunstantiis, quæ illud regulis morũ conforme faciunt, aut difforme: si enim fiat cum relatione ad bonum finem, erit secundum appetitum rectum, & consequenter conscientia tunc erit recta, secus si non referatur. Quod expresse tradit D. Th. 1. 2. q. 18. art. 9. & late N. Salmatt. ibi.

26 Inquires. Quomodo in praxi tacitè, vel expresè, virtualiter, vel formaliter formetur conscientia recta ex conformitate ad appetitum rectum v. g. dum quis concludit hîc, & nunc non esse mentiendum? Resp. dum instat occasio, intellectus per synderesim, quæ est habitus primorum principiorum moralium confortatus, format hanc majorem: *Malum est fugiendum*: cui se conformans voluntas elicit: *Volo fugere malum*. Deinde intellectus alio habitu, lumine rationis, aut auxilio, elicit per modum minoris: *mendacium est malum*: &, quia ex illa majori, & hac minori, utpote certissimis recte concluditur: idem intellectus infert aliam propositionem, seu cognitionem: *ergo mendacium est fugiendum*, quam applicat intellectus practicus per judicium, seu concludens; & dicens: *hîc & nunc non est à me mentiendum, sed fugiendum mendacium*. Cum ergo hic actus con-

ſcientiæ rectæ conformetur, & actui illi antecedenti voluntatis: *quo voluit fugere malum*: & huic conſequenti: *quo vult hic & nunc mendacium vitare*, dicitur conſcientia recta, quatenus conformatur appetitui recto.

ARTICULUS II.

Utrum conſcientia, ut recta ſit, debeat neceſſario eſſe omnino certa, & evidens.

HÆc difficultas diffuſa egebat diſcuſſione: ſed quia dum agitur de conſcientia probabili, examinatur, ideo illam ibi fuſius expendendam reſervamus, tum authoritate, tum ratione. De quo à n.850. Sed aliqua dicemus hic, cum ſit proprius locus.

§. I.

Ut conſcientia recta ſit, non requirit in ſe omnimodam certitudinem, nec evidentiam, & illam ſepæ non habet.

27 PRob. 1. ex illo Job cap. 9. *Verebar omnia opera mea.* Et ex D. Paul. 1. Cor. 4. *Nihil mihi conſcius ſum; ſed in hoc juſtificatus non ſum.* 2. ratione ex D. Th. quæſt. 17. de verit. art. 2. *Quia conſcientia nihil aliud eſt, quam applicatio ſcientiæ ad aliquem ſpecialem actum, in qua quidem applicatione contingit errare dupliciter; uno modo, quia id, quod applicatur, in ſe errorem habet; alio modo, quia non benè applicatur*: Sed applicatio, in qua contingens eſt errare, illius rectitudo non eſt evidens, ergo conſcientiæ rectitudo non eſt omnino certa, & evidens, ſed ex natura ſua fallibilis.

Confirm. 1. Certum eſt conſcientiam probabilem ſæpe eſſe rectam, v. g. dum quis nixus auctoritati D. Th. & ſententiæ communi judicat hîc, & nunc non peccare, dum peccatum non confitetur illico poſtquam illud commiſit, licet commode poſſit; exiſtimamus hanc conſcientiam eſſe rectam: licet contrariam ſententiã D. Thomæ aliqui defendant: & tamen non eſt evidenter certa prædicta conſcientia, ſiquidem ſententia D. Th. non docetur, ut evidens. Ergo. Confirm. 2. Si conſcientia recta eſſet ceceſſario evidens, nec Confeſſor poſſet abſolvere pœnitentem, nec hic accedere ad Sacramentum, niſi haberent omnimodam certitudinem, & evidentiam de diſpoſitionis ſufficientia, nec accedere ad Euchariſtiam, niſi eſſet illi evidens eſſe in ſtatu gratiæ. Si autem evidens hoc illi eſſet, nempe accedere cum ſufficienti diſpoſitione, evidens erit juſtificari. Contra Concil. Trident. Seſs. 6. de juſtif. cap. 9. & Can. 13.

Reſpondent probabiliſtæ recurrendo ad ſua judicia, nempe directum, & reflexum, ita quod directum, & remotum non debet eſſe evidens, benè vero proximum, & reflexum deductum ex propoſitionibus reflexis: hoc modo: *qui operatur prudenter evidens eſt, quod operatur honeſte: ſed qui ſequitur opinionem probabilem, licet minus probabilis ſit, & contra legem, etiam eſt evidens prudenter operari: ergo eſt evidens honeſte operari hic, & nunc.*

28 Sed contra. Dum aliqua ex præmiſſis non eſt evidens, ſed probabiliter falſa, implicat concluſionem eſſe omnino certam, & evidentem, nam juxta principium logicum: concluſio ſequitur debiliorem partem: At minor appoſiti ſyllogiſmi non eſt evidens, ſed probabiliter eſt falſa. Ergo non legitime infertur evidens judicium, ſeu concluſio de honeſtate actionis. Min. videtur manifeſta: tum ex tot ſapientiſſimis Auctoribus illam, ut falſam rejicientibus: tum ex auctoritatibus Sac. Scripturæ, SS. PP. & propoſitionibus damnatis ab Alex. VII. & Innoc. XI. aliiſque rationibus valde urgentibus, de quo late nobis erit ſermo infra, dum de opinione probabili tractemus.

Objicies: Natura ſic conſtituit hominem rationalem, ut ex propriæ conſcientiæ ſuæ dictamine poſſit judicari, ideo enim eſt regula, & per regulam ſumus judicandi: ſed id non poterit fieri, niſi conſcientia noſtra ſit omnino certa, & evidens, aliter enim quomodo poterit eſſe judicium illud certum: ergo requiritur in operando honeſte conſcientia omnino certa, & evidens. -- Reſp. neg. min. Ut conſtat in Apoſtolo, qui ex propriæ conſcientiæ teſtimonio judicatus eſt, quin ſibi eſſet evidens: *nihil enim mihi conſcius ſum, ſed in hoc non juſtifica-*

ficatus ſum. Imo ſi ex evidentia conſcientiæ noſtræ ſumus judicandi, non indicabimur de actione mala, niſi malitia ſit evidens. Dicimus ergo, ut §. ſeq. conſtabit, ad rectitudinem conſcientiæ noſtræ, & ut in judicio rationem operationis bonæ redamus, ſufficere moralem certitudinem conſcientiæ de rectitudine actionis.

§. II.

Conſcientia recta debet eſſe moraliter certa.

29 HAnc concluſionem aliqui apud Mercor. 1. par. . . . exiſtimant eſſe de fide fundati in illo ad Rom. 14. *Omne quod non eſt de fide peccatum eſt*. Ubi gloſſa: *Fides noſtra vult, ut homo agat hoc, quod bene intelligit eſſe agendum; & peccatum eſt, quod aliter fit, quam probatum eſt*. Ita videntur aſſentiri Auctores communiter requiri dictam certitudinem. Prob. ut conſcientia ſit moraliter recta, debet dictare judicio abſoluto, & firmo operationem eſſe honeſtam ex motivis firmis, ita ut excludatur omnis rationabilis dubitatio, ſeu poſitiva formido; ſed ad hoc requiritur in conſcientia moralis certitudo: ergo ut conſcientia ſit recta, debet eſſe certa moraliter de rectitudine, & honeſtate operationis.

Prob. Maj. tum quia qui operatur cum dubitatione rationabili, ſeu formidine poſitiva, non operatur illo ſimplici oculo, ut Chriſtus D. monet; nec illa bona fide, quam Apoſtolus requirit. Tum etiam, quia conſcientia ſe exponens periculo peccandi, & legem contemnens non eſt recta: ſed ſtante illa dubitatione, vel formidine rationabili, & poſitiva operans ſe exponit periculo peccandi, & in operando virtualiter contemnit legem fortè prohibentem, vel præcipientem: ergo tunc non eſt recta ejus coſcientia.

30 Ex quo etiam probatur min. Pro qua eſt ſciendum, quod ſolum eſt difficultas, quando operans non habet illam certitudinem provenientem à fide ſupernaturali, vel humana omnino certa, aut per cognitionem ſcientificam circa operationis honeſtatem, ſed tantum habet cognitionem ex fundamentis probabilibus, generantibus opinionem, de cujus ratione eſt habere formidinem. Hæc autem dupliciter contingit. Primo quando ex parte v.g. inhoneſtatis operationis dantur motiva fortiter impellentia intellectum, quod forte operatio illicita ſit, licet alia etiam fundamenta habeat, quod ſit licita; tunc, quia intellectus fluctuat poſitivè, dicitur habere formidinem poſitivam: ſecundo contingit intellectum habere adeò firma fundamenta pro honeſtate operationis, quod licet aliqua exiſtimet dari pro parte contraria, hæc quaſi extinguuntur ab aliis. Ut quando quis judicat poſſe celebrare non recitato Matutino, quia fundamenta pro hac parte ſunt manifeſtè, & ſenſibiliter urgentiora, & excludunt rationabilem formidinem, manetque conſcientia cum certitudine morali de licito illius actionis. Hæc igitur certitudo requiritur, ſecundum quam non datur periculum ſaltem proximum peccandi. Et tunc licet detur aliqua formido, dicitur negativa, de qua non eſt curandum.

31 Confirmatur. Conſcientia recta eſt actus moraliter bonus, ſiquidem elicitur à virtute prudentiæ: ſed actus, ut ſit moraliter bonus, & virtutis, requirit bonitatem moraliter certam, cum non detur minor certitudo, quam moralis, & virtus ſe habeat determinate ad bonum: ergo ut ex conſcientia oriatur, ſeu eliciatur actus virtutis, & honeſtus, requiritur certitudo moralis de ejus honeſtate. Poſſet idem explicari in modo operandi humano in mundi ſtatibus. Ut militiæ princeps committat bellum, & prudenter operetur, non eſt neceſſe habere omnimodam certitudinem victoriæ, nec mercator reſpectu lucri in negotiatione, nec in naviganti ad Indos &c. Ut enim prudenter pericula contemnāt, ſufficit certitudo moralis de bono exitu rerum. Sic in præſenti, non requirit à nobis Deus niſi hanc certitudinem juxta modum operandi: At ſicut in adductis exemplis ſi quis aggrederetur bellum, navigationem &c. cum dubitatione, vel rationabili, & poſitiva formidine perdendi exercitum, pereundi in mari, imprudenter ageret, cur etiam in rebus tanti momenti, quales ſunt divina lex, & Dei voluntas, ſalus

ſalus æterna, non erit imprudentia ſe committere periculo illis contraveniendi?

32 Objicies 1. Poteſt quis recta conſcientia ſe ponere in his circumſtantiis, in quibus rationabiliter formidet, quod ſit in pecatum lapſurus: ergo non requiritur, ut conſcientia ſit recta, quod excludat poſitivam formidem, aut rationabile dubium peccandi, ſed ſufficit quælibet ratio probabilis ſuadens abeſſe periculum. Prob. ant. 1. in eo qui ſedat converſioni Hæreticorum, aut Infidelium. 2. in multis Sanctis qui ſe expoſuerunt periculo peccandi. 3. in ſe applicantibus, & ſummentibus officia ex ſe periculoſa, qualia ſunt, mercatoris, Judicis Advocati &c.

Reſp. neg. ant. ad 1. probationem dicimus, id licite fieri, dum fiat, vel ex obedientia, aut ex motione, quam percipit ob zelum animarum cum humilitate, & ſic confidens non in ſuis viribus, ſed in auxilio divinæ gratiæ, quam non ſibi de futuram poteſt quis ſperare; & ſic non habebit conſcientiam dubiam, ſeu cum formidine rationabili, ſeu poſitiva -- Ad 2. Eodem modo reſp. Cum enim illa officia licita ſint, & bono communi neceſſaria, dum quis illa aggreditur bono fine, & cum recta intentione faciendi, quod eſt in ſe ex gratia Dei, & adimplendi quod juſtum fuerit in munere ſuo, non ſe exponet periculo proximo, quod neceſſe eſt vitandum. Si vero illa officia aſſumat, ut divitiis, honoribus, deliciis, & mundi pompis abundet, non eſt dubium ſe magno eſſe expoſitum periculo, tunc que non erit conſcientia recta. Ad 3. Reſp. quod ſi Sancti illi re vera periculo ſe expoſuere, in hoc tamen non fuiſſe Sanctos. Pie tamen credendum eſt id feciſſe ex motione Dei, & de ſua perſeverantia non cadendi ſecuros. At Sanctorum exempla extraordinaria miranda ſunt, non imitanda.

33 Objicies 2. Confeſſarius ſæpe nequit habere certitudinem moralem de ſufficienti diſpoſitione pœnitentis: Ergo non requiritur in conſcientia recta talis certitudo. Reſp. neg. ant. Ut conſtat ex dictis, & colligitur ex illa damnata propoſitione ab Innoc. XI. ... *licere ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti*: Et cum multoties non poſſit haberi evidentia, ſaltem ſequitur oportere adeſſe hanc certitudinem moralem de ſufficientia. Nam licet credendum ſit pœnitenti regulariter tam pro ſe, quam contra ſe, niſi aliud ſuadeant circunſtantiæ; Non tamen dictum pœnitentis ſolum cauſat moralem certitudinem de ſufficientia diſpoſitionis, ſed debet cum adminiculo ordinario talium circunſtantiarum, (ut fiat prudenter credibile,) quod ipſius dictum ſit verum, ut ſi cognoſcatur eſſe timoratæ conſcientiæ: non habere occaſionem proximam, aut conſuetudinem peccandi; accedere frequentius ad Confeſſionem. De concluſione hujus §. redibit ſermo infra dum de conſcientia probabili agemus.

§. III.

Ad actionis honeſtatem ſufficit, quod conſcientia ſit moraliter certa de bonitate illius.

34 Quamvis de hoc puncto fuſius nobis ſit agendum, dum infra de probabilitate tractemus, quia vero hic eſt etiam locus proprius illius, breviter illud expediemus. Prob. concluſio 1. Ex propoſitione damnata ab Alex. VIII. 7. Decem. 1690. *Non licet ſequi opinionem, vel inter probabiles probabiliſſimam*: Ergo ejus contradictio debet ſuſtineri: *licet ſequi aliquam opinionem inter probabiles probabiliſſimam*. Sed hæc opinio non tranſcendit certitudinem moralem, alias eſſet de fide, vel ſcientifica ejus cognitio, & non eſſet opinio. Ergo ſufficit ad honeſtatem actionis conſcientiam habere de illa certitudinem moralem.

2 Prob. auctoritate, & ratione D. Th. 1.2. q. 96, art. 1. ad 3. *Non eſt eadem certitudo quærenda in omnibus, ut 1. Ethic. dicitur. Unde in rebus contingentibus, ut ſunt naturalia, & res humanæ, ſufficit talis certitudo, ut aliquid ſit verum in pluribus, licet deficiat in paucioribus*: His verbis D. Angel. exponit naturam certitudinis moralis, quæ ſufficit ad honeſtè operandum: & ut operatio ſit prudens. Sicut etiam in commerciis, & aliis exercitiis, & functionibus, quas homines aggrediuntur, ut dicantur prudenter operari, ſufficit certitudo, ut ſit

verum

verum in pluribus, licet deficiat in paucioribus, ut in exemplis adductis §. ant. 1. num. 27. Et confirm. etenim ſi non ſufficeret hujuſmodi certitudo, obligaretur homo ad id, quod eſt ſupra modum humanum, & impoſſibile. Explicatur etiam in adoratione hoſtiæ, de cujus conſecratione non ſum niſi moraliter certus: nec alia certitudine mihi conſtat me eſſe baptizatum, Sacerdotem &c. ſimiliter quomodo aliter poteris, ſeu teneris hunc hominem, ut Patrem tuum venerari, & obedire. Ut obſervat D. Aug. lib. de Util. Cred. cap. 12. *Si quod neſcitur credendum non eſt: quomodo ſervient parentes filii?*

35 Sed arguunt Frondotius, & Sinichius contrarium ſentientes. 1. ex Sac. Scriptura. Prob. 6. *Qui amat periculum, peribit in illo*: Sed qui nititur ſoli certitudini morali, amat periculum. Ergo: -- 2. Eccl. 27. *Ante omnia opera tua verbum verax præcedat te*. Sed conſcientia tantum moraliter certa non eſt verbum verax: ergo non eſt recta. -- 3. Ex Deuter. 26. tenemur diligere Deum, & præcepta adimplere ex toto corde: Sed qui tantum eſt certus moraliter de adimpletione, non adimplet ex toto corde. Ergo non recte adimplet.

Reſp. ad 1. locum, neg. min. de periculo proximo, quod autem ſe exponat remotè, non vitiat conſcientiam, aliàs teneremur exire de mundo. -- Ad. 2. Reſp. dum conſcientia eſt moraliter certa, eſſe etiam verbum verax moraliter certum. Quod ſufficit. -- Ad. 3. neg. min. Non enim Deus nos obligat ad illum amandum, & præcepta alia adimplenda ex toto corde, niſi certitudine humano modo poſſibili; aliàs ſi certi eſſemus de adimpletione præcepti charitatis, eſſemus etiam certi de noſtra juſtificatione, quod eſt contra Concil. Trid.

36. Arg. 2. ex cap. Per tuas, de Simonia, & ex capite in quæſtioni de ſentent. excommunic. in quibus docet Pontifex habentem conſcientiam nimis ſcrupuloſam vel ex credulitate levi, & temeraria, illicitè operari, ſi faciat contra ejuſmodi conſcientiam: ſed qui eſt certus moraliter tantum poteſt habere levem ſcrupulum, & illam credulitatem: ergo talis conſcientia non eſt recta. Reſpondetur: Recte docere Pontificem in caſibus utriuſque textus illicitè operari, qui faceret contra conſcientiam modo ibi relatam, niſi ſcrupulum, & credulitatem illam deponat operans. Et ideò in 1. textu concluditur: *Quam utique non evadet, niſi deponat errorem*. in 2. vero capite cum ibi eſſet ſermo de fœmina, utpotè inſcia, dicitur poſſe expellere illam credulitatem ex ſui Paſtoris conſilio. In quibus Pontificis deciſionibus, nihil contra nos. Quia cum aſſerimus ſufficere certitudinem moralem, ſupponimus ex vi illius eſſe deponendam formidinem levem, quæ oriri poteſt ex fundamentis contrarijs, quæ ſupponimus levia eſſe comparativè ad illa, ex quibus formatur conſcientia formaliter certa. Si autem non deponatur formido, aut ſcrupulus, certum eſt operantem peccatum non evadere.

Arguit. 3. Cum morali certitudine ſtat formido negativa, ut dictum eſt ſupra: ſed qui cum formidine operatur licèt negativa, peccat. Ergo &c. Prob. min. habens ejuſmodi formidinem, ſimul habet hunc actum: *forte quod ago, non eſt bonum*: ſed qui cum hoc actu operatur, peccat. Ergo. Reſp. negando min., & adprobat. negatur maj. Qui enim operatur conſcientia recta moraliter certa; ita diſcurrit omnibus conſideratis; habeo fundamenta adeò urgentia, quod mihi abſolutè perſuadeo hanc actionem eſſe licitam, quamvis non ſit impoſſibile, quod aliter ſit. Et hoc judicium habuit Apoſtolus, dum dixit: *nihil mihi conſcius ſum*. Abſolutè judico me eſſe ſine peccato; quamvis non ſit impoſſibile, quod aliter ſit.

37. Arg. 4. & difficillius. Conſcientia, quæ tantum eſt moraliter certa de honeſtate operationis, non eſt prudens: ergo non eſt recta. Prob. antecedens, Virtus intellectualis ſemper dicit verum, & nunquam falſum, ſed prudentia eſt virtus intellectualis, ſubiectatur enim in intellectu: ergo, (cum conſcientiæ tantum moraliter certæ non repugnet dicere falſum,) non eſt prudens.

Hoc argumentum tangit difficultatem, quam infra diffusè tractabimus; pro nunc.

Re-

Respond. negando anteced. universaliter sumptum. Ad prob. omitto major. & min. negatur consequen. universaliter. Explicatur. Dicimus quod cum conscientia versetur circa contingentia, & particularia, potest duobus modis regulare operationem, dum videtur moraliter certa: 1. itaut operatio reipsa sit bona, & conformis regulæ primæ; ut dum judicat: *in casu etiam urgentissimo hic, & nunc non esse mentiendum*: & tunc dicitur conscientia recta positivè, & positivè prudens: licet agens non habeat in conscientia, nisi certitudinem moralem. 2. Potest se habere ita, quod existimet quis moraliter certum aliquid esse bonum, quod reipsa in se non est bonum; ut quod pro defensione vitæ potest mentiri. Et tunc hęc conscientia erit recta tantum negativè, & dici etiam potest negativè prudens, quatenus mentiri tunc non esset positivè formaliter contra prudentiam, nec peccatum; quia ratione ignorantiæ invincibilis excusatur. Hæc doctrina est expressa Angelici Doctoris, cujus majorem discussionem, & difficultatis enodationem dabimus infra. q. 4. artic. 12. an. 227.

§. IV.

Cuidam obiectioni ex Doctrina D. Thomæ fit satis.

38. DICES: hoc ipso quod quis existimet actionem esse honestam ductus fundamento sibi apparenti rationabili, & prudenti, talis actio est regulabilis à prudentia, licet reipsa in se non sit legi Divinæ conformis; ut in actione accessus Jacob ad Liam, in adoratione hostiæ, quam judicat quis esse consecratam, licet non sit: & idem dici potest in prolatione mendacij pro vitæ defensione, stante ignorantia invincibili. Et ratio est, quia datur diversitas inter intellectum speculativum, & practicum, & inter virtutes ad ipsos pertinentes. Nam veritas intellectus speculativi, & sapientiæ, & scientiæ sumitur per ordinem ad res, ut sunt in se, quia sunt materia necessaria. Veritas verò intellectus practici, & prudentiæ, cum eorum materiæ sint singulares, & fallibiles, non sumitur per ordinem ad res, ut in se sunt, sed per ordinem ad appetitum rectum, ut indicat Divus Thomas 1. 2. quæst. 57. art. 5. ad 3. Ex quibus fit, quod etiam si obiectum in se sit illicitum, si dictat conscientia existimata certa moraliter bonum esse, erit positivè honestum, & à prudentia regulatum. Non ergo distinctio data continet veritatem.

Respondetur negando actionem secundum illam rationem, secundum quam est in se dissona legi Divinæ, regulari à prudentia, licet quoadnos existimetur honesta. Quod ex ipso fundamento contra nos adducto liquet. Nam honestas regulabilis à prudentia, hoc ipso quod sumatur per ordinem ad appetitum rectum, nequit in se esse dissona legi Dei. Quia ut docet Divus Thomas loquens de prudentia; dicto art. 5. in corp. *Ad debitum autem finem homo convenienter disponitur per virtutem, quæ perficit partem appetitivam, cujus obiectum est bonum, & finis. Ad id autem quod convenienter in finem debitum ordinatur, oportet quod homo disponatur per habitum: & ideò necesse est esse in ratione aliquam virtutem intellectualem, per quam perficiatur ratio ad hoc, quod convenienter se habeat ad ea, quæ sunt ad finem. Et hæc est virtus prudentia.* Quid autem requiratur, ut aliquid hoc modo se habeat, præmiserat ibi Sanctus Doctor. *Cum electio sit eorum, quæ sunt ad finem, rectitudo electionis duo requirit, scilicet debitum finem, & id quod convenienter ordinatur ad debitum finem.* Sed mendacium, v. g. & quodcumque obiectum legi dissonum, licet invincibiliter judicatum bonum, non est conveniens ad consequendum ultimum finem virtutum, qui est Deus. Quomodo huic fini potest esse conveniens, quod est dissonum ipsi, & contrarium primæ regulę, & Divinæ Voluntati?

39. Nec contra hoc facit illa differentia intellectus speculativi, & practici, & virtutum ipsos perficientium, quam assignat Divus Thomas: nullibi invenitur apud Doctorem Angelicum prudentiam regulare actionem ex se malam, nec hanc aliquando esse honestam, sed indicat semper contrarium. Itaque doctrina Sancti Doctoris est, quod intellectus practicus, & vir-

virtutes illum perficientes respiciunt singularia, quæ in se sunt fallibilia. v. g. temperantia respicit alimentum conveniens, & prudentia eligit medium, in quo est convenientia: sed quia quod respectu Petri est medium conveniens, potest non esse respectu Pauli: imò quod hodie est tibi conveniens, cras non sic erit: propterea hæc materia est variabilis, quod non contingit in obiectis scientiæ. Non tamen ex hoc fit, quod virtus, vel prudentia complectantur, & regulent materiam, seu obiectum, quod in se malum est, licet invincibiliter. Sed potiùs *prudentia requirit, ut accipiantur bona, & vitentur mala, eò quòd propter multiformitatem operabilium, in quibus bona plerumque impediuntur a malis, & mala habent speciem boni, ideò est necessaria cautio ad prudentiam*. Ut idem Sanctus Doctor docet 2.2. quæst. 49. art. 8. Et ob eamdem rationem asserit 1.2. quæst. 57. art. 4. ad. 2. *Quod prudentia est inopinativa parte animæ*: non ut regulet opiniones, quæ in se falsæ sunt, sed ut discernat granum à paleis, vera à falsis.

Quare dum nobis videtur habere conscientiam rectam, si in se, & reipsa fallitur, est non recta, sed erronea: nec tunc regulatio fit per prudentiam, sed per alium actum intellectus, qui non est verè prudens, sed solum in existimatione. Sicut qui crederet, etsi invincibiliter, pueros limbi esse salvandos, non id crederet per fidem Divinam, sed per actum erroneum: nec esset actus iste in se honestus. Ad instantiam ex accessu Jacob ad Liam, dicimus accessum Jacob ad Liam esse in se malum, sed materialiter, excusatur tamen, ut docet Angelicus Præceptor 1. 2. quæst. 19. art. 5. ibi: *Si autem ratio esset in hoc, quod credat aliquã submissam esse suam uxorem, & velit eam cognoscere: excusatur voluntas ejus, ut non sit mala*: (nota quod non dicit esse bonam) *quia error iste ex ignorantia circumstantiæ provenit, quæ excusat, & involuntarium causat*. In hac ultima clausula reddit Sanctus Doctor optimam rationem, quare illa actio non est bona moraliter, honesta, & meritoria: ad quod necessarium erat adesse voluntarium, seu liberum. Cæterum si accessus Jacob ad Liam sumatur, quatenus habuit affectum procreandi filios, augendi populum Dei, & placendi Divinæ majestati, regulatus fuit à prudentia, & consequenter meritorius. Ad aliud de hostiæ adoratione, dicendum, quod adoratio non tendit formaliter ad hostiam consecratam materialiter sumptam, & quatenus est ibi, sed tantum formaliter terminatur ad Christum Dominum, sicut in eo, qui dat eleemosynam ei, quem existimat pauperem, & non est. de hoc videri potest infra 2. p. q. 5. art. 4. & q. seq. art. 12.

QUÆSTIO IV.

De Conscientia erronea.

40 CONSCIENTIA falsa, & erronea idem sunt. Et est, quæ reipsa non attingit obiectum, ut est in se, sed judicat bonum malum, vel malum bonum. Error, seu conscientia erronea est duplex, invincibilis, ac proinde inculpabilis, vincibilis, ideòque culpabilis. Error invincibilis est, qui causatur ex omnimoda inadvertentia, aut naturali oblivione, seu omnino involuntaria. Vel etiam si advertentiam habuerit, tamen adhibito studio, diligentia, & consilio, vinci non potuit, aut deponi, seu invenit, & habuit sufficiens fundamentum ad deponendum dubium, si forte adfuit. Vincibilis autem error est, qui potuit, & debuit adverti, vel qui adhibendo studium, diligentiam, vel aliorum consilio vinci potuit.

AR-

ARTICULUS I.

Utrum Conscientia erronea invincibilis obliget?

41. CERTUM est existimantem malum esse bonum, vel bonum esse malum obligari eo modo, quo sibi dictat conscientia erronea. Est adeo verùm, quod plerique judicant esse de fide, alij verò ad minus contrarium esse temerarium. Quare conscientia erronea, sive invincibilis, sivè vincibilis semper obligat nisi deponatur. Probatur 1. pluribus auctoritatibus Apostoli: Ad Romanos 14. (quas adducit Divus Thomas 1. 2. quæst. 19. ar. 5. in arg. sed contra): *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* idest quod non est conforme conscientiæ, ut est communis expositio: & constat ex decisione textus in cap. litteras de restitut. spoliat. ubi ita explicatur locus Apostoli, imo additur; *quid quid fit contra conscientiam, ædificat in gehennam*: eadem expositio habetur in cap. per tuas de Simon. & in cap. fin. depræscript. & in gl. inter lin. in loc. Apostoli. Et notandum quod locus Apostoli loquitur de conscientia erronea vincibili. Nam loquitur de fidelibus, qui suscepto Baptismo existimabant sibi esse prohibitum manducare cibos, qui appellabantur in lege Moysis communes, & non se conformabant propriæ conscientiæ, & ideò dixerat paulo ante: *Scio, & confido in Domino Jesu, quia nihil commune* (inter cibos) *nisi, qui existimat esse illi commune, qui commune est*: (nimirum ratione existimationis erroneæ.) Deinde ibi ait: *Qui autem discernit, si manducaverit damnatus est. Idest*, (ait ibi Divus Thomas) *qui habet opinionem falsam, quod oportuit cibos discernere, manducaverit cibos, quos putat esse illicitos, damnatus est ex hoc, quod quantum in ipso est, habet voluntatem faciendi, quod est illicitum*.

42. Deinde idem Apostolus 1. ad Cor. cap. 8. docet in lege evangelica non esse illicitum edere cibos, qui Idolis immolabantur, tamen ab illis abstinere monet propter exemplum: *Videte autem* (inquit) *ne fortè hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis. Si quis enim viderit eum, qui habet scientiam in idolis recumbentem* (idest in præsentia Idoli) *nonne Conscientia ejus ædificabitur ad manducandum idolotita? & peribit infirmus*. Hoc est: Videns enim quis fratrem peritum manducantem scientem cibos esse licitos, incipit ipse edere non illa conscientia, qua ille, qui ratione peritiæ sciebat esse licitum, & sic peribit infirmus, qui hoc ignorat. Ut ibi exponit Divus Thomas, ergo juxta Apostolum, qui operatur contra conscientiam erroneam, peccat formaliter. Unde idem 2. ad Corinth. ait: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ*.

43. Probatur 2. Ratione Divi Thomæ ex dict. loco 1. 2. quæst. 19. artic. 5. „ Obiectum voluntatis est id, quod proponitur à ratione: Ex quo aliquid proponitur à ratione ut malum, voluntas dum in illud fertur, accipit rationem mali .... Si ergo proponitur ut malum à ratione errante, fertur in hoc sub ratione mali: unde voluntas erit mala; quia vult malum; non quidem malum, quod est per se; sed id, quod est malum per accidens propter appræhensionem rationis. Et similiter credere in Christum est per se bonum, & necessarium ad salutem; sed voluntas non fertur in hoc, nisi secundum quòd à ratione proponitur. Undè si à ratione proponatur ut malum, voluntas feretur in hoc ut malum, non quia illud sit malum secundum se, sed quià est malum per accidens ex appræhensione rationis. Hæc Divus Thomas.

Confirmatur, & explicatur. Lex æterna, à qua provenit omnis obligatio, non regulat immediatè actus morales; sed media regula proxima, scilicet conscientia nostra: sed in nostra hypotesi hæc regula proxima proponit esse malū, & peccatū id, quod alias bonum est: ergo si voluntas id amplectitur, malum operatur. Cætera constant, & major probatur: nam si à regula proxima proponatur aliquid, quod nullo modo existimat esse peccatum, homo non operatur malum, & etiam à peccato gravi excusatur, si solum sub levi obligatione lex proponatur: ergo pariter, si quod bonum est, ut malum proponatur, & reguletur à conscientia, peccabit

bit homo si à conscientia discordet, quatenus mediante conscientia regula prima, seu lex æterna dirigit actus nostros morales.

44. Sed est difficultas circa conscientiam erroneam vincibilem, ad quid obliget; præsertim dum proponit sub obligatione, id quod in se malum est: v. g. esse mentiendũ, vel pejerandum ad salvandam vitam. Nonnulli respondent quod non obligat positivè, sed negativè, ut mentiatur: idest, ut non faciamus contra ipsam, seu quod non omittamus, quod ipsa dictat. Quia ad peccaudum implicat dari obligationem: sed conscientia dictat esse pejerandum, quod est intrinsece malum: ergo si positivè obligaret, daretur obligatio ad peccandum. Cæterum hujusmodi responsio, & concordia conscientiæ erroneæ cum regula prima non aliud est, nisi acumen metaphysicum. In primis est contra Divum Thomam dicto art. 5. ait enim: *quod idem est querere, utrum voluntas discordans a ratione errante sit mala, quod quærere, utrum conscientia errans obliget*: Sed si quis ab illa discordat peccat, ut visum est; ergo obligatur ad operandum secundum ipsam; nam aliàs nec per accidens obligaretur ad malum, nec id faceret, si non teneretur ad agendum secundum ipsam.

45 Deinde idipsum probatur ex D. Paulo ad Gal. 5. Ubi loquens de Judæo, & Gentili, qui suscepto Evangelio circuncideretur propter conscientiam erroneam existimans necessariam esse circumcisionem, ait. *Testificor omni homini circumcidenti se, quod debitor sit universæ legis faciendæ*. Si ergo est debitor, tenetur observare legem veterem; ergo positivè ageret secundum conscientiam erroneam. Et Apostolus loquitur de erronea vincibili; ut ibi not. D. Th. lect. 1. *Eadem* (ait) *conscientia durante, tenetur observare legalia, & si non servaret, peccaret mortaliter. Quia habere conscientiã de re aliqua facienda, nihil aliud est, quam æstimare, quod faciat contra Deum, nisi illud faciat: facere autem contra Deum est peccatum. Sic ergo dico, quod nisi faceret hoc, ad quod inducit conscientia, peccaret mortaliter, non quidem ex genere operis, sed ex intentione operantis; & similiter si facit; peccat &c.* ex quibus constat responsio ad difficultatem suprapositam: quia, cum possit deponi conscientia erronea, ad malum simpliciter non obligatur, illa vero durante, obligatur, non per se sed per accidens: ut docet S. Doctor d. art. 5. num. 43. relatus; & in 2. dist. 39. q. 3. art. 3. ad 1. De quo plura dicentur infra.

ARTICULUS II.

Unde in conscientia erronea proveniat obligatio?

46 **A**Dest in hoc non levis difficultas. 1. Cum conscientia sit regula secunda, necesse est recurrere ad Superiorem, à qua proveniat obligatio: sed talis recursus non potest fieri: siquidem alia superior non datur, nisi lex æterna: à qua talis obligatio nequit provenire, alias actus, qui est peccatum, esset divinæ legi conformis, quod est absurdum ergo &c. Deinde: lex æterna est ipse Deus, qui numquam potest, nec per conscientiam erroneam ad perjurium obligare. Præterea: Deus majoris auctoritatis est quam talis conscientia: Sed in nullo casu potest Deus obligare ad peccatum: ergo nec conscientia. Tandem quia tunc homo peccaret, & faciendo, & ommittendo: ergo esset perplexus, & omnino ad peccandum necessitatus: quod est absurdum.

Respondetur obligationem provenire à conscientia erronea, non ex se, sed ex vi præcepti Divini, quod existimat dari; ex suppositione enim appræhensionis per accidens obligatur, quatenus datur lex divina in genere dictans præceptum, seu obedientiam non esse violandam: *Unde si non fiat, quod conscientia dictat esse præceptum, peccatum incurrit*, ut docet D. Th. q. 17. de Verit. art. 4. in corpore: *quia quantum in se est, ex hoc ipso habet voluntatem legem Dei non observandi; unde mortaliter peccat*. Unde in tali hypotesi conscientia non errat quatenus dictat legem Dei esse observandam, & non violandam: & ex hoc dictamine provenit, non sequendo conscientiam, peccare: Et sic optime dicit D. Th. in 2. sent. q. 39. art. 3. ad 3. *quod conscientia obligat non virtute propria: sed*

virtute præcepti Divini: *non enim conscientia dictat aliquid faciendum hac ratione*; *quia sibi videtur*, *sed hac ratione*, *quia à Deo præceptum est*. Nec hinc fit Deum præcipere peccatum, pejerandum, occidendum &c. hoc enim solum provenit à conscientia erronea: absurdum quippe est legem divinam, seu Deum præcipere, (maxime dum conscientia est vincibilis) similes actus adeò execrabiles, indispensabiliter prohibitos.

47 Explicatur hoc resolutione mirabili illius difficultatis quam tradit D. Th. q. 16. de verit. art. 2. ad 2. Qualiter peccabant qui Apostolos interficiebant, quamvis existimabant se obsequium præstare Deo, sicut prædixerat Christus D. Joan. cap. 16. *Quando in aliquo Syllogismo conclusio falsa inducitur ex duabus propositionibus*, *quarum una est vera*, *& altera falsa*, *peccatum conclusionis non attribuitur veræ*, *sed falsæ*; *& ideo in illo arbitrio*, *quo occisores Apostolorum arbitrabantur se obsequium præstare Deo*, *peccatum non proveniebat ex universali judicio Synderesis*, *quod est Deo obsequendum*; *Sed ex falso judicio particulari*, *quo arbitrabantur occisiones Apostolorum esse beneplacitum Deo*; *& ideo non oportet concedere*, *quod per actum Synderesis inclinarentur ad peccatum*. Hæc S. Doctor: Ergo multo minus per legem divinam.

48 Ex quibus perspicue claret resolutio nostræ difficultatis. Itaque ut docet D. Th. & supra num. 26. dictum est: quando quis moraliter operatur, in conscientia formatur quidam Syllogismus formalis, aut virtualis: & sic etiam formatur conscientia erronea obligans ad pejerandum. Accipit unam propositionem veram, & aliam falsam: unde, cum consequentia debiliorem partem sequatur, concludit falsa, sic: *Deo præcipienti obediendum*, *ejusq; voluntas non est contemnenda*: *at hic & nunc Deus*, *ejusque voluntas præcipit me pro vita mea*, *vel proximi conservanda pejerare*: *ergo teneor obedire*, *& aliter pecco*. Ubi conclusio est falsa. Cæterum major est vera, nec ab aliquo potest ignorari, derivaturque à lege æterna, ex qua provenit per accidens obligatio; eò quod ex suppositione quod conscientia erret in appræhensione præcepti, obligat lex divina, ut Deus non contemnatur in tali hypotesi: Sed nullatenus obligat ad perjurium, vel peccatum: hæc enim obligatio, quam quis existimat dari, provenit ab errore. Quapropter conscientia tunc, & est recta, quatenus dictat legem Divinam non esse violandam; & sic est à Deo, & ejus voluntati, & legi conformatur: & est erronea, & difformis, quatenus existimat dari obligationem pejerandi, & prout sic nec est à Deo, nec ejus legi, & voluntati conformis. Ex quibus constat ad difficultatem supra num. 46. nec sequitur tunc hominem esse perplexum; siquidem potest conscientia erronea deponi: ut fuse agitur art. seq. præcipue à num. 56. & à num 198. Unde nullo modo est medium ad non peccandum pejerare, nisi ex errore operantis, si non deponit conscientiam. Ut in exemplo adducto à D. Th. 1. 2. qu. 19. art. 5. de illo qui credere in Christum judicat esse malum, & ad non credendum, & blasphemandum obligari. quis dicet divinam legem ad hoc obligare; maxime dum conscientia est vincibilis?

49 Nihilominus non desunt probabilistæ; qui asserunt dari in Deo legẽ per accidens obligantem ad pejerandum. Eo quod Deus voluit, quod nostra voluntas in omni suo actu dirigatur in mediatè ab actu intellectus: Ergo voluit, quod vitaret, vel efficeret, quidquid ultimo concludit, nec aliud velle potuit. Et præsertim id docet quidam celebris probabilista; qui adinventa quadam lege reflexa in Deo, asserit omnem actionem etiam ex ignorantia vincibili ab hac lege regulari, & esse legæ æternæ conformem, Deo placere, & per accidens esse honestam. Cæterum depositione talis legis, ut pote chimerica, agitur infra à num. 712. Sed ex hac illatione major sequitur positionis exorbitantia. Quis prudenter dicet perjuria, blasphemias in Christum, etiam dum ignorantia vincibili proferuntur, esse honestas, & Deo placere? Dum in omnium Theologorum sententia sint peccata formalia?

Inquires 1. Quid est obligare conscientiam, & etiam legem æternam per accidens? Resp. ideo dici conscientiam ligere per accidens, quatenus solum obligat sub conditione, quod non deponatur, & quod error perseveret, non vero obligat abso-

absolute. Et sic se habet obligatio conscientiæ erroneæ. Deinde quia illud quod quis amat propter aliud, non amat per se, sed per accidens; Ut qui amat vinum propter dulce, dulce per se amat, vinum per accidens. Ita qui inhæret conscientiæ erroneæ, quia existimat esse rectam, per se inhæret conscientiæ rectæ, erronnæ vero per accidens. Ita docet D. Th. q. 17. de ver. art. 4. Deus etiam aliqua prohibet per se, vel præcipit: ut perjurium, furtum, &c. & hæc per se sunt contra legem: alia per accidens, ex suppositione aliqua: ut in hypotesi nostra; ex suppositione quod conscientia judicat aliquid esse malum, lex Dei prohibet habere affectum malum violandi omne præceptum. Inquires 2. an solum peccetur (dum quis operatur contra conscientiam erroneam) contra illud præceptum generale adductum. Respondetur: si opus sit contra specialem virtutem, v.g. temperantiæ, incurrit peccatum in specie vitii contrarii illi virtuti; quia illa virtus etiam prohibet contra ipsam operari; Si tamen conscientia dictat solum in communi, erit peccatum contra obedientiam; ut docet D. Th. d. ar. 4. ad 9.

ARTICULUS III.

Quid faciendum dum conscientia pro utraq; parte dictat dari obligationem.

In hac hypotesi non raro contingit viros timoratæ conscientiæ esse in angustia, & plures pati trepidationis insultus. Unde D. Greg. 5. mor. 1. 7. *Justi* (ait) *in ipsis bonis operibus positi trepidant, ac ne in eisdem occulto aliquo errore displiceant, continuis lamentis vacant.* Hoc autem non videtur habere locum in iis, qui ex quacumque opinione probabili facillime eliciunt judicium practicum evidens; (immo etiam in dubio obligationis) de licito operando quodlibet. An autem sint huhujusmodi de numero justorum, quos M. Gregor. commemorat? Dominus judicabit.

§. I.

Traduntur regulæ in generali.

50 Quando occurrit dubium, in quo utraque pars est periculosa, & parum tuta, supponitur esse adhibendã diligentiã juxta gravitatẽ rei ad inquirendam veritatẽ de obligatione pro qua parte stet, ut conscientia recta possit formari. Hoc fit exorando, discurrendo, evolvendo Auctores, si adest capacitas, & tempus, & viros peritos consulendo. Si autem non adest talis opportunitas, aut facta diligentia, adhuc manet homo perplexus: vitari potes perplexitas his modis. 1. Si non datur necessitas eligendi aliquam ex partibus, nulla eligi potest, esset enim dictamen in praxi imprudens, quia nullam existimat esse honestam. Si autem eligendi necessitas urget, & in utraque parte apparet inconveniens, minus malum est eligendum. Ut decernitur in Cap. Juvenis de Sponsal. Cap. Duo mala dist. 13. Cap. Nervi ead. dist. Ex D. Greg. lib. 32. mor. cap. 12. ibi: *Dum mens inter majora, & minora peccata constringitur, si omnino nullus sine peccato aditus pateat, minora semper eligantur. Quia & qui murorum undique ambitu ne fugiat, clauditur, ibi se in fugam præcipitat, ubi brevior murus invenitur.* Tunc enim quod alias de se malum est, pro casu necessitatis reditur licitum: Sicut malum est tollere alienum, sed in casu necessitatis conservandi vitam, licitum reditur.

51 Si vero utraque pars appareat ęque nociva, seu mala, est eligenda illa, quæ pro se habet majora fundamenta, ut eligatur præ alia: immo potest contingere quod majores adsint rationes pro existentia minoris præcepti, quam pro existentia majoris; sed hoc pertinet ad quæstionem de opinione probabili: de quo infra. 3. Sed est animadvertendum; quod si constiterit dari aliquod præceptum naturale negativum, præsertim de re ab intrinseco mala, ut non mentiendi, non fornicandi, non committendi simoniam, non blasphemandi &c. ejus observatio est præferenda observationi cujuscumque præcepti affirmativi, etiam si divini sit juris, ut si tibi non permittatur, nisi mentiaris, observare festum, audire sa-

crum, recipere Sacramentum Pœnitentiæ, Euchariſtiæ &c. etiam in mortis articulo, non potes mentiri: quia juxta illud ad Rom. cap. 3. *non ſunt facienda mala unde eveniant bona*.

52 Similiter ubi conſtiterit dari præceptum divinum, ejus obſervatio eſt præferenda obſervationi cujuſcumque præcepti humani. Quia cum humana poteſtas à Divina derivetur, nequit homo quid imperare adverſus divinam voluntatem. Unde optime Apoſtoli dixerunt: *Si juſtum eſt in conſpectu Dei, vos potius audire, quam Deum, judicate*. Act. c. 13. Quod eſt intelligendum, dum præceptum humanũ non reducitur ad divinum: Sicut ſuſcipere Viaticum in articulo mortis præceptum Divinum eſt: quod Sacerdos celebret jejunus, vel cum Veſtibus Sacris eſt Eccleſiaſticũ; & tamen hujus obſervatio debet prævalere: quia ita diſponitur ob reverentiam debitam Miſſæ Sacrificio: & ſic jam reducitur ad divinum mandatum, ſecundum quod huic Sacrificio, & Euchariſtiæ Sacramento reverentia maxima jùre debetur.

53 Tandem notandum, quod ſiquis, trepidans in his, & ſimilibus perplexitatibus, ſincerè, & poſtpoſita omni paſſione, & reſpectu ad proprium commodum, facta diligentia poſſibili, judicat unam partem ex vi legis videri ſibi magis urgere, poteſt deponere perplexitatem, & pro illa formare judicium practicum; & ſic non peccabit; Etiam ſi contingat errare, quatenus è contra res ſe habeat; eò quòd non pro illa, ſed pro contraria parte lex urgebat. Tunc enim eſſet error invincibilis. Quia cum certò tutum nequit haberi, quælibet enim pars eſt pro lege, & non una pro lege, & altera pro libertate, ſatis eſt eligere id, quod videtur veriſimilius poſtpoſita omni paſſione, & commodo: ſiquidem hoc eſt tutius volenti operari ſincerè, conformiter ad voluntatem Dei, in tali anguſtia conſtituto.

54 Sed adhuc plures timoratæ conſcientiæ trepidant, & formidant de ſecuritate proprii judicii practici, an forte coram Deo excuſationem ſint habituri. Cæterum formato ſincere tali judicio practico, licitè poſſunt ipſi adhærere contemnendo trepidationem: nam hæc eſt in parte ſpeculativa, & quaſi hoſtis pulſans ad Oſtium intellectus practici, & extra conſcientiam foris tentans inſidias, ut conſcientiæ pacem perturbet. Unde non nocet, ſi agens illi non ſuccumbat, nec ad perplexitatem, & priorem conſcientiam dubiam non redeat, ſed adhærendo illi judicio practico, procedat ad opus. Qui modus operandi ſimili cum trepidatione non eſt alienus à juſtis, ſed potius conſcentiis timoratis conformis, ut ex auctoritate D. Greg. in principio hujus articuli conſtat.

§. II.

Proponuntur aliqui caſus particulares.

55 AD rem clarius enodandam diſcutiuntur nonnulli caſus particulares, qui communiter ab auctoribus proponuntur. Sit primus breviter attactus in fine articuli præced. Quando quis inter duas obligationes, ſeù præcepta adeò eſt anxius, ut non poſſit diſcernere pro qua magis urget obligatio: v. g. Confeſſarius audita confeſſione tenetur abſolvere pœnitentem, dum ritè ad Sacramentum accedit, ſed dubitat an ſic accedat, aliàs debet attendere ad Sacramenti Religionem, nè indebitè illud miniſtret. Urget neceſſitas communicandi in pœnitente; & ſic non occurrit Confeſſario, quæ nam obligatio magis urgeat. Idem poteſt contingere in judicibus in proferenda ſententia, in Prælatis, & in aliis.

Si dicatur Confeſſarium teneri pro ſuo munere ſcire quid faciendum ſit; unde tunc ignorantia non erit invincibilis, & quodcumque faciat, peccabit; ſed contra, nam occurrentia caſuum, & circumſtantiarum eſt adeo univerſalis, quod homini impoſſibile ſit omnia ſcire, & prout contingere poſſunt prevenire. Deinde dato quod fuerit negligens in diſcendo, hîc & nunc poteſt pœnitere ignorantiæ culpabilis; & ſic redditur invincibilis, ut infra dicitur; quare licet antea peccaſſet, peccatum præteritum ad aliud, quod quis non vult, compellere nequit. Secus ſi non pœniteat, ſi potuit ſcire.

Quare plures Neotherici reſpondent in illo, & ſimilibus caſibus poſſe licite unam, vel alteram partem eligere, & quam maluerit amplecti ſine peccato: quia ad peccan-

candum omnino requiritur libertas, & poſſe vitare peccatum: ſed agenti tunc non eſt liberum culpam vitare, ſiquidem quidquid faciat, judicat eſſe culpam: ergo &c. Nec refert, dicunt, judicet ſe peccare, quia peccatum non conſequitur ad judicium intellectus, ſed ad actum liberæ voluntatis.

56 Sed hujuſmodi reſolutio diſplicet aliis pluribus, tam ex antiquis, quam ex modernis præſertim ex Schola D. Thomæ. Nam cum S. Doctor hanc difficultatem de perplexitate pluribus in locis attigerit, ſemper dixit eſſe deponendam conſcientiam, ut tunc licite quis operetur, ut videre eſt in quodlib. 3. art. 27. ad 3. & 1. 2. q. 19. art. 6. ad 3. non autem deponitur, quando in qualibet parte, quam amplectitur, exiſtimat ſe peccare. Deinde nam in intelligibile eſt, quod quis putet in aliqua actione peccare, & quod ipſam eligendo, dum ſic putat, non peccet: nam non aliud eſt formaliter peccare, quam formaliter agere contra legem Dei: iſte eligit aliquid formaliter contra legem Dei, dum putat aliquid eligendo peccare: ergo non eſt intelligibile, quod id eligendo, dum ſic putat, non peccet.

Nec prodeſt dicere, quod tunc non eſt liber ad vitandam culpam, eo quòd deficiat libertas moralis, licet maneat libertas phyſica. Sed contra: nam conſcientia, quam partem eligit, proponit ut malam: ergo voluntas fertur in malū ut cognitum: ergo datur libertas moralis. Deinde, quia falſum eſt voluntatem ferri in malum non poſſibile vitari moraliter, quia licet poteſtas vitandi maneat impedita ſecundum quid, quatenus manet conſcientia perplexa, qua manente neceſſitatur ad peccandum, ut docet D. Thom. locis citatis; manet tamen poteſtas ſimpliciter ad non peccandum, quatenus poteſt excutere, & deponere illam perplexitatem formando novum judicium practicum, ſeu conſcientiam de licitè eligendo unam ex illis partibus, alioquin ſemper peccabit: ergo numquam licitum erit perſiſtente illa practica perplexitate eligere partem, quancumque quis voluerit.

57 Quare difficultas eſt, qualiter deponenda ſit hæc perplexitas, ſeu conſcientia. Dicimus ergo: vix poſſe dari caſum in ſe, in quo utraque pars ſit ita perplexa, quod utraque maneat ex æquò mala, & illicita etiam practicè, & etiam urgente, & inſtante neceſſitate, nam ſi ab operante judicatur illicita, non poteſt eligi ſine offenſa Dei, ut docet Joann. à S. Thoma t. 2. in 1. 2. diſput. 12. art. 4. n. 41. Poteſt ergo homo deponere conſcientiæ perplexitatem, ſi abſq; paſſione, & affectu ad proprium commodum ſincero corde quærit, & intendit eligere minùs malum: ſiquidem recurrens ad Deum, & faciens quod in ſe eſt, ſine dubio à Deo illuminabitur, ut ait Medina in 1. 2. q. 19. d. art. 6. q. 1. Non enim carebit ſufficienti motivo ad deponendam conſcientiam, & ſic ad licite eligendum: ſicut enim tunc obligatur à Deo ad rectè operandum, non deficiet illi modus rectè operandi, quia Deus non deficit in neceſſariis.

58 Et dato quod non occurrat ullum nec minimum motivum pro hac magis, quā pro illa parte, adhuc poterit formare conſcientiam delicito, & formare judicium practicum, ex motivo neceſſitatis agendi in tali anguſtia, & credendo ex hac neceſſitate agendi excuſari à peccato, & ſic determinabitur ad unam partem, & deponet priorem perplexitatem de peccato pro utraque parte: & ſi forte erret in eligendo, ſatis erit ad non peccandum contra conſcientiam. Sed valdè cavendum proprium commodum, & omnis paſſio.

59 Secundus caſus eſt: dum vides hominem à perſecutore fugientem, & interrogaris, quò ille fugerit, dicas; & conſcientia tibi dictat non mentiendum, ne reus fias mendacii; ſimulque dictat mentiendum, ne reus fias homicidii. Tunc dicunt nonnulli recentiores te eſſe in duplici dictamine contradictorio, & perplexum, nec eſſe in tua poteſtate vitare peccatum, ſed dicunt tibi non imputari, quia cares libertate.

Cæterum falſum eſt ibi dari contradictionem, aut dari neceſſitatem mentiendi, aut hominem manifeſtare: ab utroque enim poteris abſtinere; vel omnino ſilēdo, vel aliqua dextera, & occulta reſponſione abſque mendacio, qua divertas, & deludas interrogantem, & ſic nec mendacium proferes, nec hominem trades. Pro quo D. Auguſt. lib. de Mendacio cap. 13. affert exemplum de Firmo Epiſcopo Tagatenſi, quem valdè cele-

celebrat. Hic enim in simili casu positus, cum apparitores quemdam ad mortem insequerentur, interrogatus minaciter, intrepidè respondit: *Nec mentiar, nec prodam: & in hoc firmus perstitit, quamvis multa in corpore suo passus sit ab ipsis propè usque ad mortem: ipsamque sustinuisset, si illam inferrent illi minaces*. Hæc D. August.

60 Et rectè quidem: nam hic in tali casu censet malum esse mentiri, recteque id dictat conscientia: ergo mentiendo peccat: nec excusatur ob occurrentiam adductam: ut clare docet D. August. in Inchirid. c. 17. ubi inquirit: *Vtrum ad officium hominis justi pertineat aliquando mentiri. Resp. Mihi autem videtur peccatum esse omne mendacium*. Deinde recte conscientia dictat prodere hominem esse etiam malum; ergo peccat manifestando: datur autem medium utrumque evadendi: ergo non excusatur. Si autem judicat esse perplexum, provenit ex conscientia erronea culpabili, causata ex proprio commodo, aut passione, ne fortè aliquid corporaliter patiatur. Nec enim tunc tenetur operari secundum ejusmodi conscientiam, sed datur obligatio illam deponendi, aliter necessario peccabit ex suppositione, ut in illo, qui existimabat circumcisionem esse necessariam, prout supra art. 1. ex Apostol. dictum est: & D. Thom. d. quo lib. 3. art. 27. ad 3. ponit exemplum in hæretico, cui propria conscientia dictat, quod prædicet contra Fidem Catholicam, qui sive prædicaret, sive non; peccaret. Ex quo patet ad ult. objectionem §. 1.

Dices: non videri hominem tunc obligari tacere cum gravi periculo mali corporalis, seu vitæ propriæ: nam juxta illud axioma: *Charitas incipit à se ipso*: Unde licet quis teneatur vitam proximi conservare, potius ob charitatem ad se potest propriam diligere, & custodire, immo tenetur: ergo supposito quod existimat esse illicitum mentiri, & etiam non manifestare proximum, & tamdem propriam vitam ponere, erit undequaque perplexus.

61 Resp. in primis esse falsum, non posse hominem vitam propriam ponere pro vita proximi conservanda. Deinde objectio non est ad propositum. Verum est pro vita corporali non teneri nos vitam nostram ponere, dum nihil agimus, nec aliquo modo cooperamur ad proximi mortem. Secus dum aliquo modo cooperamur: hoc enim non possumus pro vita nostra conservanda: quia tunc poneremus vitam proximi pro nostra, non vero nostram pro proximi vita. Quod fieret in casu nostro: nam manifestando proximum tradimus illum inimicis ad occidendum, ne nobis malum proveniat, tacendo vero, si occidatur, quo ad nos per accidens est:

§. III.

Alii casus particulares, & quadam dubia resolvuntur.

62 Tertius casus est: Dum excommunicatus putaret peccare si missam audiat, & etiam si illam omittat audire; quia sic dictat illi propria conscientia. Idem in assistente infirmo; quem si dimittat, peccare existimat, & missam non audiendo etiam peccare judicat; in quibus non est locus inter illa duo extrema eligendi aliquod tertiũ. Neotherici consequenter resolvunt in hac perplexitate posse eligere quamlibet partem, & quamvis existimet peccare, re vera non peccat. Sed contrarium dicendum juxta tradita pro secundo casu §. præced. Debent ergo sibi consulere, & sincere, quod sibi tutius videtur, eligere; & perplexitatem excutere, & formare determinatam conscientiam, & juxta illam agere. Si autem hoc modo contingat errare eligendo, quod erat omittendum, erit conscientia invincibilis, cum non possit meliori cautione vitari. Si vero manente perplexitate aliquam ex partibus elegerit, semper urget illud Apostoli: *Omne, quod non est ex fide, peccatum est*.

63 Quartus casus adducitur de existentibus in carcere, qui ob impotentiam physicam non possunt adimplere aliqua præcepta, & existimant tunc peccare. Dicendum, quod licet sic existiment, nullatenus peccant. Quia tunc nihil agitur contra conscientiam, sed potius patitur. Nec judicium illud sufficit ad peccandum; est enim pure speculativum, non est causa omissionis, nec de actione peccaminosa, sed solum de existentia peccati in intellectu: at peccatum non præcise sequitur ad judicium intellectus, sed ad consen-

ſenſum voluntatis: ſicut dum quis patitur motus ſenſualitatis, & reſiſtit, & nullatenus conſentit, non peccat, licet exiſtimet peccare, quia hæc exiſtimatio non tranſit ad voluntatis conſenſum. Sicuti etiam in eo cujus manus violenter traheretur ad percutiendum. Ex quo patet ad alios ſimiles caſus, ut de cuſtodibus gregum, aut nemorum, de viatoribus &c. in quibus ſi non datur poſſe phyſicum, vel morale ad præceptum implendum, eodem modo non peccant. Si vero datur poſſe, ſed cum præfata perplexitate, idem dicendum, quod ſupra in 3. caſu.

64 Ex dictis reſolvi poſſunt nonnulla dubia ad hanc materiam ſpectantia. Dubitabis I. Quale peccatum ſit, & adquam pertineat ſpeciem agere contra conſcientiam erroneam vincibilem? Reſp. eodem modo eſſe philoſophandum, ac ſi de facto daretur lex illa, & obligatio, quam dictat, & applicat conſcientia. Quia cum objectum voluntatis ſit, quod ab intellectu proponitur, eodem modo eſt obligatio, quo dictat conſcientia; unde ſi proponitur obligatio jejunandi, non jejunando erit peccatum intemperantiæ, licet in re non detur obligatio; ſi exiſtimat ſe mentiri, erit contra veracitatem, licet in ſe verum ſit, quod aſſerit; ita D. Thom. 1. 2. q. 19. art. 5. ad 3. ibi. *Ratio, quando apræhendit aliquid ut malum, ſemper apræhendit illud ſub aliqua ratione mali; puta, quia contrariatur divino pracepto, vel quia eſt ſcandalum, vel propter aliquod hujuſmodi; & tunc ad talem ſpeciem malitiæ reducitur talis mala voluntas.*

65 Ex quibus reſolvitur dubium 2. An ſit majus peccatum ſequi talem conſcientiam errantem vincibiliter, quàm illam non ſequi, dato quod non deponatur? Reſp. eſſe penſandum juxta qualitatem materiæ: ut in caſu, quo judicas debere mentiri pro tuenda vita proximi, ſi mentiaris, peccas leviter; graviter vero, ſi omittas mendacium. Exiſtimas eſſe furandum pro ſubveniendo pauperibus, magis peccas furando, quàm non ſequendo conſcientiam vincibilem: ſi autẽ non diſcernatur major gravitas unius peccati, quam alterius, equalis culpa erit hoc, vel illud amplecti. Dices: gravius eſt tranſgredi præceptum Superioris, quàm inferioris, ergo ſi errat conſcientia amplectendo prohibitum lege æterna gravius erit, quam quod ipſa conſcientia dictat prohibitum eſse. Reſp. quod quamvis abſolutè, & ſecundum ſe id verum ſit, at falſum eſt eſse legem inferioris, vel inferiorem, quam dari conſcientia dictat. Nam ut ait D. Th. q. 17. de veritat. art. 4. ad 2. *Conſcientiæ dictamen nihil aliud eſt, quàm perventio pracepti divini ad eum, qui conſcientiam habet.*

66 Dub. 3. An conſcientia erronea magis obliget, quam præceptum Prælati? Reſp. aliud eſse: an teneatur ſubditus deponere conſcientiam erroneam; aliud, an ſi non deponat, ſed retineat, poſſit ex Prælati præcepto operari contra illam, & reddere invincibilem errorem: hoc ſecundum eſt omnino illicitum: ita docet D. Thom., & rationem aſſignat in 2. diſt. 39. q. 3. ar. 3. ad 3. *Conſcientia obligat non virtute propria, ſed virtute pracepti divini: non enim conſcientia dictat aliquid eſſe faciendum, hac ratione quia ſic ſibi videtur, ſed hac ratione, quia à Deo præceptum eſt, & ideo dictamen conſcientiæ plus obligat, quam præceptum Prælati, ſicut & præceptum divinum, in cujus virtute obligat.* Subditus vero etiam peccaret contra præceptum Prælati; quia tenebatur deponere conſcientiam erroneam, quia præceptum ſuperioris facit auctoritatem, & pondus contra aliam partem; niſi talis conſcientia dictaret ſubdito talem materiam eſse adeo illicitam, ut ita vere, & notoriè verum eſse exiſtimaret: ut ſi ſubditus judicaret eſse ſibi certum aliquid eſse falſum, licet erraret, & à Prælato præciperetur illud jurare, non poſset illi obedire.

§. IV.

Ad deponendam conſcientiam erroneam vincibilem, an aliqua ratio prudens requiratur.

67. Reſpondetur affirmativè: quia conſcientia deponi debet formando dictamen prudentiale, alias imprudenter, & temerariè quis operaretur: ſed hujuſmodi dictamen prudentiale nequit formari ſine aliqua ratione prudentiali, ſi quidem prudentia eſſentialiter nititur ratione, & ſita eſt in conformitate, & con-

& convenientia mediorum cum fine honesto: ergo ad conscientiam prædictam deponendam ratio aliqua prudentialis est necessaria. Adhibenda igitur est diligentia juxta qualitatem materiæ, & exigentiam gravitatis negotij, ut sic ex rationabili fundamento quis operetur licitè. Quare si facta diligentia error gravi fundamento non depræhendatur, sed adhuc stet dubius, tunc se debet gerere eo modo, quo infrà dicemus de conscientia dubia deponenda.

68. Deindè deponere conscientiam absque ratione prudenti est illam deponere ad arbitrium operantis: sed hic modus est cæcus, & peccati periculo expositus: sicut enim arbitrium non est regula operandi, sic non est regula conscientiam deponendi. Præterea ideò obligat hæc conscientia, quia saltem in apræhensione incepit ex motivo aliquo rationabili, non prolibito voluntariè: ergo non aliter desinet obligare sine alio rationali motivo. Tandèm quia judicium practicum debet cum speculativo conformari, nisi post adhibitam diligentiam ad inveniendam veritatem, ratio contrarium suadeat, ut rectè cum alijs docet Sanchez lib. 1. sum. c. 10. num. 7. & c. 11. num. 10. Contrarium plures attribuunt Cajetano, Medinæ, Navarro, & alijs, qui apponunt exemplum in muliere, quæ audivit à Concionatore esse peccatum mortale uti capillis alienis, & nescit solvere ejus rationes; si sine nova ratione sibi persuadeat illud non esse certum, non peccabit. Sed loquuntur de depositione conscientiæ sine aliqua speciali ratione, sed sola ratione generali; videlicet quia judicat esse rem minimam, nec seriò dictam à Concionatore, qua ratione generali similes scrupuli deponuntur.

69. Dubitabis: an ut hæc conscientia deponatur, sit necessaria ratio opposita efficacior illa, qua error fuit conceptus? Respond. affirmativè: nam si minus efficax sit, non sufficit generare assensum; & si generaret, esset temerarius; Si enim efficacior non sit, vincitur, vel impeditur à ratione apposita. Ita docent Corduba, Medina, & Vazquez 1. 2. quæst. 19. disp. 67. cap. 1. circa finem. Quidquid dicant alij præsertìm probabilismo moderno addicti, de quo erit sermo 2. par. hujus operis. Ubi etiam qualiter non prodest extra materiam justitiæ illud principium: *in dubio melior est conditio possidentis*; sed aliud; *in dubio tutior pars est eligenda*. Ex quibus colligitur merito docuisse Cordubam lib. 3. quæst. 12. tribus modis temere, & non sine peccato judicium conscientiæ deponi. Primo. Quando sine ratione contemnitur judicium, quod prudenter in existimatione conceptum erat. Secundò per culpabilem inconsiderantiam. Tertiò per rationes leviter examinatas.

Sed dubitabis, & non leviter, quomodo absolute potest dici conscientiam erroneam esse deponendendam; immò cum efficaciori ratione prudenti, ut quis non temere, & sine peccato operetur? quandoquidem Divus Thomas, & cum eo plurimi doceant hominem posse peccare actualiter ex conscientia erronea judicando bonum, quod est malum, absque actuali cognitione malitiæ: sed deficiente cognitione impossibile est conscientiam aliqua ratione deponi: ergo implicationem involvit esse deponendam conscientiam ratione magis efficaci, & alias peccari, & non esse necessarium, dum quis operatur errorem, seu malitiam cognoscere. Hæc difficultas in sequentibus venit discutienda.

ARTICULUS IV.

Utrum homo possit peccare absque actuali cognitione, vel advertentia malitiæ.

70. Alijs terminis poterat hæc quæstio proponi; nimirum; an ut conscientia sit vincibilis, & obliget, dum actu quis operatur, sit necessarium, quod tunc habeat aliquam cognitionem, vel advertentiam peccati, seù malitiæ obiecti: vel an sufficiat præbere causam ignorantiæ, & carentiæ cognitionis, vel inadvertentiæ, ut ommissio, seu violatio legis ad peccatum imputetur: Ut in casu quo Confessarius negligit studio morali incumbere, & oblata occasione indebitè Sacramentum ministraret, absque eò quòd tunc adverteret se errare, nec malitiam peccati tunc

co-

cognosceret: an ergo pro tunc ignorantia vincibilis, an verò invincibilis sit?

§. I.

Referuntur Sententiæ oppositæ.

71. Dissensio magna invenitur inter auctores circa præsens dubium. Aliqui affirmant non esse possibile hominem peccare, qui non habet expressam, & formalem cognitionem, seu advertentiam saltem dubitativam, aut scrupulosam. Hujus sententiæ auctores refert Martinez de Prado tom. 1. Theolog. mor. cap. 2. quæst. 6. nimirum Vazquez, Th. Sanch. Franc. Lugo, Granados, Bonacina, Diana, Oviedo, Layman, Scobar, Salas, & apud Oviedo, Tannerus, Gasp. Hurtado, Joan. Sanchez; Palao, Curiel, & Azor: Sed hi tres ultimi contrarium docent Deinde Vazquez in 12. tom. 1. disp. 107. refert 18. auctores ex antiquis. De quo Montesinos tom. 2. in 1. 2. quæst. 74. art. 7. quæst. 1. num. 14. ait. *Citat Vazquez pro sua sententia Alex. D. Antonin. & alios plures, quos consulto prætermitto, quoniam existimo, eos nobiscum sentire, ut statim dicam.* Et Mart. de Prado, ubi supra, inquit. *Vazquez pro se congerit 18. auctores, quorum plures legi, & nullum ei faventem inveni.* Et ego idipsum expertus sum.

72. Itaque ex auctoribus antiquis, seu ex illis, quos citat Vazquez ad summum probatur, quod voluntas, ut peccet, debet procedere deliberativè, seu voluntariè. Hoc omnes Catholici supponimus. Ex quo non sequitur semper adesse expressam, & formalem, seu actualem advertentiam; siquidem, ut infrà constabit, sufficit ad peccatum voluntarium indirectum, seu in causa. Citat pro se Vazq. D. Thom. qui evidentissimè tradit contrarium in pluribus locis, ut infra constabit, & fiet satis locis, quæ adducuntur pro ista prima sententia. Allegat D. Bonaventurã in 2. sent. dist. 29. (sed forsitan est erratum in opere Vazquezij, quod præ manibus habeo, (& sic videtur allegari dist. 39. super secundam partem textus; & 2. part. distinctionis art. 2. quæst. 2. Non afferuntur verba. Sed in primo loco dub. 3. ita docet S. Doctor: *Bonitas voluntatis inchoatur in appetitu naturali, & consummatur in virtute deliberativa, nec est voluntas simpliciter bona, & recta, nisi sit recta, inquantum movetur deliberativè.* Ex qua doctrina non infertur esse insufficiens voluntarium indirectum ad peccandum. In 2. verò loco disertis verbis docet contrarium, pro quo allegatur. Nam. d. q. 2. num. 37. ait: *Propter tenebram obcæcationis impeditur synderesis, ne malo remurmuret: pro eò, quòd malum creditur esse bonum, sicut est in hæreticis, qui morientes pro impietate erroris, credunt se moveri pro pietate fidei, & ideo remorsum non sentiunt; sed magis quodam gaudium fictum, & vanum.* Et quis dicet non peccare tunc hæreticum vitam exponentem pertinaciter pro sacrilego errore suo? & tamen nullum remorsum habet, sed potius credit, & gaudet pro fide mori, se existimans martyrem inclitum, & invictum.

Citatur D. Antoninus 2. part. tit. 5. cap. 1. §. 5. Ubi agens de delectatione morosa; docet quod si ratio superior, dum insurgit delectatio, deliberare potest, & non cohibet, in ipsam consentire videtur. & in fine dicti §. ait: *Aut ergo manet talis complacentia, post sufficientem deliberationem, & animadversionem periculi, & tunc est mortale.* In qua doctrina non habetur hujusmodi deliberationem non potuisse haberi in causa, nimirum in passione inordinata, & malis habitibus præhabitis, ut infrà dicemus. Et hoc modo sunt intelligendi alij plures, qui pro ista 1. sententia adducuntur, ex quibus Conradus, Cajetanus, Corduba, Gerson, Adrianus, expresse militant contra illam.

73. Sed non ommittendus est Cajetanus, qui non minùs verè quam subtiliter rem explicat valdè diversimodè, quam ex adverso allegatur: 2. 2. quæst. 88. art. 1. dub. 2. §. *Verum ne fallaris.* „ Dupliciter (ait) contingit voluntarium „ actum esse excollatione, scilicet actua„ liter, & virtualiter. (& hoc secun„ dum sic exponit) Actus excollatione „ virtualitèr dupliciter contingit. Primò „ ille actus dicitur esse virtualiter excol„ latione, de quo non in se ipso, sed in „ sui principio collatio præcessit. Et hoc

 „ mo-

„ modo artifices absque actuali delibera-
„ tione, non tamen absque virtuali ope-
„ rantur. Non enim cum quis pulsat, aut
„ scribit, deliberat de singulis actibus, sed
„ deliberavit de initio scribendi, aut pul-
„ sandi, & universaliter de utendo arte
„ illa. Secundò actus ille voluntarius di-
„ citur esse excollatione virtualiter, qui
„ sic volenti consonat, quod nolit con-
„ ferre de illo, ut contingit, quando
„ quis operatur ex habitu, seu consuetu-
„ dine, aut negligentia. Qui enim con-
„ suetudinem suam prosequitur in bono,
„ vel in malo, non deliberat actualiter,
„ quando secundum illam operatur, nec
„ unquam proposuit uti illa consuetudine.
„ Sed quia refutat collationem, & illud
„ opus acceptat, ac si contulisset, dum sic
„ acceptat illud, quod fugit oppositum,
„ consequens est, quod excollatione vir-
„ tualiter operatur. Omnis enim volun-
„ tarius actus, præternaturales, & pri-
„ mos motus, ex collatione est: ac per
„ hoc deliberatus actualiter, vel virtua-
„ liter, positivè, vel negativè, explici-
„ tè, vel implicitè. Hæc Cajet.. Ex qui-
„ bus constat, quam longe distat à prima
„ hac sententia.

74. Contrariam sententiam defendunt SS. Patres, quorum doctrina infrà adducetur, & alij plurimi, & celebres auctores. Navarrus, Vgolinus, Angelus, Valentia, Azor. quos refert Sanchez in sum. t. 1. lib. 1. c. 16. num. 20. & pro illa adducit doctrinam Gersonis, Adriani, Zumel, & Suarez. Cajetanus 2. 2. quæst. 88. art. 1. dub. 3. §. *Verum ne fallaris*. Conradus, Curiel, Arauso, Cano, Soto, Penna, Ludovic. Lopez, Raph. Torre, Gregor. Martinez; latè Montesinos, ubi de peccatis t. 2. Suarez in 1. 2. t. 1. ubi de voluntario sect. 3. Corduba, Rodriguez, Villalobos, quos refert, & sequitur Prado, ubi supra §. 2. num. 1. Nostri Salmanticenses Scholastici t. 4. de peccatis latè, & efficaciter disput. 5. dub. 4. per totum, & disp. 10. a num. 160. & etiam Noster cursus moralis t. 3. tr. 17. cap. 2. num 160. & seq. & nisi fallor, omnes Thomistæ, qui punctum hoc attigerint, cum sit adeo expressum Angelici Præceptoris. Eamdem sententiam docent impugnantes novum Probabilissmum; ut Palanco, Mario Diana, Elizalde, Boudart, & alij plures. Hos adducimus, & possemus alios plures referre ejusdem dictaminis, ut appareat, qua ratione, & fundamento nonnulli ex adversarijs dicant suam sententiam esse communissimam, immò omnino certam, nec deest, qui non renuat asserere hanc sententiam secundam Divi Thomæ &c. esse improbabilem, adeò sibi fidit quandoque hominis ingenium.

§ II.

Quanti momenti sit recta hujus puncti resolutio.

75. Benignum lectorem præcor, ut patientiam habeat in me, si nimis fastidiosus videar indiffusa hujus dubij discussione de advertentia ad peccandũ requisita. Exigit ita, & urget hæc causa. Maximi enim momenti est in hoc negotio scopum veritatis attingere. Etenim si coram Deo (ut existimo) & apud ejus strictum, & rectissimum judicium doctrina primæ sententiæ locum non habeat, quot animæ invenientur in illa statera minus habentes? Si nullum datur peccatum actuale sine actuali advertentia, dum actu peccatur, Confessarij, & animarum directores tali documento nixi, dum pœnitens aliquod factum, aut internum consensum in obiectum illicitum, vel ommissionem manifestat, interrogant an habuerint tunc plenam malitiæ advertentiam, & si respondeat pœnitens sibi videri non habuisse; *non ergo peccasti*, ait Confessarius. Confitetur peccata ex iracundia, maledictiones, periuria, verba graviter iniuriosa contra proximum, blasphemias, cogitationes impuras, delectationes, imò consensus liberos in fornicationem, & furtum: *habuisti plenam advertentiam*? ignorabas esse peccata gravia internos consensus sine actu externo? si dicat non habuisse plenam advertentiam, vel ignorasse: finite hos scrupulos, non datur peccatum mortale sine actuali plena advertentia, vel cum ignorantia. Defectum pariter plenæ advertentiæ, & ignorantiam in præceptis naturalibus, facile in pluribus plerique

auctores hujus primi modi dicendi admittunt. Et cum homines faciles simus ad nos excusandos,& proprius amor, & diabolus non difficile decipit corda, in quibus timor Dei non regnat, inde fit, quod non pauci decipientur existimantes defectum advertentiæ, & intervenisse ignorantiam. Et quamvis non adverterent, tunc fortè erit voluntarium in causa, & ignorantia non invincibilis, nec apud Deum excusabilis.

76. Sed ulterius progreditur inconveniens. Nam pœnitentes faciliter assumunt illam executionem: quod in nostra hypotesi non sint formaliter peccata, nec ulla confitendi obligatio, unde postea illa perpetrantes talia non esse judicant, nec illa confiteri, vel de illis dolere curant, nec in vita, nec tempore mortis. Propterea ejusmodi doctrina videtur implere homines vana confidentia suæ justitiæ, & salutis futuræ. Nam multi sunt, qui cum plena advertentia actuali mortale peccatum non admittunt. Et hoc ex duplici causa contingit: Primo in illis, qui diligentissime Deo inserviunt, illumque verè ex toto corde diligunt. Cæterum hi confidentiam non habent, sed, vt ait D. Greg. lib. 5. mor. c. 23. *Tanto magis in divino conspectu trepidant, quanto nec bona sua digna æius examine, quem conspiciunt pensant.* Unde humiliantur, & potissimum confidũt in sanguine Salvatoris,& in Dei misericordia. Secundo contingit sine actuali advertentia (saltem plena) non peccare in quibusdam negligentibus, qui facile de legibus resolvunt, præ occupati passionibus animo & mente per multa extra Deum divagantes de plurimis scrupulum non faciunt: Et interea peccare non credunt, nisi actu advertant, quidquid sit reipsa de lege, & obligatione in se ipsa.

77. Et quid inde sequitur? quod humilitas periclitatur, in qua est salus, periclitatur oratio, studium proficiendi, & etiàm periclitantur virtutes. Scit enim quis labi jam diù non solere in jis, quæ pro peccatis habet, & sic etiam sentit, fore in futurum, & ex præterita experientia sibi consulit, & dirigit conscientiam. Inde etiam non curat, an plenus superbia sit, invidia, aut amore sui, si de his scrupulum non habet: quia in suo sensu solum peccatur, & non aliter, nisi quando ipse actu existimat, & judicat se peccare, & ex hoc uno regulat vitam suam. Et forsitan qui ita vitam instituit,plura ignorat esse mala supinè, & affectatè: vel quia distractus ad alia, quibus totus immersus est, nihil de obligatione cogitat. Non pauci sunt etiam inter Christianos sic vitam degentes. Non pauci Mundum gubernant, & de justitia distributiva, sic, ut de re sua disponunt, parum attendentes, & examinantes merita, quibus deberet fieri destributio. Quid de negotiatoribus, & alijs varia officia exercentibus omni genere industriæ, per fas, & per nefas thesaurizantibus absque plena malitiæ advertentia actuali? Ita vivunt, & non aliter vitam finiunt. Et quis prudens, & sapiens tribuit ipsis securitatem?

78 Ex alio extremo sese offert difficultas,immò impossibilitas adesse videtur in alio modo dicendi: Si dum nescitur, peccatur, quot anxietaies, scrupuli, & occasio se contristandi in animabus, præsertim timoratis originabitur? Quis poterit nisi plenus formidine accedere ad Sacramenta; absolutionem, & Sacram Eucharistiam quis confidenter recipere? Quis alacriter per viam virtutis incedre, si nescit ubi cadit? & si ignorat se cadere, quomodo potest resurgere, nec se, aut id, in quo delinquit corrigere? Hæc pauca sunt; plures aliæ supersunt difficultates, quibus videtur doctrinam secundi modi dicendi rationi naturali, divinæ, & humanæ esse contrariam. Et ob hanc causam recedunt ab isto modo dicendi auctores pro sententia prima relati. Atque ut aliquid sit voluntarium, requirunt, ut aliquo modo veniat in actualem appræhensionem intellectus,vel directe, ut si intellectus prævideat ex tali causa esse sequendum talem effectum, vel saltem incipiat dubitare reflexe, an oporteat inquirere,& considerare, sit ne periculum, ut consequatur talis effectus.

79. Hunc modum dicendi cum recte considerasset eximius Suarez, ait: „ Quidem modus dicendi si esset verus, facile expediret difficultates positas.... „ Excusarenturque homines à multis peccatis, & a perplexitatibus, & scrupu-

 lis,

„ lis. Sed tamen (prosequitur) hoc ipsum apud me hunc modum dicendi reddit valde suspectum, & moraliter incredibilem. Quia juxta illum sequuntur incommoda omnia, quæ in probatione secundæ conclusionis illata sunt: nam vix est ullus peccator, qui dum actu peccat, faciat illam reflexionem, an satis consideret obiectum, & malitiam ejus, vel teneatur amplius considerare &c. exausabuntur ergo homines à culpis facillimè, quas liberè committunt. Hæc tom. 1. in lib. 2. disp. 4. sect. 3. num. 22.

Et pergit ulterius probando. Et num. 12. apponit præfatam conclusionem, illamque roborat, ex Divo Thoma, & Aristotile, Cajetano, & Gabriele, asseritque „ esse communem sententiam omnium Doctorum, nimirum conditionem, seu circumstantiam non consideratam, non redere actum malum involuntarium. Sic se habebat modus sentiendi circa præsentem difficultatem, dum hanc materiam dictabat Franciscus Suarez: Unde videtur ortum habuisse modum contrarium exigendi præfatam actualem advertentiam ad peccandum circa annum 1580. quem amplexi sunt plures recentiores, quatenus favet libertati, & animarum solatio, estque magis benignus humanæ fragilitati. An autem hujusmodi zelus sit secundum scientiam, ex dicendis constabit, & suprapositis difficultatibus, & alijs, Deo dante, fiet satis.

§. III.

Præcipua fundamenta pro necessitate actualis advertentiæ: & quid dicendum sit, resolvitur.

80 STatuentibus advertentiæ actualis necessitatem eorum fundamenta valde efficacia videntur: ideò oportet illa proponere, ut ex ipsis, & ex stantibus pro adversa parte adinvicem collatis, & bene discussis, concludi rectè possit, quid resolvendum secundum veritatem, & conscientiæ securitatem. Pro necessitate actualis advertentiæ fundamenta præcipua hæc sunt.

I. Nemo actu peccat in eo, quod impedire non potest, aliàs necesserio peccaret: Sed dum homo nullam habet expressam cognitionem actualem de malitia objecti, nequit impedire consensum in tale objectum in ordine morali; siquidem hoc solum potest fieri movendo se ex cognitione tunc habita. Ergo nullo modo tunc peccat.

II. Peccatum exigit necessario, quod sit voluntarium, liberum circa malitiam, ad quod requiritur, quod homo circa illud possit considerare, & deliberare: Sed non habita tunc cognitione circa objecti malitiam, intellectus non habet principium ad deliberandum circa illam: ergo nequit dari tunc voluntarium liberum, ac per consequens nec peccatum imputabile. Quod urgetur illo principio: *Nihil volitum, nisi præcognitum*.

III. Conscientia vincibilis ideo talis dicitur, quia est deponibilis; sicut è contrariò invincibilis tunc dicitur, quia deponi nequit: idem etiam statuitur circa ignorantiam vincibilem, & invincibilem: Sed deficiente omni actuali, & expressa cognitione, saltem dubitando, vel aliquali conscientiæ remorsu, conscientia nequit deponi; siquidem non aliter potest procedere ad deponendam conscientiam, nisi in ipsa appareat aliqua objecti malitia, vel periculum incidendi in peccatum: ergo deficiente præfata cognitione conscientia tunc non est vincibilis, & consequenter illam sequendo non peccatur.

Hæc licet primo aspectu difficilia appareant, re hinc inde benè perspecta evanescet difficultas. Nec hæc argumenta nova sunt, neque recenter proposita; ipsa enim afferunt ex Pelagianis objecta SS. Patres, præcipue D. Augustinus, D. Hieronymus, D. Thomas &c. ipsaque rejiciunt, & contrariam salubrem doctrinam statuunt, & fortiter defendunt, nixi præsertim Sacræ Scripturæ documentis, quibus magis standum est, quam ratiunculis artificio intellectus nostri comparatis; quamvis nostræ debilitati difficultatem ingerere videantur.

81 Triplex inspectio occurrit in hac difficultate. Prima jam proposita: an universaliter requiratur aliqua actualis cognitio, dum quis peccat; prout jam repetitum est.

est. Secunda, quæ, & qualis cognitio sit necessaria in sententia asserente posse dari, & de facto sæpe dari peccata, etiam mortalia, absque actuali, & expressa cognitione, dum peccatur: Supponitur enim aliquando debere existere cognitionem aliquam saltem in causa respectu peccati, ut imputetur; sed qualis debeat esse, dubitatur, an in specie, aut genere, an in confuso? Tertia. Qualiter, & unde poterit cognosci, dum sic peccatur, adesse, vel adfuisse advertentiam, quæ supponitur necessaria.

Pro nunc breviter respondetur ad primam, negative. Ad secundam, non exigi necessario cognitionem malitiæ objecti nec in specie, nec in genere, sed solum confusè, & valdè confusè in aliqua ignorantiæ, vel inadvertentiæ causa. Ad tertiam: posse contingere hominem peccare, ita ut nec dum peccat, nec postquam peccavit, existimet se peccare, vel peccasse: juxta illud: *Ab occultis meis munda me*: & illud. *Nihil mihi conscius sum; sed in hoc non justificatus sum.* Hanc triplicem responsionem, & conclusionem ponimus simul; quia præcipuum nostrum fundamentum sumendum duximus ex Scriptura Sacra, & Sanctis Patribus, & cum ex ipsis tres hujusmodi responsiones simul probentur, aptius videtur illas simul, quam separatim apponere.

ARTICULUS V.

Quæ, & qualis cognitio, vel advertentia sit necessaria ad peccandum juxta doctrinam Sacræ Scripturæ, & SS. Patrum.

82 QUia præsens controversia est non de rebus humanis, & Philosophicis, sed de moribus naturæ elevatæ ad ordinem supernaturalem, & ad animarum æternam salutem necessariis, in ejus legitima resolutione principaliter, & maxime est recurrendum ad doctrinam Scripturæ Sacræ, & SS. PP. sententiam. Ex his etenim veræ lucis fontibus, (& non tantum ex discursibus infirmis, & debilibus rationis nostræ, quæ de se facile falli potest,) debemus sumere directionem animarum nostrarum in via ad Cœlum. Unde D. Chrysost. Epist. 2. ad Corinth. hom. 13. ait: *Non igitur multorum opiniones habeamus, sed res ipsas* (idest rei veritatem) *inquiramus. Quomodo autem non absurdum propter pecunias aliis non credere, sed ipsas numerare, & supputare; pro rebus autem amplioribus aliorum sententiam sequi simpliciter? Præsertim cum habeamus exactissimam trutinam, & gnomonem, & regulam, divinarum inquam legum assertionem. Et ideo obsecro, & oro omnes vos, ut relinquatis, quidnam huic, vel illi videatur; de quo his à Scripturis hæc omnia inquirite.* Alia plura circa hoc adducimus testimonia infra 2. p. q. 2. art. 1. & 2.

83 Pariter D. Augustinus, cujus auctoritas refertur in Cap. Non afferamus 24. q. 1. inquit: *Non afferamus stateras dolosas, ubi appendamus quod volumus, & quomodo volumus pro arbitrio nostro. Sed afferamus divinam stateram de Scripturis Sanctis, tamquam de Thesauris Dominicis; & in illa quid sit gravius appendamus: immo non appendamus, sed à Domino appensa recognoscamus.* Hæc ibi. Sic in hac controversia, quæ antiqaissima est, Sancti se habuerunt, ut mox patebit, illam discusserunt, & quid sentiendum sit, ex Sacris litteris statuerunt. Hoc ipsum nos admonet Christi Vicarius (dum illum modum opinandi rejicit) Alex. VII. in suo decreto 1665. damnante illas 28. propositiones. *Qui irrepsit alienus omnino ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina.* Quapropter pius lector, & vir timoratus videat illorum Auctorum scripta circa resolutionem præsentis dubii, qui exigunt illam actualem advertentiam semper necessariam ad peccatum, ex quo loco Sacræ Scripturæ, aut ex quo S. Doctore illam nobis suadent? videatque, si placet, auctoritates, quas mox adducemus ex Sacra Scriptura, & sententiis SS. PP. quorum verba adducemus, ut non sit necesse quærenti, eorum diffusa, & grandia opera evolvere.

Ex

§. I.

Ex Sacra Scriptura probatur triplex conclusion supra num. 81. *apposita.*

84 LEvitici cap. 4. ita dicit Deus: *Quod si omnis turba Israel ignoraverit, & per imperitiam fecerit, quod contra mandatum Domini est, & postea intellexerit peccatum suum, offeret pro peccato suo &c. & rogante pro eis Sacerdote, propitius erit eis Dominus.* Et infra: *Si peccaverit Princeps, & fecerit unum è pluribus per ignorantiam, quod Domini lege prohibetur, & postea intellexerit peccatum suum, offeret &c. Et dimittitur ei.* Ubi notanda est illa repetitio: *Si postea intellexerit peccatum suum*: Ergo antea non intelligebat, & tamen absolute dicitur peccasse. In eod. lib. cap. 5. *Anima si peccaverit per ignorantiam, feceritque unum ex his, quæ lege Domini prohibentur, & peccati rea intellexerit iniquitatem suã offeret &c. quia nesciens fecerit, & dimittetur ei.* Idem Numer. c. 15. *Si anima nesciens peccaverit offeret capram aniculam pro peccato suo, & deprecabitur pro ea Sacerdos, quod inscia peccaverit corã Domino, impetrabitque; ei veniam dimittetur ei.*

85 Hîc aperte dicit ipsa veritas, quod anima nesciens peccat; quæ autem actualiter advertit, cognoscit, dubitat, aut habet remorsum circa malitiam, non peccat nesciendo, ut ex se constat: ergo contradicit Scripturæ, qui semper requirit aliquam cognitionem actualem malitiæ ad peccandum: attenta etenim simplicitate verborum Scripturæ, id stare non potest. Ideo ex his locis, D. Hieronymus, & ex aliis à se adductis (ut infra videbitur) vehementer invehitur contra Pelagianos excusantes à peccato actuali præfata cognitione carentes. Si dicas illa præcepta, & peccatorum expiationes jam cessasse; nullius momenti est; siquidem non cessat doctrima; quæ nobis manifestat, quid Deus judicet de illis, qui contra suas leges per nescientiam, aut oblivionem operantur. Nec major advertentia requiritur, vel alia pro imputatione peccati in lege Evangelica, quam in scripta. Præterea, quia ex adductis locis colligunt SS. PP. hominem peccare, ut S. Bernard. & alii, ut infra constat. Scripturæ enim Sacræ verba accipienda juxta sensum, & acceptionem SS. Patrum, docet Conc. Trid. Sess. 4.

86 Probatur deinde ex celebri dicto Redemptoris nostri Apud Joan. cap. 16. Sic Discipulos suos alloquens: *Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini. Absq; Synagogis facient vos; sed venit hora, ut omnis qui interficit vos arbitretur obsequium se præstare Deo; & hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, nec me.* Verba plana sunt: qui occidit Apostolos nedum non arbitrabatur se peccare, sed existimabat se obsequium præstare Deo: quomodo ergo advertebat, vel remorsum habebat se peccare? Et tamen nemo dicet occidentes Apostolos non peccare? Et sic D. Th. in eod. loco ait: *Hæc facient vobis &c. Et sunt inexcusabiles; & Spiritus Sanctus, & vos testificabimini contra illos.*

87 Confirmatur ex D. Augustino in Evang. Joan. tract. 93. ad eund. loc. ubi ejus verba etiam refert D. Thomas, in catena, ibi: „ Tam multos in nomine meo „ congregabitis, ut illi metuentes ne templum, quod erat apud eos, & omnia legis veteris Sacramenta deserant, sic „ interficient vos, ut Deo arbitrentur se „ præstare obsequium, zelum Dei habentes, sed non secundum scientiam. Hoc „ enim de Judæis debemus accipere, de „ quibus dixerat: Extra Synagogam facient vos. Nam testes, idest Martyres „ Christi etiam occisi sunt à Gentilibus, „ non tamen Deo arbitrabantur, sed Diis „ suis falsis obsequium se præstare. Judæorum autem omnis, qui occidit Prædicatores Christi, Deo se putabat præstare obsequium, credens, quod deserent Deum Israel, quicumque converterentur ad Christum. Hinc ergo accensi, & zelum Dei habentes non secundum scientiam obsequiũ se Deo præstare „ credentes, occidebant eos. Hæc ibi. „

88 Ex eod. loco probat D. Bernardus, quem infra fusius referemus, peccari per ignorantiam, seu absque advertentia, dum peccatur: „ Quid ergo causamur adversus „ Judęos occisores Apostolorum: quoniam „ quidem, non solum malum non esse, sed „ insuper quoq; id faciendo arbitrati sunt „ obsequium se præstare Deo? „ Ita in

Epist.

Epiſt. 77. ad Ugon. de S. Victore. Concordat D. Chryſoſt. ſup. idem cap. 16. Joan. hom. 76. „ Ut omnis, qui interficiat vos „ arbitretur obſequium ſe præſtare Deo; „ Si vos interficient, rem piam, & Deo gratam facturos ſe exiſtimabunt. „ Ex eiſdem verbis Chriſti Domini probat etiam D. Th. voluntatem concordantē rationi erranti poſſe eſſe malam: *Voluntas occidendi Apoſtolos erat mala: Sed tamen concordabat rationi erranti ipſorum; ſecundum illud Ioan. 16. Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo: Ergo voluntas concordans rationi erranti poteſt eſſe mala*. Sic. 1. 2. q. 19. art. 6. in arg. Sed contra. Et eandem doctrinam ſtatuit in corpore. Idemque ex eodem loco docet. In 2. ſent. cap. 33. q. 3. art. 2. & q. 17. de Verit. art. 4.

§. II.

Ex Apoſtolo ad Rom. cap. 1. & aliis locis.

89 TExtum in hac re capitalem habemus apud illum Sapientiæ cæleſtis ſtuporem D. Paulum Scribentem ad Romanos cap. 1. Ubi ait loquens de ſapientibus gentilium: „ Quod notum eſt „ Dei, manifeſtum eſt illis; Deus enim „ illis manifeſtavit. Inviſibilia enim ipſius „ à creatura mundi, per ea, quæ facta ſunt, „ intellecta conſpiciuntur: Sempiterna „ quoque ejus virtus, & divinitas: itaut ſint „ inexcuſabiles. Quia cum cognoviſſent „ Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, „ aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in „ cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt „ cor inſipiens eorum. Dicentes enim ſe „ eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in „ ſimilitudinē imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, „ & ſerpentium. Et infra. Fœminæ eorum „ immutaverunt naturalem uſum in eum „ uſum, qui eſt contra naturam. Similiter, & maſculi, relicto naturali uſu fœminæ exarſerunt in deſideriis ſuis ininvicem &c. Et ſicut non probaverunt Deum „ habere in notitia, tradidit illos Deus „ in reprobum ſenſum, ut faciant ea, quæ „ non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitia fornicatione, avaritia, „ nequitia, plenos invidia, homicidio, „ contentione, dolo, malignitate, ſuſurrones, detractores &c. Qui cum juſtitiam Dei cognoviſſent, non intellexerunt, quoniam quia talia agunt, digni „ ſunt morte. „

90 Ubi magis apertè inveſtigari; & cognoſci poteſt, quid eſt homo, quam in hac longa narratione Doctoris Gentium? quam amara ejus perditio, quam turpis ejus corruptio, & quam erratica ejus degeneratio! In hac ergo auctoritate venit notandum; quod qui talia agebant, ignorabant, ſeu non intelligebant eſſe peccata, ut in ultimis verbis aſſerit Apoſtolus: *non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte*; quæ aliud non eſt niſi peccatum, & damnatio æterna. Et tamen dicuntur eſſe inexcuſabiles: *ita ut ſint inexcuſabiles*. Unde ſequitur peccare poſſe, abſque eo quod homo intelligat actu ſe peccare. Sed ubi adeſt cognitio, ſeu cauſa cognita, ratione cujus imputatur peccatum? Illam apertè oſtendit D. Paulus: *Quia cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt &c.* Ideo illos tradidit Deus in reprobum ſenſum: ideo obcœcati ſunt. In illo defectu voluntario, & ſuperbia, ex quibus ſequuta fuit privatio intelligentiæ malitiæ tantorum criminum, fuit voluntaria indirectè, & virtualiter ignorantia, vel inconſiderantia, dum actu peccabant. Ex quo etiam infertur non eſſe neceſſariam ad peccatum conſiderationem ſecundum ſpeciem, aut individuum in ipſa cauſa.

91 Auſcultandus Divus Thomas, ibi: „ qui nobis apertiſſimè ſenſum Apoſtoli „ oſtendit. Primo ergo oſtendit Gentiles „ non eſſe excuſabiles, ſecundo ponit culpam eorum, (& mutaverunt gloriam.) „ Circa primum conſiderandum eſt, quod „ tunc ignorantia culpam excuſat, quando „ ſic procedit, & cauſat culpam, quod non „ cauſatur à culpa; ſicut cum aliquis adhibita diligentia debita, dum credit percutere hoſtem, percutit patrem. Si vero ignorantia cauſetur exculpa, non poteſt ſubſequentem culpam ignorantia excuſare. Unde ſiquis per ebrietatem ho-

„ mi-

„ micidium committit; non excusatur à „ culpa, quia peccavit se in ebriando. „ Unde secundum Philosophum meretur „ duplices mulctationes. 2. Polit. c. ult. „ Secundo ibi: [Quia cum cognovissent „ &c.] probat, quod dixerat, & primo „ ostendit, quod prima eorum culpa ex „ ignorantia non processit: secundo quod „ ex hac culpa est ignorantia subsequuta: „ ibi: [sed evanuerunt.] Quod autem „ eorum culpa non fuerit ex ignorantia, „ ostenditur, per hoc quod Dei cognitio- „ nem habentes, ea non sunt usi ad bo- „ num. Dupliciter autem Deum cogno- „ verunt, uno modo sicut omnibus super- „ eminentem, & sic ei debebant gloriam, „ & honorem, quæ super excellentibus „ debetur: ideo isti dicuntur inexcusabi- „ les: Quia cum cognovissent &c. secundo „ cognoverunt eum, sicut omnium bono- „ rum causam, unde ei in omnibus gratia- „ rum actio debebatur, quam tamen ipsi „ non impendebant, sed potius suo inge- „ nio, & virtuti suæ bona sua ascribebant. (Animadvertant homines negligentes sibi sapientes, & Deum in omnibus non glorificantes, nec gratias agentes &c.)

92 „ Deinde cum dicit: sed evanue- „ runt: ostendit, quod eis ex culpa est „ ignorantia subsecuta. Et primo ponit in- „ tentum, secundo manifestat propositum „ ibi: [Dicentes.] Primo ergo proponit „ culpam, quæ est ignorantiæ causa, cum „ dicit, evanuerunt: vanum enim dicitur; „ quod non habet stabilitatem, seu firmi- „ tatem Malach. 3. Ego Deus, & non mu- „ tor; cum autem Deo prætermisso inniti- „ tur mens humana cuicumque creaturæ, „ incurrit vanitatem .... Secundo ponit „ ignorantiam subsecutam dicens: [Et ob- „ scuratum est:] idest per hoc, quod ob- „ scuratum est, factum est cor eorum insi- „ piens, idest lumine sapientiæ privatum; „ per quam homo vere Deum cognoscit. „ Sicut enim, qui oculos corporales à so- „ le materiali avertit, obscuritatem ma- „ terialem incurrit, ita ille, qui à Deo „ àvertitur de se ipso præsumens, & non „ de Deo, spiritualiter obscuratur. Pro- „ ver. 11. Ubi humilitas, ibi sapientia: & „ Matth. 11. Abscondisti hæc à sapienti- „ bus. Ephes. 4. Gentes ambulant in va- „ nitate sensus sui tenebris obscuratum ha- „ bentes intellectum. Hactenus Doct. An- „ gelicus: qui nostram sententiam docet, „ & mirifice probat.

93 Verum non omittendus præstantissimus Pauli, ipsique addictissimus interpres, ab illoque edoctus. Homil. 3. in dicto capit. 1. ad Rom. ait D. Chrysost. „ Propte- „ rea, quod cum Deum cognoverint, non „ ut Deum glorificaverunt; & causam qui- „ dem addit, ob quam intantam amentiam „ dilapsi sunt. Quænam igitur ea? Cogi- „ tationibus rem totam commiserunt. Ve- „ rum non sic dixit, sed quod multo erat „ terribilius: Evanuerunt in cogitationi- „ bus suis, & ob tenebratum est nesciens „ cor eorum. Quemadmodum enim in „ nocte illum, si quis peregrina via ingre- „ di conetur, aut mare navigare, non so- „ lum non perveniet ad finem destinatum, „ sed peribit protinus: sic & isti iter ad „ Cœlum ferens agressi, à se lucem, cum „ ademerint, ac pro ea cogitationibus te- „ nebris se in voluerunt, naufragium infe- „ stissimum fecerunt. Hæc, ibi. Ubi ergo actualis advertentia de malitia infaustissimi naufragii agnoscit S. Doctor in his gentibus?

94. „ Deindè clarius homilia 4. ad „ medium. Quod si minimè persentiunt, „ sed delectantur, nè mirum tibi sit. Ete- „ nim, qui insaniunt, & phrenesim pa- „ tiuntur, ij certe multas, & eas mise- „ randas in semet iniurias dum inferunt, „ ob quæ facta alij lachrymatisent, ob- „ eadem rident quidem ipsi, & insole- „ scunt, nec tamen propterea dixerimus „ suplicio liberatos, sed hoc nomine pœ- „ na graviori affligi, quod ne ipsi qui- „ dem norint, quibus, quantisque in ma- „ lis versentur miseri. Hæc ibi. In quibus verbis Sanctus Doctor docet non sentire, nec cognoscere talia operantes in ordinationem, & perversitatem eorum, quæ faciebant; & tamen perversè fecisse, dignissimosque pœnis esse, statuit.

„ Pergit id exemplo confirmare: Ne- „ que enim ab ægrorum, sed à sanorum „ calculo sententiam ferre nos oportet: „ quandoquidem antiquitus, & lex esse „ res ea videbatur, ac legislator quidam „ apud illos sanxit, ut servi, neque in

sic-

„ sicco sese ungerent, neque puerorum „ amoribus vacarent, hanc scilicet prærogativam ingenuis solis concedens, seu „ ut verius dicam, hanc turpitudinem „ quidem factum hujusmodi esse crederent, sed veluti venerandum honestum, „ ac majus quam quod servorum personis „ conveniret, liberis ipsis permiserit. „ Et istud quidem admiserunt sapientissimus Atheniensium populus, & qui magnus apud illos habitus est Solon: cum „ eo quoque quod & multos Phylosophorum libros hocce morbo refertos invenias. Hæc ibi.

95. Ergo, vel neganda est auctoritas D. Chrysostomi, & D. Thomæ, & quod majus, sustineri non posse videtur doctrina Apostoli, Si omnino est necessaria, dum peccatur, actualis peccati malitia; vel asserendum sine illa posse peccari. Deinde tam in doctrina Apostoli, quam istorum Ecclesiæ luminum cognitio malitiæ in causa, non ita est necessaria, ut ibi dubitet homo, vel percipiat in particulari malum morale esse eventurum, sed sufficit quod voluntariè malum grave faciat, ex quo per se sequatur privatio sciendi, & quod absolute potuerit, & debuerit; si recte, & diligenter attendisset, ex illo, vel illis factis malis cognoscere, vel dubitare alia mala esse ventura. Undè Apostolus, & laudati Sancti Doctores pro imputatione peccatorum illorum recurrunt ad illud gravissimum peccatum: *quia cum cognovissent* &c. *& quia evanuerunt in cogitationibus suis se esse Sapientes &c.* & ob passiones pravas: Unde in dic. homil. 4. concludit D. Chrisost. *Unde igitur mala hæc creata sunt? à delicijs, & Dei ignoratione. Cum enim excusserit quis Dei timorem, protinus bona omnia pessum eunt*:

96. „ Probatur præterea ex verbis „ Christi Domini Luc. cap. 12. ille autem „ servus, qui cognovit voluntatem Domini, & in se præparavit, & non fecit „ digna plagis, vapulavit paucis. In quibus verbis perspicue docet Salvator, absque eo quod cognoscatur, peccari, aliàs enim non puniretur ille servus, licet ob ignorantiam minuentem peccatum minus puniatur. Accedit expositio SS. PP. D. Augustinus de gratia, & lib. arb. lib. 1. c. 3. „ Nam si pejor est conditio nescientium, „ quam scientientium legem Dei, quomodo verum erit, quod Dominus in „ Evangelio ait: ille servus qui cognovit „ &c. ecce ubi ostenditur gravius peccare scientem, quam nescientem: Nec „ tamen confugiendum est ad ignorantiæ „ tenebras, ut in eis quis requirat excusationem. Hæc ibi. Et D. Basilius in „ reg. brevior. reg. 58. Merito punitur, „ qui sciens voluntatem Domini .... „ Sanè judicium Domini, in ijs etiam, qui „ ex ignorantia peccant, perspicuum est illis verbis: Qui non cognovit; & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Divus Gregor. Nazianzen. idem ex eodem loco tradit, ejus verba habentur infra 2. part. quæst. 1. art. 3. §. 3. num. 282. Theodoretus apud D. Thomam in Catena ad eundem locum: *Hoc objiciunt aliqui* (jam „ tunc erat difficultas) *merito punitur*, „ *qui sciens voluntatem Domini, non prosequitur. Sed cur punitur ignorans? Qui* „ *cum ipse potuisset, noluit, sed pigritans* „ *ipse fuit, sua ignorantiæ causa*.

§. III.
Probatur idem assumptum ex Divo Hieronymo.

97 Scripsit Doctor Maximus præter Epistolam ad Ctesiphontem duos libros plenos mira eruditione contrà Pelagianos per modum dialogi. Ad quod introducit Atticum, & Critobolum; primum agentem partem Catholicorum, secundum verò Pelagianorum partem. Negabant Pelagiani peccata ignorantiæ. Hoc impugnare, & rejicere insurgit Divus Hieronymus lib. 2. contra Pelagianos, aliquanto ante finem Ex illo Psalm. 18. *Delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me Domine*: *Cum* „ *Ecclesia* (inquit) etiam quæ per ignorantiam delinquimus, & sola cogitatione peccamus, delicta esse fateatur in „ tantum, ut hostias pro errore jubeat „ offerri, Levit. cap. 45. & Pontifex, qui „ pro cuncto populo deprecante pro se offerat victimas, qui certè numquam pro „ alijs, & pro se juberetur offerre, si peccato careret ignorantiæ. (Quod deinde „ probat ex Job. cap. 1.) qui offerebat

„ hostias pro filijs suis ne forte per igno-
„ rantiam in cogitatione peccaverint.
„ &c.

Sed contra Sancti Doctoris doctrinam arguit pars Pelagianorum, seu Critobolus: *Rogo quæ est ista justitia, ut in peccato tenear erroris, cujus reatum non habet conscientia? Nescio me peccasse, & ejus rei quā nescio pœnas luo? Et quid plus faciam, Si sponte peccavero*; ità refert S. Doctor dicto lib. 1. ante fin. Ex quibus verbis, & argumento constat difficultatem, quam præmanibus habemus, tunc controverti, illamque S. Hieronymum ibi discutere. Et quid aliud in adducto argumento proponitur difficultatis, nisi id ipsum, quod in argumentis sententiæ contrariæ cōtra nos objjcitur, & exadverso nititur probari? Quid est non habere reatum in conscientia, nisi non habere advertentiam, dubitationem, aut remorsum? quid nescire peccare, àc pœnas luere sicut si spontè peccaret, nisi dum quis peccat, protunc carere libertate? pro quâ recurrendum necesse est ad aliam radicem.

98 Idipsum confirmatur: Nàm S. Doctor in lib. ad eosdem Pelagianos; ait in persona Attici, seu Catholici contra agentem illorum partem: „ *Tacere tibi videor,*
„ *qui tantis exemplis docere te volui* (ni-
„ mirum lib. 1.) *peccare hominem per igno-*
„ *rantiam, & pro peccato, ut in lege ho-*
„ *stias, ita & in Evangelio offerendam pa-*
„ *nitudinem*. (cui respondet Critobolus
„ Pelagianus:) *Da testimonium non in-*
„ *strumenti, ubi error ignorantia, & im-*
„ *possibilitas mandati teneatur in crimine*.
„ (cui Atticus Catholicus.) *Non est ne-*
„ *cesse multa proferre, unum proferam, cui*
„ *certè contradicere non poteris &c.* Ecce qualiter Sanctus Doctor non negat impossibilitatem adimplendi mandatum ratione ignorantiæ, & quod tamquam crimen imputetur; immò potiùs profert ad id statuendum plura testimonia. Quapropter si bene perpendantur obiectiones, quas Critobolus opponit D. Hieronymo, eædem sunt, vel idem continent, quod illæ, quæ pro necessitate actualis cognitionis requirunt ejusmodi defensores: & tamen insurgit Doctor S. contra illas obiectiones, & earum doctrinam, rejicit, & invehitur mole scripturarum immensa, adeò ut in locis ex duobus libris supra citatis, plusquam quinguaginta exempla, sive loca utriusque testamenti proferat pro vera doctrina, & adversus contrariam.

99 Sed videamus aliqua ex pluribus, quæ maximus, & sapientissimus Doctor illa sua nervosa, & eloquenti efficacia profert. Ajebat Critobolus: „ *Rogo, quæ est*
„ *ista justitia, ut in peccato tenear erroris,*
„ *cujus reatum non habet conscientia? &c.*
„ Cui Atticus, idst Hieron. A me senten-
„ tiæ, & dispositionis Dei causas requiris?
„ Respondet stultæ interrogationi tuæ li-
„ ber Sapientiæ (Eccli. c. 3. Altiora te
„ ne quæsieris. Et alibi (c. 7.) Noli esse
„ sapiens multum, & noli argumentari
„ plusquàm oporteat. Et in alio loco
„ (sap. c. 1.) In sapientia, & simplicitate
„ cordis, quærite Deum. Audi Aposto-
„ lum Evangelica clangentem tuba (Rom.
„ c. 11.) O altitudo divitiarum sapientiæ,
„ & scientiæ Dei, quam inscrutabilia sunt
„ judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!
„ Quis enim cognovit sensum Domini!
„ aut quis consiliarius ejus fuit. Istæ sunt
„ quæstiones, de quibus in alio loco scri-
„ bit (2. Thim. c. 2.) stultas autem, &
„ ineruditas quæstiones de vita, sciens
„ quoniam lites generant: Audi ergo bre-
„ vitèr testimonia scripturarum; ut stulta,
„ immò impia sciscitatio tua in perpetuum
„ conticescat. Hæc lib. 1. supra citato.
Adeò perspicuum autumat Doctor Sanctus dari peccata ignorantiæ juxtà divina eloquia, prout Critobolus negabat, quod nullatenus esset nisi stultè in quæstionem vertendum.

100 Post adducta verba pergit probando tot Scripturæ locis, quæ apud ipsum videri possunt, & non absque voluptate.
„ Inter alia inquit: Jonatham fabum mel-
„ lis gustavit in Sceptro, & illuminatis
„ oculis periclitatur, quod nesciens fece-
„ rit. Hoc enim Scriptura testatur, quod
„ ignoraverit à Patre esse præceptum, nè
„ quisquam gustaret, donec victoria Do-
„ mini compleretur. Intantùm autem ira-
„ tus est Dominus, ut sors inveniret oc-
„ cultum, & ipse fateretur dicens: Gusta-
„ vi in summitate Sceptri, quod est in
„ manu mea parùm mellis, & ecce morior.

Et

„ Et (inferius) Oza Levites cum arca Domini transferretur Hierusalem, & lascivientes bobes plaustrum in partem alteram declinassent, misit manum, ut sustentaret inclinatam arcam, statimque sequitur: Iratus est furor Domini in Ozam, & percussit eum Deus ibi ob ignorantiam, & mortuus est juxtà arcam Dei. 2. Reg. c. 6. Idem probat ex jussione David, ut numeraretur populus. Cùm juberet, ut fieret, ignorabat, & tamen seipsum reprehendit, & pro culpa septuaginta millia hominum Angeli gladio trucidantur, &c. 2. Reg. c. 24.

Concludit Doct. max. Librum I. allegatum. Pravum est cor hominis, & inscrutabile (Hierem. c. 10.) Et quis cognoscet illud. In Proverbiis legimus cap. 14. Est via, quæ videtur recta apud homines, & novissima ejus veniunt in profundum. Eccè & hìc ignorantia manifestè condemnatur, cùm aliud putat homo, & sub specie veritatis ad Inferna delabitur. Multæ (inquit Prover. 19.) cogitationes in corde hominis, sed non tamen illius voluntas, quæ incerta, & fluctuans, atque mutabilis est, sed Dei consilium obtinet. Quis (inquit Prov. 20.) gloriabitur castum se habere cor? Et quis confidet mundum esse à peccato? A Domino gressus hominis diriguntur Ps. 36.) Mortalis autẽ quomodò poterit scire vias suas? Omnis vir videtur sibi justus (Prov. 21.) Sed corrigit corda hominum Deus. Filius malus (Prov. 30.) justum se facit, & non lavat exitũ suum. Est enim justus (Eccl. 7.) qui perit in justitia sua. Hæc ibi.

101 Cœterùm adhuc non quiescebat pars Pelagianorum; undè lib. 2. citato in principio replicat, & inculcat: Si Deus tales homines condidit, ut oblivione, & ignorantię peccato carere non possint. Ex quo perspicuum est hominem posse, si voluerit, non peccare. Id enim fecit, quod vitare non potuit. Ubi autem aufertur possibilitas, aufertur & vitium; nemo enim in eo condemnatur, quod facere non potuit; ità Critobulus. Benè poterat respondere D. Hieron. quod ubi aufertur possibilitas simpliciter, aufertur vitium, non verò dum ex suppositione aufertur, ut infrà ex D. Th. dicetur. Nihilominùs Doctor Max. ut Catholicissimus occurrit. Sepè dixi te non intelligere conatus meos, neque considerare quid argumenteris, sed quid Deus jusserit pro oblivione, & ignorantia, quasi pro peccato offerunt sacrificia, sive hoc malè, juxtà te, sivè hoc benè, juxtà me. Deus præcepit, meum est observare, quod jussit; tuum Dei jussa reprehendere.

102 Deindè ex novo Testamento rejicit Critobolum Pelagianum: Unum proferam testimonium (ait) cui contradicere non poteris: Vas electionis perspicuè loquitur (Rom. 7.) Quod enim operor non cognosco. Non enim, quod volo operor, sed quod nolo illud facio &c. Si hoc Pauli testimonio non moveris; audi aliud ejusdem, cui contradicere non potes: Nihil mihi conscius sum, &c. Mirè nec me ipsum judico. Nihil mihi conscius sum; nec tamen in hoc justificatus sum. Qui hoc dicebat, nullius utiq; peccati conscius erat. Sed quia legerat: Delictà quis intelligit? Et sunt viæ, quæ videntur homini justæ: novissima autem earum respiciunt profundum Inferni. Et iterum: Omnis vir videtur sibi justus, &c. idcircò temperavit sententiam, nè fortè per ignorantiam deliquisset. Et (post duas columnas, concludit D. Hieron. ex cap. 4. Epist. Jacobi) Si judicas legem, non es factor legis, sed Judex. Ille judicat legem, qui dicit aliquid non justè pręceptum, & ignorantiam non habere peccatum, & frustrà offerri victimas pro errore, quod peccati non habet conscientiam. Neq; enim in lege ratio quęritur, sed auctoritas. Hactenùs Doctor Max.

103 Plura possent notari in doctrina tanti Doctoris. 1. Quàm diffusè tractat, & nervosè probat dari peccata ignorantiæ; in quo indicat quanti momenti sit hujusmodi cognitio. 2. Quomodò recurrit ad Sacram Scripturam tantùm, & non ad rationem; hæc enim facilè posset ab adversario eludi. Nec negat posse hominem peccare, in eo, quod vitare non potest, & de cujus reatu non habet conscientiam; licèt non ignorabat, qualiter tunc habet poten-

tiam ad id vitandum: sed recurrit ad Scripturas; quasi diceret: Scriptura docet hominem nesciendo peccare; qualiter potest, & non potest, est rationem exigere à Deo loquente, & hoc est stultum. 3. Quàm facilè posset hanc controversiam concludere, si amplecteretur dictamen sententiæ nobis contrariæ; dicendo, semper dari aliquam cognitionem, & consequenter remorsum conscientiæ. Sed hoc rejicit ex tot Sac. Paginæ locis.

§. IV.

Idem ex D. Augustino.

104 PRæclarissimæ Ecclesiæ, & veritatis lumina D. Augustinus, & Hieronymus antesignani fuerunt, qui contrà pullulantes errores peccata ignorantiæ propugnarunt, & qualiter perpetrantur. De primo jam §. præced. visum est. Nunc quid doceat secundus, videndum. Cùm Manichæi tollerent liberum arbitrium in homine, consequenter docebant necessariò peccare, seu cogi voluntatem ad peccandum in vitam. Hoc instabant in peccatis ignorantiæ, in quibus voluntas peccat, quin illa cavere possit. Contrà Manichæorum pestifera dogmata scribit D. Augustinus, præcipuè in libris de libero arbitrio tom. 1. Et accedendo ad instantiam de peccatis „ ignorantiæ lib. 1. cap. 16. inquit: An „ tanta fallacia est, ut caveri omninò non „ possit? Quis enim peccat in eo, quod „ nullo modo caveri potest? Peccatur au„ tem: caveri igitur potest. Et tamen etiã „ per ignorantiam facta quædam impro„ bantur, & corrigenda judicantur, sicut „ in divinis auctoritatibus legimus. Ait „ enim Apostolus (1. Thim. 1.) Misericor„ diam consequutus sum, quia ignorans „ feci, Ait & Propheta (Ps. 24.) Delicta „ juventutis meæ, & ignorantias meas nè „ memineris. Sunt etiam necessitate facta „ improbanda, ubi vult homo rectè face„ re, & non potest; nam undè sunt ille vo„ ces: Non enim, quod volo, facio bonum; „ sed quod volo malum, hoc ago? &c.

105 Et S. Doctor prosequitur probando, qualiter dantur peccata, quæ sunt pœna peccati, & in hoc illa esse voluntaria. „ Nec mirandum est (ait ibi) quod vel „ ignorando non habeat arbitrium liberum „ voluntatis ad eligendum, quid rectè fa„ ciat, vel resistente carnali consuetudine, „ quæ violenta mortalis successionis quod„ ammodo naturaliter inolevit, videat, „ quid rectè faciendum, & velit, nec pos„ sit implere. Illa est enim peccati pœna „ justissima, ut ammittat unusquisque, quo „ benè uti noluit, cùm sine ulla posset dif„ ficultate, si vellet. Hæc ibi. Ubi S. Doctor non recurrit ad respondendum, seù rejiciendum adversarium ad actualem cognitionem, seù advertentiam, dum peccatur ex ignorantia, sed ad alia peccata ommissionis, vel commissionis, in quibus defectus cognitionis sit liber, & peccatum ex ignorantia factum sit liberum in causa.

106 Deindè cap. sequ. 19. magis perspicuè idipsum docet. Cùm verò (ait) „ ubiquè sit præsens, qui multis modis per „ creaturam sibi Domino servientem aver„ sum vocet, doceat credentem, conso„ letur sperantem, diligentem exhortetur, „ conantem adjuvet, exaudiat deprecantẽ: „ non tibi deputatur ad culpam, quod in„ vitùs ignoras, sed quod negligis querere „ quod ignoras: Nec illud, quod vulnera„ ta membra non colligis, sed quod volen„ tem sanare contendis. Ista tua propria „ peccata sunt. Nulli enim homini abla„ tũ est scire utiliter, quod inutiliter igno„ rat, & humiliter confitendam esse imbe„ cillitatem, ut quærenti, & confitenti illi „ subveniat, qui nec errat, dum subvenit, „ nec laborat. Nam illud, quod ignorat „ quisque, non rectè facit, & quod rectè „ volens facere non potest, ideò dicun„ tur peccata, quia de peccato illo liberæ „ voluntatis originem ducunt. Hæc San„ ctus Doctor: Ubi hìc advertentia remorsus, seu aliqua actualis cognitio? Manifestè recurrit ad voluntarium in causa: nec requirit cognitionem peccati (quod est alterius effectus) secundum rationem specialem, nec genericam; Sed sufficere negligentiam, quæ de se infert postea scientiæ privationem. Deinde perspicue apparet, quam longe abest D. Augustinus à doctrina Hæretica, Jansenistarum, attribuentium illi sufficere ad peccatum ignorantiæ reatum

tum peccati originalis. Nam in verbis relatis hoc excludit, voluntarium proprium in causa requirens: *Non tibi deputatur ad culpam &c:*

107 Præterea idem S. Doctor lib. 1. retract. cap. 9. refert, qualiter ipse scripsit de libero arbitrio, & ad Pelagii hæretici manus pervenisset, cum iste etiam negasset peccata ignorantiæ, surrexit contra ipsum D. Augustinum arguens sic ad hominem: *Quis peccat in eo, quod nullo modo caveri potest. Peccatur autem: ergo caveri potest:* hinc deducebat Pelagius ex ipsis verbis Augustini non dari peccata ignorantiæ: ut prosequitur S. Doctor, dicens: *Quo testimonio meo in quodam libro suo Pelagius usus est.* (Et inferius.) El libro tertio (nimirum de liber. arb. cap. 18.) *Cum dixissem illud, quo & Pelagius de meis opusculis usum fuisse commemoravi: Quis enim, in quam, peccat in eo, quod nullo modo caveri potest: peccatur autem: Caveri igitur potest: Continuus sequutus adjunxi: Et tamen etiam per ignorantiam facta, & corrigenda indicantur, sicut in divinis auctoritatibus legimus. Ait enim Apostolus misericordiam consequtus sum, quia ignorans feci &c.* (prosequitur referens quod docuerat dicto cap. 18. & supra relatum est. Et tandem paulo post concludit) *Ecce quam longe antequam Pelagiana hæresis extitisset, sic disputavimus, velut jam contra illos disputaverimus.*

Itaque Pelagius: arguebat ex Augustino, & contra Augustinum: Per te nullo modo peccatur in eo quod caveri non potest: Sed dum adest ignorantia id caveri non potest: ergo non datur peccatum ignorantiæ. Quid respondit S. Doctor? Darinè actualem cognitionem, vel remorsum dum peccatur? Minime; sed recurrit ad negligentiam sciendi, ad peccata præterita tamquam ad causam, in qua peccata subsequuta sunt voluntaria indirectè; & sic absolutè, & simpliciter caveri possunt, licet non ex suppositione, ut infra ex D. Th. dicetur, & magis explicabitur. Unde bene perpensis his, quæ ex hoc Sanctiss. Doctore adducta sunt, non obscure ostenditur non alia esse fundamenta præcipuæ sententiæ nobis adversæ, quam quæ contra se refert D. Augustinus.

108 Præterea in Enchirid. cap. 80. inquit: „Hinc accidit, quod peccata, quamvis magna, & horrenda, cum in consuetudinem venerunt, aut parva, aut nulla esse creduntur: Usque adeò ut non solum non occultanda, verum etiam jam prædicanda, & diffamanda videatur: quando, sicut scriptum est: (Ps. 9.) laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur. „ (Sed numquid juxta credulitatem, & existimationem istam judicabit Deus?) „Et cap. 71. Hoc unum dicam, quod in aliis opusculorum meorum locis sæpe jam dixi. Duabus ex causis peccamus; aut non videndo, quod facere debeamus, aut non faciendo quod debere fieri jam videmus. Quorum duorum illud ignorantiæ malum est, hoc infirmitatis: contra quod quidem pugnare nos convenit. Et in lib. de grat. & libero arb. cap. 3. adducit illud Lucæ cap. 22. Ille autem servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non se præparavit, & non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis, qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Hæc ibi. „ In quo ostenditur, gravius peccare cognoscentem, quam non cognoscentem, nec pro istius excusatione recurritur ad tenebras ignorantiæ. Alia plura ex hoc Doctore sublimi possent adduci ad rem confirmandam; qui tantus fuit in astruendo hanc veritatem ob periculum, & detrimenta animarum, quæ imminebant ex doctrina contraria. Sed non omittendum, quod ait Epist. 154. ad Publicolum: *Siquis autem putaverit esse bonum, quod malum est, & fecerit, hoc putando utique peccat. Et ea sunt omnia peccata ignorantiæ, quando quisque bene fieri putat, quod malum.* Ex quo fit, quod revera auferunt peccata ignorantię juxta D. August. qui cognitionem, de qua est controversia, requirunt.

§. V.

Ex SS. DD. Gregorio M. & Ambrosio.

109 Inter Ecclesiæ Sanctæ Sacros Doctores, nullus sicut Magnus Gregorius animę inter nos motus, & affectiones, quantumvis abditas exponit. Sed quid

quid non intelligeret,& in lucem proferret, qui Spiritum Sanctum, ut Magistrum habebat? Multus est in docendo, quanta cæcitate intra tenebras hujus mortalitatis procedit homo in suis operationibus. Aliqua hic apponam. Homi. 4. in Ezechiel. paulo ante finem ad illa verba: „ Et unumquodq; eorum corã facie sua ambulabat: „ Quisquis vero (inquit) vitæ suæ custodiã „ negligit, discutere, quæ ait, quæ loquitur, quæ cogitat, aut despicit, aut „ nescit, coram se iste non ambulat, quia „ qualis sit in suis moribus, vel in actibus „ ignorat. Nec semetipsi præsens est, qui „ semetipsum quotidie exquirere, atque „ cognoscere solicitus non est. Ille autem „ veraciter se ante se ponit, sibique in „ præsentia est, qui se in suis actibus tamquàm alium attendit. Nam sunt multa „ peccata, quæ committimus, sed idcirco „ nobis gravia non videntur, quia privato nos amore diligentes, clausis nobis „ oculis in nostra deceptione blandimur. „ Unde fit plerumque, ut & nostra gravia „ leviter, & proximi mala levia graviter judicemus. Scriptum est enim (2. „ Thim. 3.) Erunt homines seipsos amantes. „ Et scimus, quia vehementer oculũ cordis claudit amor privatus. Hęc ibi. Nũquid illa nostra gravia erunt apud Deũ levia, quia sic existimamus; & cognoscimus? ergo etiam ex eodem principio, amore scilicet proprio, dabitur peccatum, licet non ita existimemus: juxta illud: sicut se habet magis ad magis, ita se habet simpliciter ad simpliciter, & è contra. Si ergo ob ignorantiam provenientem à negligentia, aut passione non excusatur à gravitate majori culpæ, ob eandem causam à culpa absolute non erit liber, licet id non advertat, nec judicet.

110 Idem S. Doctor lib. 5. mor. cap. 6. Ad illa verba, Job 3. „ Viro, cujus ab„ scondita est via, & circumdedit eum „ Deus tenebris. Est autem (inquit) & „ alia vitæ nostræ absconsio, quia non„ umquam eã ipsa, quæ recta nos agere „ credimus, an in districti judicis exami„ ne recta sint, ignoramus (quid hoc cum ultimo judicio practico evidenter recto „ probabilistarum?) Sæpe enim, sicut & „ nos superius diximus, opus nostrum „ causa damnationis est, & profectus putatur esse virtutis. Sæpe unde placari „ Judex creditur, inde ad irascendum „ placidis instigatur: Salomone testante, „ qui ait: (Prov. 14.) Est via, quæ videtur homini recta: novissima autem „ ejus ducunt ad mortem. Unde Sancti „ Viri, cum mala superant, sua etiam benè gesta formidant: Ne cum bona agere „ appetunt, de actionis imagine fallantur. „ Hactenus Greg. „ Ergo juxta ipsum sæpe peccari potest sine eo quod sic judicetur, & consequenter quin advertatur. Unde idem S. Doctor lib. 9. cap. 17. ait: explicans verba Job 9. „ Verebar omnia „ opera mea: ac si humili Confessione diceretur: Quæ aperte egerim, video, sed quid in his latenter pertulerim ignoro. „ Sæpe enim bona nostra, latrocinante „ fraude, pereunt. „

Et lib. 11. Mor. cap. 11. „ Quanta „ peregrinationis nostræ pœna nos percu„ lit, qui in eam cœcitatem venimus, ut „ nos ipsos ignoremus. Perpetramus ma„ la, nec tamen hæc cælerius depræhendi„ mus. Exclusa quippe mens à luce veri„ tatis, nihil in se nisi tenebras invenit. & „ plerumque in peccati foveam pedem „ porrigit, & nescit. Et lib. 1. Epistola„ rum cap. 34. post medium: ait: Sæpe „ namque vitia virtutes se esse mentiuntur, „ ut tenacia, parsimonia; effusio, largitas: Crudelitas zelus justitiæ, remissio pietas velit videri. Hæc D. Greg. ex quo infra alia adducemus. Quid ergo mirum, quod multoties fallamur, & cum nobis actum virtutis exercere videamur, actum vitii amplectemur.

111 D. Ambrosius in Epist. ad Rom. cap. 1. circa illa verba: „ Non intellexe„ runt, quoniam, qui hæc agunt, digni sunt „ morte, & non solum faciunt ea, sed etiam „ consentiunt facientibus: Ubi S. Doctor: „ Sunt quidam qui se reos non putant, si „ non operentur, quæ mala sunt, assentiant „ autem facientibus. Assentire autem est, „ si cum posset repræhendere taceat, aut „ audiens has fabulas aduletur.... Et isti „ ergo, ut qui fomitem præbeant delictis „ illorum, dignum est ut pari crimine rei habeantur. „ Ubi notandum, quod Doctor Sanctus illos delinquere asserit, licet

cet id non putent.

Præterea ex D. Ambr. in eand. Epist. ad Roman. adducitur Divus Thomas in 2. sent. dist. 22. q. 2. art. 2. in 1. argum. Hæc verba in 1. argumento: *Dicit gl. Ambros. Roman. 11. Gravissime peccas si ignoras: sed quod aggravat peccatum non excusat: ergo ignorantia non excusat peccatum*. Respondet Ang. Doctor: „ Ad primum dicendum, „ quod ignorans dicitur gravissime peccare, non propter quantitatem peccati; „ sed propter periculum, quia dum morbum non cognoscit, medicinam non „ quærit. Idem argumentum format Divus Bonaventur. ex eisdem Ambrosii verbis in d. distin. 22. q. 3. n. 34. & respondet: „ Ad illud Ambrosii, quod gravissimè peccat, qui ignorat: dicendum quod „ hoc dicitur non ratione majoris culpæ, „ sed ratione infirmitatis magis periculosæ: „ quia cum non habeat scientiam de morbo, sive culpa, non quærit medicinam, „ & ita semper remanet morbus, & corruptio; & hoc est, quod dicit Augustinus in libro Confessionum: eò insanabilius peccabam, quo me non peccare arbitrabar. Hactenus Doctor Seraph. Si autem daretur actualis cognitio, vel remorsus cum plena advertentia, qualem requirunt ejus defensores, jam haberet unde cognosceret morbum, & posset moveri ad quærendam medicinam, quod in peccato ignorantiæ negant hi Sanctissimi Ecclesiæ Doctores uniformiter consentientes.

§. VI.

Ex SS. PP. Bonaventura, Bernardo, Isidoro, & Anselmo.

112 EX Seraphico Doctore, qui pro parte adversa à nonnullis citatur, ut vidimus supra art. 4. præced. §. 1. jam ibi adduximus ejus verba, quæ potius illis contradicunt: deindè mox in fine §. præcedentis visum est, quod tradit ex auctoritate D. Ambrosii, & D. Augustini. Præterea in eod. loco ex 2. sent. dist. 22. q. 3. num. 39. inquit. „ Ad illud quod quæritur, quæ ignorantia excusat, & quantum: dicendum, quod est ignorantia facti, & ignorantia juris, Ignorantia facti potest esse dupliciter, aut adhibita debita diligentia, aut non; si adhibita „ diligentia excusat à toto: Si non adhibita, non excusat à toto, sed à tanto. Si „ autem sit ignorantia juris, hoc potest esse „ dupliciter, aut est vincibilis, aut non „ vincibilis; si vincibilis, tunc est ignorantia, quæ est culpa.

113 „ Si autem sit ignorantia invincibilis, hoc potest esse dupliciter. Aut „ ista ignorantia est in nobis introducta „ per culpam præambulam, aut præter omnem culpam. Si præter omnem culpam, aut simpliciter privat cognitione „ juris sicut in infantibus, & furiosis, qui „ omnino carent usu rationis; & hæc excusat à toto... Aut non tollit omnino usum rationis, sed semiplenum, & tunc „ non excusat à toto, sed à tanto, sicut est „ in his, qui non sunt plene furiosi, sed aliquo modo habent lucida intervalla, & „ in pueris, qui aliquando sunt capaces præcepti, licet non plene. Si autem „ ignorantia est introducta per culpam „ propriam, sicut est in ebrio, & furioso, „ quorum uterque se præcipitavit in hoc „ per culpam suam, sic non excusatur à toto, sed à tanto: quia sicut dicit Philosoph. 3. Ethic. c. 7. ebrius habet duplices maledictiones, maledictionem scilicet pro culpa præcedenti, & maledictionem pro culpa subsequenti. Quantum „ autem, & qualiter excuset subsequentem culpam, diversimode quidam determinant. Quidam enim dicunt, quod „ nec ebrius, neque furiosus, qui usu rationis caret, committere potest novam „ culpam, sed ex inordinatione sequenti „ agravatur culpa prima. Potest enim culpa agravari ex eventu sequenti. Aliis „ autem videtur, quod nec sic excuset, „ quin novam culpam committant, non „ tamen est adeo gravis, sicut si illam faceret ex certa scientia. Primus tamen „ modus dicendi, probabilior esse videtur.

114 „ Ex his patet quod Loth non „ omnino excusatur à culpa incestus, cum „ cognovit filias suas. Primum quidem, „ quia non fuit in eo plena ignorantia: licet enim dicatur in textu, quod non senserit, quando filiæ accubuerunt; hoc dicitur, quia non discrevit. Secundo „ ve-

„ vero, quia in illam ignorantiam pervenit per ebrietatem, quam debuisset vitare. Et ideo Sancti dicunt eum fuisse culpabilem, licet ex alia parte dicant aliquatenus eum fuisse excusabilem. Hæc S. Bonav.

Ubi inter alia notandum, qualiter ignorantiam juris, ex una parte unam appellat invincibilem n. 39. & tamen si introducitur per culpam præambulam, docet solum excusare à toto in omnino carentibus usu rationis, non vero in aliis: quomodo si invincibilis est, non excusat à toto? Quia illam appellat invincibilem, ex eo quod ex suppositione culpæ, qua introducta est vinci nequit, licet simpliciter vincibilis est. Quod S. Doctor dicere non posset si haberetur, dum peccatur aliqua peccati cognitio. Deinde docet in ebriis dari culpam, seu illos tunc peccare saltem agravando culpam; & hinc sentit Loth non excusari in toto, dum cognovit filias, ob rationes quas assignat cum aliis SS. Patribus: & tamen Loth tunc non habuit actualem peccati advertentiam. Quomodo potest, vel somniari S. Doctorem stare pro contraria parte?

115 D. Bernardus in illa celebri Epistola 77., seu responsione ad Hugonem de S. Victore, qui inter alia ipsum D. Bernardū consuluit quid sentiendum de cujusdam eruditi viri sententia negante dari peccatum per ignorantiam, & errorem. „ Veritas proinde (ait Doctor Mellifluus) testimoniis paucis, & manifestis manifestum mendacium confutetur. Is forsitam, qui asserit non posse peccari per ignorantiam, numquam pro suis ignorantiis deprecatur, sed potius irrideat Prophetam deprecantem, & dicentem: (Ps. 24.) Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. Forsitan, & repræhendet Deum exigentem pro peccato ignorantiæ satisfactionem. Loquitur enim Levitico ad Moysen dicens: (c. 4.) Anima si peccaverit per ignorantiam, feceritque unum ex his, quæ lege prohibentur, & peccati rei intellexerit iniquitatem suam offeret &c. qui (sacerdos) orabit pro eo, quod nesciens fecerit, quia per errorem deliquit in Domino. Hæc ibi. Si nesciens peccabit, non se peccare remorsum; aut dubitationem habebat; præsertim plenam advertentiam; deinde appellat peccatum iniquitatem, & ignorantem deliquisse, quod de peccato materiali non potest accipi.

116 „ Prosequitur ibi Bernardus: Si peccatum ignorantiæ nullum est: non ergo peccavit Saulus, quod persequutus est Ecclesiam Dei, quoniam quidem ignorans hoc fecit manens in incredulitate. Bene itaque faciebat, quod erat blasphemus, & persecutor, & contumeliosus, quod erat spirans minarum, & cædit in discipulos Domini, in hoc quippe abundanter æmulator existens paternarum suarum traditionum. Non ergo debuit dicere: Misericordiam consequutus, sed mercedem recepi; quippe quem ignorantia à peccato reddebat immunē, insuper, & æmulatio remunerabilem judicabat.

„ Si, inquam, ignorantia numquàm peccatur, quid ergo causamur adversus occisores Apostolorum; quoniam quidem non solum malum esse nesciebant interficere illos, sed insuper id faciendo arbitrati sunt obsequium se præstare Deo. Salvator pro suis orabat Crucifixoribus, quippe nescientibus, ipso teste, quid facerent, & ita nequaquam peccantibus. Neque enim fas est aliquatenus suspicari mentitum fuisse Dominum Jesum apertè perhibentem eos ignorare, quid facerent: Et si forte de Apostolo dubitet quis, quod carnem suam æmulans, sicut homo mentiri potuerit, ubi ait (2. Cor. 2.) Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ Crucifixissent. Hactenus D. Bern. in cujus cœlesti doctrina considerandum, quomodo apud ipsum, & alios SS. PP. idem esse peccare per ignorantiam, ac peccare nesciendo peccari, imo judicando positivè bene operari, & obsequium Deo præstari. Ergo recurrere ad actualem cognitionem, alienum est à doctrina Sanctorum Patrum.

117. D. Isidorus lib. 2. sentent. cap. 17. *Nescire simpliciter ad ignorantiam pertinet, noluisse verò scire ad contumacem superbiam... Nemo igitur se de ignorantia excuset &c.* Et Synonimorum lib. 2. *Ignoran-*

rantia mater errorum est: ignorantia nutrix vitiorum. Peccatum magis per ignorantiam prævalet; ignorantia enim quid sit dignum. Culpa non sentit ignorantia, neque quando delinquit agnoscit, insipiens assiduè peccat, indoctus facilè decipitur, stultus in vitia cito dilabitur. Adeò concordant Sancti Doctores; in eo quod si reipsa detur absolutè ignorantia, tunc abest scientia, seu cognitio, & tamen à peccato non excusant.

S. Anselmus super cap. 1. Epist. ad Roman. ad illa verba: „ Propter quod „ tradidit illos &c. Quia per hanc cœcitatem usque ad immunditiam carnis, & „ contumelias ceciderunt; ipsa infidelitatis eorum cæcitas præcedenti intellectui, & peccatum est, & pæna peccati: prioris namque peccati merito subsequentium peccatorum fobea legitur, „ ut qui malum sciens perpetrat, deinceps justè in alijs nesciens cadat. Hoc „ quippe agitur, ut culpis culpæ feriantur, quatenus supplicia fiant peccantium ipsa incrementa vitiorum. Et infra. Et sicut è sua culpa hoc putaverunt, „ sic ex eadem culpa factum est, quod „ tradidit illos Deus in reprobum sensum, „ ut putarent omnia reprobanda, esse facienda, & cum tam turpia operarentur, „ nescirent se malum operari. Hæc ibi. „ & tandem concludit. Omnia hæc mala „ fecerunt in gentilibus, cum justitiam „ Dei cognovissent &c. & licet hanc cognovissent, non tamen intellexerunt, „ qui talia faciunt dignos esse perpetua „ morte; quoniam si intellexissent, timuissent. Amiserunt enim lumen intelligentiæ, ex quo deserverunt fontem Cœlestis „ sapientiæ; & ideò quamvis non intellexisent, non possunt excusari, quia præcedentibus culpis, meruerunt se excæcari. Hactenus hic illuminatissimus Doctor.

118. Quid clarius dici potest? Quid efficacius pro fulcienda veritate negantium necessitatem advertentiæ actualis, sed sufficere voluntarium in causa, ut Anselmus disertè probat? Sed notanda sunt verba quæ subdit: *Ubi cum magno timore notandum est, quia nonnulla, quæ putantur levia posuit* (Apostolus) *cum ista, pro quibus æterna mors acquiritur; sicut sunt susurrones, detractores, incompositi, vel contentiosi &c.* sed numquid hæc possunt pertinere ad Christianos? quanti non parum elongantur à Deo, nec ipsum sicut Deum glorificant, cum ipsum plusquam gentiles cognoscant? licet in vitia tam horrenda illi facile non cadant, possunt in alia; quę ducunt ad interitum, incidere, non arbitrando esse dignos æterna morte. Sed de hoc infra erit sermo.

§. VII.

Ex SS. DD. Chrisostomo, Basilio, & Gregorio Nazianzeno.

119. ASstipulantur etiam celebriores Doctores Græci, consentiuntque latinis.

Ex Divo Chrisostomo jam in hoc art. §. 2. adductum est quid sentit ex homil. 5. & 4. in cap. 1. ad Rom. Præterea homil. „ 6. in cap. 2. Math. ait: Nec de his tantum puniendi sumus, quæ scimus, verum etiam quæ nescimus. Nihil, inquit Apostolus, mihi conscius sum, sed „ non in hoc justificatus sum. Quin & pro „ ijs, quæ per ignorantiam, & scientiam admittimus. Testimonium illis „ perhibeo, quia æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam. Verum tamen hoc eis ad purgationem omnino non sufficit. Sed & Corinthijs scribens: Times, inquit, ne sicut serpens „ seduxit Evam astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate, quæ est in Christo Jesu. Pro „ tantis igitus peccatis pænas daturus securus tui sedes, miserabili risu, lugentisque facetijs te simul aliosque disperdens, & de sola deliciarum voluptate solicitus, quem tandem fructum capessam? Hæc ibi.

120. „ Et in Evangel. Joann. cap. 5. „ hom. 32. ad illa verba: *Nescitis Scripturas, neque virtutem Dei*. Sapienter „ primum arguit, quia non legebant. Secundum ignorantiam, quia non cognoscebant Deum, quia ex diligentia lectionum nascitur scientia Dei. Ignorantia autem negligentiæ filia est. Si enim „ nec omnes, qui legunt, cognoscunt „ Deum, quomodo cognoscet, qui non „ legit? Qui enim legens de Deo vult in-

" venire Deum, festinet vivere de Deo " dignè, & ipsa conversatio bona sit, " quasi lampadis lumen ante oculos cordis " ejus viã aperiens veritatis.&c. Hactenus Os aureum. Itaque non cognoscere, provenit ex ignorantia quæ est negligentiæ filia, ad hanc igitur recurrit Christus Dominus, ut Judæos repræhensione dignos esse manifestet, eo quod nesciebant scripturas, ob negligentiam: ideo non excusantur: quibus addit Chrisostomus, quodad sciendam veritatem, oportet Deo digne vivere: quare ex eo, quod quis non ita vivit, sequitur ignorare; & sic ignorare est voluntarium in non vivere Deo digne: nec ad cognitionem in specie, nec ingenere peccati, quod postea sequitur, recurrit.

121. Ex D. Basil. jam supra in hoc art. §.2. in fine adduximus ejus sententiam, quã etiam confirmat ex Luc. c. 12. in orat. 3. de peccato ante med. " Tales igitur quam " plurimas contra omnem inobedientiam " sententias inveteri testamento latas re" perimus, nec leviorem etiam jis ex novo " testamento, immo longè graviorem se" veritatem judicij disco. Undè illud: " Servus qui voluntatem hæri sui cogno" scit, nec ei satis facit multis flagris cæ" detur: atquè præterierit, fecerit autem " ea, quæ pœna digna sunt, levius sane " vapulavit. At prorsus Christus eum, " qui ex ignorantia peccat, non omnino " judicat liberum esse à pœna, sed gra" viorem multo comminationem extendit " in eum, qui cognoscendo. Hæc Basilius.

122. D. Gregor. Nazianzen. idipsum docet orat 1. " Etiamsi à veritate aber" rent, tamen quia ob religionis studium, " & quod zelum quidem habent, sed non " secundum scientiam, hoc patiuntur, " ex eorum fortasse numero erunt, qui " non graviter condemnabuntur, nec mul" tis vapulabunt.

Nec valet quod nonnulli expositores Neotherici dicunt: Verba Christi Domini circa servum non cognoscentem, intelligi esse puniendum non ob culpam, quam esse ignorabat, sed pro alijs: nam præter quam quod sit violentia perspicuis Christi verbis; Sancti Patres, intelligentes simpliciter prædicta verba, expresse asserunt servum peccare contra Domini voluntatem, quam ignorat; ut mox ex D. Basilio & Gregor. Nazianzen. visum est, & ex D. Augustino, & eod. D. Basil. & Theodoreto etiam visum est sup. in hoc art. §. 2. in fine.

§. VIII.

Ex SS. PP. Antonino, Bernardino, & Laurentio Justiniano.

123 SUprà §. 1. hujus Articuli vidimus, qualiter allegabatur S. Antoninus pro prima sententia nobis contraria; nunc inspiciendum, quàm longè sit à tali sensu, ex quo potest agnosci, quomodo nonnulli Auctores ad corroborandas proprias sententias allegant pro se alios Auctores graves, etiam ex SS. Patribus: Eò quod in aliquo loco aliquid doceant habens quandam allusionem cum eo, quod allegans intendit, & tacent, vel fortè dissimulant doctrinam expressè sibi contrariam aliis locis, ubi materiam ex professò tractarunt. Hoc ita factum est circà D. Antoninum in præsenti disputatione, quam discutit par. 1. tit. 4. cap. 14. §. 3. In his (inquit) quæ sunt de genere malorum po" test esse duplex ignorantia, scilicet ju" ris, & facti: & si adest ignorantia juris, " vel divini, vel naturalis, vel eorum, " quę scire tenetur secundùm statum suum; " opus malum factum ex tali ignorantia, " non excusat à toto, etsi à tanto. Et in " his verificatur illud Apostoli 1. Cor. 14. " Si quis ignorat, ignorabitur. Et de hoc " 1. qu. 4. §. ult. Exempla sume in Paulo, " qui persequebatur Ecclesiam Dei, arbi" trans exindè obsequium se prętare Deo. " Sed, ut ipse dicit, ignorans fecit; nec " propter hoc se excusat, sed accusat de " peccato 1. Thimot. 1. Similiter & filiæ " Loth cùm inebriaverunt patrem, ut ex " eo conciperent; quamvis putaverunt " sibi licere, credentes totum Mundum " summersum, sicut & Sodomam, non excu" santur à peccato incęstus propter igno" rantiam illam, sed fuit ignorantia juris " naturalis 15. qu. 5. inebriaverunt.

" 124 Quantùm ad ignorantiam facti no" tanda est distinctio Decretistar. quæ po" nitur dist. 50. c. de his 1. & extrà de homi-

micid. capit. sicut dignum. Videlicet, „ quod aut quis in facto, quod agit, dat „ operam rei illicitæ, aut licitæ: Et si dat „ operam rei illicitæ, puta, quia solacia- „ tur aliquo ludo periculoso, undè sequi- „ tur mors, vel mutilatio, quamvis illud „ malum non velit, undè sequutum est, ei „ imputatur, & quoad peccatum, & quo- „ ad irregularitatem, & quoad pœnam „ judicialem. Similiter si cœcus sagittam, „ vel lapidem jaceret, ei imputaretur. Si „ verò dat operam rei licitæ, tunc aut ad- „ hibuit debitam diligentiam, aut non: „ & si non adhibuit debitam diligentiam, „ non excusatur à peccato, licèt malum „ sequens sit contra ejus voluntatem, puta, „ si quis projiciat tegulas de tecto ad ipsũ „ reparandum, & non ponat aliquod si- „ gnum ante domum, nec dicit aliquid „ cum projicit, & sic cum una interficiat „ transeuntem per viam. Aut si quis pro- „ jiceret lapidem ad animalia bruta, & „ non respiciens transeuntem per viam à „ casu interficeret aliquem contra volun- „ tatem suam, ei imputaretur ad pecca- „ tum, & pœna judicialis; quia non adhi- „ buit diligentem sollicitudinem ad opus „ illud jactationis. Hæc S.Antonin., qui manifestè docet, hominem peccare, quandòque etiam quod facit putat sibi licere, & licèt sit contra eius voluntatem, quod stare non potest cum actuali advertentia. Item docet imputari ad peccatum, quòd nequit dici solum esse materiale. Item docet esse voluntarium in negligentia, ad quam recurrit: ergò manifestè contradicit Auctoribus nobis adversis.

125 S.Bernardinus t.2. fer.4. post Dominic.2. Quadrag. art. 2. cap. 2. inquirit: De ignorantia invincibili, quandò excusat, & quandò non? Ubi videtur implicantia, dubitare de ignorantia invincibili an excuset; quia si invincibilis, certò excusat. Sed jam suprà nu. 114. dictum est ignorantiam dici dupliciter invincibilem: Primò absolutè, & simpliciter, & hæc excusat: Secundò ex suppositione, eò quòd admisso errore, vel aliqua causa, vinci nequit. Quo supposito respondit S.Bernardinus, ibi: Secunda „ ignorantia invincibilis dicitur; & est „ duplex: Prima, quæ introducta est prę- „ ter culpam: Secunda; quæ introducta „ est per culpam. Prima autem, quæ in- „ troducta est præter culpam, ut patet in „ pueris, in quibus simpliciter privat co- „ gnitionem juris: Similiter & furiosis, „ qui omninò carent rationis usu: & in „ decrepito, qui non discernit: & in eo, „ qui nascitur amens. Et hæc ignorantia „ secundùm Bonav. in 2. excusat à toto, „ quia caret rationis usu.

„ Secundò autem, si talis ignorantia „ introducta est per præambulam culpam; „ sicut in ebrioso, qui se pręcipitavit per „ culpam suam, & sic non à toto, sed à „ tanto excusat, undè minùs peccat, quàm „ si non fuisset ebrius, 5.dist. Sępè. Quidam tamen dicunt, quòd excusat à toto (in hoc innuit Sanctus, tunc jam controversum esse hoc punctum: Sed ipse cum D.Bonaventura docet cõtrarium illis, quorum memorat, & ita prosequitur). Talibus si sanantur, pœnitentia imponenda „ est eis secundùm Canones, quia novam „ culpam tunc ebrius committit: sicut „ accidit Genes.31. in Loth, quem dicunt „ Sancti fuisse culpabilem, licèt excusent „ eum in parte, & à tanto. Hoc nota se- „ cundùm Bonav. & Alex. de Ales. in 2. „ ad hoc facit, quod dicitur 15. qu. 1. Si „ quis insaniens; ubi dicitur: Si quis insa- „ niens aliquem occiderit, si ad sanam „ mentem pervenerit, levior ei pœniten- „ tia imponenda est. Secundùm Gloss. istis „ imponitur pœnitentia, & tamen non de- „ liquerunt; sed hoc fit ad cauthelam. Hęc ibi D.Bernardin.

126 Et fer.4. post Domin. Palm. art.1. „ cap.1. inquit. Magni enim periculi sta- „ tus ignorantiæ. Et ut quidam de SS.Pa- „ tribus ait: Nullum majorem amicum „ Diabolus habet in præsenti sæculo ne- „ quam, quàm ignorantiam. Hoc enim „ sigillo clauduntur, & decipiuntur infi- „ delium mentes Saracenorum, Turcarum, „ Judæorum, & innumerabilis multitudo „ Christianorum. Proindè Richardus in „ quodam sermone ait: Portæ Inferi duæ „ sunt, una est ignorantia boni, alia est „ concupiscentia mali. Et iterum 38.dist. „ scriptum est: Ignorantia mater est cun- „ ctorũ errorum. Undè Isidorus ait: Igno- „ rantia mater est vitiorum, & nutrix est: „ ignorans quotidiè peccat, & ignorat.

„ Undè Gregorius in moral. ait: Qui candorem lucis ignorat, etiam obſcura pro „ lucidis approbat. Undè Auguſtin. ſuper „ Pſalm. Nemo eſt inſanabilior eo, qui „ ſibi ſanus videtur (& infrà) excœcat „ conſcientiam amor temporalis ſubſtan- „ tiæ. Quot etiam hodiè conficiunt uſu- „ rarios contractus, vendunt tempus, &c. „ Similia operantur, ut illis videtur, cum „ conſcientia bona. Hæc ille: Nec egent ulla ponderatione ejus verba, ut apparet, quam longè adeſt à requirentibus advertentiam actualem, etiam plenam, cùm graviter actu peccatur.

127 Ubi autem ſit voluntaria ignorantia, ſeù neſcientia peccati, dum fit, tradit loco cit. Ex to.2. ſer.2. fer.4. poſt Dom.2. Quadrag. art. 2. c.5. ibi: Secundum Tho- „ mam 1.2. q. 76. Omnes communiter te- „ nentur ſcire ea, quæ ſunt fidei, & uni- „ verſa juris præcepta: Singuli autem ea, „ quæ ad ſtatum, & officium eorum ſpe- „ ctant. Nam quicumque negligit, vel „ facere ea, vel quæ tenetur. peccat pec- „ cato ommiſſionis; undè propter negli- „ gentiam, ignorantia eorum, quæ quis „ ſcire tenetur, eſt peccatum. Hæc ille (ſcilicet D. Th.) Hactenùs S. Bernardinus. Quæ omninò doctrinæ D.Thomæ, & D.Bonaventuræ conformatur recurrendo ad negligentiam ſciendi, quod unuſquiſque tenetur, in quo ignorantia, & ommiſſio adimpletionis, quæ poſteà ſequitur, eſt voluntaria.

228 S.Laurentius Juſtinianus de Caſto Connubio Verbi, & Animæ cap. 17. Quis „ verò, ait, diligens inquiſitor de intel- „ ligentiæ valebit evacuare fonte inunda- „ tionem ignorantiæ, quam habet in ſe bo- „ ni, & mali, veri, & falſi commodi, & in- „ cõmodi? Nullus ad hanc attigiſſe pleni- „ tudinem ſapientiæ poteſt gloriari. Abyſ- „ ſus hic neſcientiæ abyſſum ſummæ exigit „ ſapientiæ ad bonum diſcernendum, & „ malum. Quis autem tantæ perfectionis „ eſt, ut in cunctis virtutum actibus ſciat, „ quid deſtrum, quidve ſiniſtrum? Dicat „ de hoc Propheta, & veram ſententiam „ proferat: Omnes declinaverunt,ſimul in- „ utiles facti ſunt; non eſt qui faciat bo- „ num, non eſt uſque ad unum. Pſal. 23. „ Virtutis namque defectio ignorantiæ er- „ rorem detegit, & malitiæ abundantiam: „ Utræque Deo damnabiles, utræque Deo „ odibiles. Hæc de virtutis bono, de ma- „ lo autem quid? Malum ſemper in ſe pec- „ catum eſt; nam peccatum eſt Divinæ Le- „ gis prævaricatio. Nullus autem inveni- „ tur, qui hac careat ignorantia. Hinc eſt, „ quòd Propheta ait: Delicta quis intelli- „ git? Ab occultis mumda me Domine, „ Pſ.18.

„ O' quàm ſæpè virtus putatur vi- „ tium, & vitium virtus: nam ira, zelus; „ præſumptio,auctoritas; libidinoſa volu- „ ptas, fraternus amor; gula, diſcretio; re- „ miſſio, humilitas; accidia, compunctio; „ rancor, juſtitia; avaritia, prudentia; in- „ ſenſibilitas, fortitudo; rectitudo, crude- „ litas; malitia, ſapientia; manſuetudo, „ timiditas; audacia, libertas; prodiga- „ litas, liberalitas; ineptia, lætitia, jucun- „ ditas; vanitas, charitas; puſillanimitas „ mititas nuncupatur. Sunt millia hujuſ- „ modi, quorum humanum genus plenum „ eſt ignorantia: Non autem hoc magnum „ eſſet, ſi in ſolis talis ignorantia domina- „ retur peccatoribus (& infrà). Aliam „ quoquè habent non minus noxiam veri, „ & falſi ignorantiam, ii etiam, qui dicun- „ tur juſti. Quo autem ſermone enodare „ valet quantùm deficiant in hoc? O quo- „ ties velut cæci ſpiritum ſequuntur erro- „ ris, fallaciis irretiuntur Diaboli, ipſum „ lucis Angelum arbitrantes, & ſuas per- „ ficientes voluptates præcipitantur in fo- „ veas, neſciunt diſcernere, nec quidquam „ rectè judicare; deſideriis virtutum ſine „ ulla ſe accomodant diſciplinæ regula, „ omnique ſpiritui credunt, &c. Hæc Sanctus Laurentius Juſtin. Quis dicet, eos, qui ſic cœcantur, dum talia agunt, exiſtimare, & advertere ſe peccare? Et ſimiliter, qui arbitratur vitium eſſe virtutem, ut puta rancorem, zelum; cognoſcere malitiam iræ, aut rancoris? Propterea recurrit Sanctus ad illud: *Delicta quis intelligit?* &c.

§.IX. *Ex*

§. IX.

Ex Seraphica Magistra Theresia M. N. & B. P. N. Ioanne à Cruce.

129 QUæ alia est scientia, & doctrina moralis sana, & recta, nisi scientia Sanctorum? *Et dedit illi scientiam Sanctorum*, ait sapiens loquens de justo. Sap. 10. Hanc utilissimam scientiam nedum viris, sed etiam fœminis Spiritus Sanctus large communicavit. Inter quas mirifice splenduit cœlestis Magistra Sanctissima Theresia cujus doctrinæ pabulo, ut nutriamur, deprecatur Ecclesia. Multis in locis tangit, & versat punctum de quo agimus.

Cap. 5. vitæ, quam ipsa scripsit loquens de Confessariis, refert quod ipsi in illorum directione contigit. *Ad litteras* (ait) *semper affectum habui: quamvis animæ meæ magnum attulerint detrimentum Confessarii Semidocti. Experientia didici, eos, dummodo virtutibus, & morum rectidune præditi sint, melius esse nullas, quam exiguas habere: quia sic nec illi sibi fidunt absque eo, quod à sapientioribus inquirant, nec ipsis ego fiderem. Perfectè autem doctus numquam decepit me. Alii vero me non intenderent decipere, sed eò, quod plus non scirent. Ego autem illos rectè scire existimabam: nec me ad plus, quam ad credendum ipsis arbitrabar, maxime cum id, quod asserebant mihi, esset laxum, & majoris libertatis. Si etenim strictum esset, adeò miserabilis sum ego, ut quærerem alios. Quod erat veniale peccatum, nullum esse mihi dicebant, quod gravissimum mortale, esse veniale. Hoc tantum detrimentum attulit mihi, quod multum non est, ut hic enarrem, ut aliis sit admonitio ad tam grande malum præcavendum. Credo ita propter peccata mea Deum permisisse, ut ipsi deciperentur, & me quoque deciperent. Ego etiam alias decepi eis dicens id, quod mihi dictum fuerat. In hac cæcitate me permansisse credo plusquam per decem annos, donec quidam Pater Ordinis S. Dominici ab errore me liberavit, & Patres Societatis &c. Hæc Magistra Cœlestis.*

130 Plura, & valde utilia possent notari in his, quæ tradit Sapientissima Virgo. 1. Quantum dolet cæcitatem illam, & ignorantiā à Confessariis semidoctis inductam, quos scientes, & peritos existimabat, & tamen asserit non excusari. Ubi erat ibi malitiæ cognitio, aliàs, nec ipsa faceret, & multo minus aliis Sororibus non id securum diceret? Et ideo pro omnibus admonet, ut ab iis ignorantiis cæteri diligenter caveant. Non ergo per falli, vel non falli, aut per ignorare Theresia cœlitus edocta determinavit, & inde quam longe abest ab astruendo meritum, aut benè operari dum fit malum existimatum bonum. 2. Nobis proponit, quod in semidoctis Confessoribus regulariter contingit. Et quinam isti semidocti sunt, nisi qui moralem scientiam re vera nesciunt, vel fere nihil norunt, nisi sequi reflexè opiniones aliorum: invento itaque, *est probabile*, nihil ultra quærunt? Sanctorum libros, seu eorum doctrinam nec à longe inspexerunt, nec odorarunt. Sciunt illud principium: *Probabile est, jam tutum est*. In libro reperio hoc dici *probabile*, nihil superest ad resolvendum. Immo licet sic non inveniant, sed suo discursui ita fidunt, ut nec interrogant, sed plenissima quodam auctoritate casus suos, & aliorum resolvunt. Hanc Semidoctorum auctoritatem plurimum auxit via probabilismi recentiorum; & etiam auxit, & auget doctrina, quam nunc impugnamus, quatenus persuadet, & per quam creditur, quod qui actu non advertit se peccare, non peccat, nec eum, qui sequitur consultores aliquos, aut Confessores, etiam si isti errent, peccare posse.

131 3. Docet S. Theresia qualiter, & quomodo hi semidocti, quando falluntur, & fallunt, declinare solent; nimirum ad lata, & liberiora; ita, ut doceant ea, quæ sunt venialia, non esse peccata; & mortalia esse venialia. Unde cum misera conditio humana ad placentia, & liberiora inclinetur, eaque appetat, ideo hujusmodi semidocti magnum sequitum habent omnis conditionis pœnitentium.

Ulterius in lib. Mansionum, Mans. 7. cap. 4. loquens de illis animabus, quæ ad ultimum perfectionis gradum ascenderunt, inquit: *Nec arbitremini hujusmodi animas, eò, quòd habeant tam magna desideria,*

deriæ, & determinatione nunquam aliquam imperfectionem ob mundum totum committendi, propterea plures non admittant, & peccata, non quidem advertenter, & scienter; nam talis conditionis animabus Deus specialissima ad hoc præbet auxilia. Peccata; inquam, venialia; nam de mortalibus, quæ ipsæ intelligant, liberæ sunt; tamen securæ non sunt; nam aliqua habebunt, quod quidem ipsis non exigui erit cruciatus. Hæc ibi.

Circa quam mirabilem pariterque utilissimam doctrinam, notulam (quæ ibi habetur in margine) adhibuit doctiss. Mag. Ludovicus legionensis. *In his verbis* (ait) *S. Mater perspicuam veritatem, & candorem doctrinæ suæ ostendit, circa certitudinem gratiæ: Cum de animabus adeò perfectis, & specialibus favoribus à Deo honoratis; & quæ ejus præsentia tam perspicuo modo fruuntur, quales sunt, quæ in hoc gradu elevato, & mansione persistunt, docet tutas non esse, ita quod non habeant aliqua peccata mortalia, quæ non cognoscant, & quantum ipsas timor hujus excruciat.* Hæc perdoctus Mag.

Deinde constat, ex eadem doctrina Sanctiss. Matris; qualiter negat actualem advertentiam circa peccata venialia necessariam; immo admittit posse dari mortalia in animabus adeo elevatis, absque eo quod actu illa cognoscant. Quid dicemus miseri peccatores tot tenebris involuti? Securi ne erimus non habere ommissiones, necullum peccatum grave committere, nisi cum actuali plena advertentia?

132 Demum idem docet tom. 1. Epistolarum Epist. 62. ad Matrem Mariam à S. Joseph in qua ipsi, & aliis monialibus monitum præbet, ut caute vivant, ne decipiantur, & errent, sic ait: *Magno timore affecta sum, eò, quod bonis intentionibus diabolus nos apprehendit: Et sic necesse est semper cum timore ambulare, & Deo adhærentes, & parum fidentes intellectibus nostris; quoniam si hoc desit, quantumvis boni sint, nos Deus derelinquet, ut erremus in eo, in quo magis arbitramur nos rectè sapere, & procedere.* Hæc ibi. Ad quid tanta cura in hac prudentissima Virgine? Quid interest errare, & ignorare, si errando, dicendo malum bonum, anima honestè, & meritoriè operatur, ut non pauci sentiunt, & docent? At Sanctorum doctrinã amplectamus; quos Dominum duxisse per vias rectas, certi sumus, & sic ostendit illis regnum Dei.

133 Mysticus Doctor P. N. Beatus Joannes à Cruce, quam multus sit in præveniendis animabus, in via perfectionis ambulantibus ne decipiantur, & ne quod malum ut bonum amplectantur, facile scire potest, qui ejus libros evolvit: plures paginas de hac materia ex ejus doctrina possemus implere: pauca referre contenti erimus. Itaque lib. 2. ascensus Montis Carmeli cap. 21. paulo ante finem docens quam caute anima se debeat gerere circa revelationes, docet; *Magnum in hac re latere præsumptionem, curiositatem superbiæ radicem, & fundamentum vanæ gloriæ, divinarum rerum contemptum, qui tantopere Deum ad iracundiam provocarunt, ut consultò Deus illos permisserit ab errare, decipi, ac spiritum eorum tenebrari, & à rectè vita ordinata reflectere, locum illorum phantasiis, & vanitatibus præbendo: Sicuti ait Isaia* (c. 19.) *Dominus miscuit in medio ejus Spiritum vertiginis: quod clare loquendo nihil aliud significat, quam Spiritum contrario modo res intelligendi. Quæ verba ad nostrum propositum loquitur Isaias. Loquitur etenim de illis, qui res futuras supernaturali via investigare satagebant ..... Ob eamque rem indignatus Deus permisit illos aberrare, non communicando illis lumen suum ad ea pernoscenda, quæ ipsos indagare nolebat: Unde etiam dicit Isaias; miscuisse ipsum Deum spiritum illum permissive. Atque hoc pacto Deus est in causa illius damni, causa videlicet privativa, quæ in auferenda luce, ac favore consistit, ex qua re infallibiliter sequitur deceptio.*

Et hoc modo præbet Deus facultatem dæmoni, ut excæcet, ac decipiat multos, eorum hoc peccatis, & præsumptione promerentibus. Quapropter hoc potest efficere dæmon, & reipsa efficit, dum hujusmodi animæ fidem illi accommodant, & spiritum bonum arbitrantur. Soletque interdum eò usque devenire, ut licet jam manifeste illis pateat, sintque omnino persuasi spiritum illum minime bonum esse, nulla ratione possint ab hac deceptione emergere &c. Quod in hac doctrina nobis manifestat Doctor Mysticus non

non raro contingit: nimirum animas incautas à dæmone decipi se transfigurando in Angelum lucis; ita ut ipsimet errores contra fidem, existiment esse veritates, spiritumquæ suum perversum judicant esse non solum bonum, sed valde perfectum: ita ut in hac credulitate errantes pertinaces sint. Quod in illuminatis Hæreticis, & aliis contingit, & utinam similes deceptiones inter Catholicos non haberent locum. Et quis dicet in his non peccari, licet existimet se præstare obsequium Deo?

134 Præterea lib. 2. noctis obscuræ agens de imperfectionibus quas in via perfectionis proficientes incurrunt, inter plura, inquit: *Hoc enim loco facit hujusmodi homines dæmon multas visiones vanas, prophetiasque falsas credere, facitque eos præsumere, & arbitrari Deum sanctosque secum colloquia miscere, crebrò propriæ phantasiæ fidem adhibent .... adeòque multiplicibus falsitatibus solent nonnulli istorum irretiri, & tantopere in illis indurari, & veterascere, ut eorum ad purum virtus iter virumque spiritum regressus sit vehementer dubius, & incertus. In quas calamitates, miseriasque prolabuntur; quia cum in via spirituali, progressum facere inciperent, nimia cum securitate, apprehensionibus sentimentisque spiritualibus inhiarunt, & adhæserunt.* Hæc B. Pater. Certum est in horum hominum statu, & modo operandi dari peccata plura, & periculiosiora, quam juramenta falsa, & adulteria, eo quod ab ipsis non existimantur peccata, sed potius actus virtutum. Et quia sibi securi sunt, remedium non quærunt. In quo nobis innotescit quanta sit humanæ naturæ miseria, & cæcitas, ut adhuc in ipsa perfectionis via, homo cadat cæcus in foveam.

§. X.

Ex D. Thoma manifestè probatur assumptum.

135 Consulto distulimus ultimum pro parte nostra referre Doctorem Angelicum, tanquam coronidem, & summarium aliorum SS. Doctorum. Plurimis in locis attingit, & discutit hanc, quam versamur, controversiam, circa quam semper est fixus in asserendo dari conscientiam, & ignorantiam vincibilem, & consequenter peccari absque actuali cognitione malitiæ, dum actu delinquitur. Ita quodlib. 8. art. 13. *Duobus modis aliquis ad peccatum obligatur. Uno modo faciendo contra legem, ut cum aliquis fornicatur. Alio modo faciendo contra conscientiam, & si non sit contra legem, ut si conscientia dictat alicui, quod levare festucam de terra sit peccatum mortale.* (Et concludit) *Illud autem quod agitur contra legem, semper est malum; nec excusatur per hoc, quod est secundum conscientiam.* Hæc ibi. Ergo est evidens secundum hanc doctrinam, peccari sine actuali aliqua cognitione: Etenim si suspicaretur quis, aut dubitaret, vel haberet remorsum, non esset secundum conscientiam, sed contra conscientiam latrantem, aut remordentem, vel dubitantem.

136 Et 22. q. 79. art. 3. ad 3. ibi: *Præcepta affirmativa non obligant ad semper, sed ad tempus determinatum: & pro illo tempore peccatum omissionis incipit esse. Potest tamen contingere quod tunc aliquis sit impotens ad faciendum, quod debet. Quod quidem si sit præter ejus culpam, non omittit quod debet, ut dictum est* (12. q. 71. art. 5.) *Si vero sit propter ejus culpam præcedentem, puta cum aliquis de sero se inebriavit, & non potest surgere ad matutinum, ut debet; dicunt quidam, quod tunc incipit peccatum omissionis, quando aliquis se applicat ad actũ illicitum, & incompossibilem cum illo actu, ad quem tenetur. Sed hoc non videtur verum; quia dato, quod excitaretur per violentiam, & iret ad matutinum non omitteret. Unde patet, quod præcedens inebriatio non fuit omissio, sed omissionis causa. Unde dicendum est, quod omissio incipit ei imputari ad culpam, quando fuit tempus operandi; tamen propter causam præcedentem, ex qua omissio sequens fuit voluntaria.* Hæc ibi. Ubi clare asserit esse impossibile vitare omissionem, & tamen imputari ad culpam, quod est formaliter peccare, quia sufficit esse voluntariam in causa. Idem docet S. Doctor loquens etiam de peccatis sequentibus ad ebrietatem: *quod tunc peccatum sequens reditur voluntarium ex voluntate præcedentis actus, in quantum scilicet*

dans

dans operam rei illicitæ incidit insequens peccatum.

137 Et 12. q. 76. art. 3. Ubi sic contra se arguit: *Homo est subjectum virtutis in quantum est particeps rationis; sed ignorantia excludit scientiam per quam ratio perficitur: ergo ignorantia totaliter excusat à peccato. Hoc est argumentum principale adversariorum*, & tamen D. Th. ait ad 3. dicendum, *quod si esset talis ignorantia, quæ totaliter usum rationis excluderet, omnino à peccato excusaret: sicut patet in furiosis, & amentibus. Non autem semper ignorantia causans peccatum est talis: & ideo non semper totaliter excusat à peccato.* Id ipsum dicit late 1. 2. qu. 77. art: 7. quem infra hoc §. ponderabimus, & etiam art. 6. & 8. hujus quæstionis &c.

Præterea 1. 2. qu. 6. art. 3. ad 3. ubi ait: *Eo modo requiritur ad voluntarium actus cognitionis, sicut, & actus voluntatis; ut scilicet, sit in potestate alicujus considerare, & velle, & agere; & tunc sicut non velle, & non agere, cum tempus fuerit est voluntarium, ita etiam non considerare.* Et 2. 2. q. 54. art. 4. *Defectus recti judicii ad vitium inconsiderationis pertinet; prout scilicet aliquis in rectè judicando deficit ex hoc, quod contemnit, & negligit attendere ea, ex quibus rectum judicium procedit. Unde manifestum est quod inconsideratio est peccatum.* Hæc ibi. Ex quo manifestè sequitur quod non attendere, non considerare, non advertere est peccatum: & sic sinè advertentia peccatur; alias jam advertet, & consideraret, quod est implicatorium. V.g. Dum quis orat, dum celebrat negligit regulariter non attendere, nec considerare, ex quo fit quod multoties tunc non attendit; nec considerat; tunc docet rectè S. Doctor; est voluntaria non attentio, seu inconsideratio, & consequenter peccatum.

138 Denique idem Doct. Ang. docet absque conscientiæ aliquo remorsu peccari; nam in 2. sent. d. 39. artic. 1. ad 3. asignans rationem, quare in occisione justorum arbitrabantur persecutores fidei obsequium se præstare Deo juxta Joann. c. 16. ait: *Quia privato lumine fidei excæcati sunt, non remurmurat eorum synderesis, quæ contra fidem sunt. Vel dicendum; quod synderesis semper remurmuret malo in universali: sed quod in hæretico non remurmuret huic malo in particulari, contingit propter errorem rationis in applicatione universalis principii ad particulare opus.* Hæc ibi. Unde constat nullam cognitionem malitiæ in illis ad fuisse, alias ipsa conscientia actu illam dictaret, quod est remurmurare. Idem docet in 2. d. 22. art. 1. ad 4. & d. 36. q. 1. art. 3. ad 4. & 22. q. 150. art. 4. & de malo q. 2. art. 1. ad 11. & q. 3. art. 7. ad 12. & art. 10. in corp. De verit. qu. 28. art. 3. ad 7. & aliis in locis, quorum aliqua dabimus infra. Et jam supra in hoc art. §. visa est plane mens S. Doctoris in illa mirabili explicatione c. 1. Epist. ad Rom.

139 Sed quamvis ejus mens adeo patens sit tot in locis, tamen illum adducit Vazquez pro se in 1. 2. disp. 107. cap. 3. eo quod S. Doctor 1. 2. q. 88. art. 5. ad 2. ait: *Morosam delectationem esse mortale peccatum propter approbationem rationis.* Et de Verit. qu. 15. art. 4. ad 10. ubi docet: *Quod antequam ratio delectationem perpendat, vel nocumentum ipsius, non habet interpratativum consensum etiam si non resistat, sed quando jam perpendit delectationē insurgere, & de nocumento consequente, utpote cum percipit homo per hujusmodi delectationem in peccatum inclinari &c.* in quo consentiunt D. Bonavent. in 2. sent. dist. 24. qu. 2. circa secundum principale à nu. 72. Ubi Alb. Magn. & Summistæ V. delectatio Morosa, seu V. cogitatio. Docentes in hoc distingui dilectationem morosam à non morosa, quatenus illa habetur cum advertentia, & sic est peccatum grave, non ita quæ morosa non est, inqua licet quis immoretur non est mortale cum habeatur absque reflexione, & advertentia turpitudinis.

140 Cæterum cum Divus Thomas, & mox citati, expresse agunt in aliis locis de voluntario requisito ad peccatum, & expresè asserant sufficere voluntarium in directum, virtuale, vel in causa, non est verisimile illos mutasse sententiam, dum agunt de delectatione morosa. Qualiter autem se habeat voluntas, & intellectus dum quis peccat, hoc exigebat longam disputationem. De quo D. Thom. 1. 2. qu. 74. art. 6. & 7. Ubi Salmant. N. in utriusque articuli commentario. Pro nunc suppono primo ex D. Thom. ibi: quod in delectatio-

tione morosa concurrunt hæc: cogitatio, vel apræhensio objecti delectabilis, delectatio, & delectatio morosa; & consensus appetitus sensitivi, qui absolutè vocatur actus, & tandem approbatio, vel reprobatio partis seu rationis superioris.

Deinde est supponendum, in ordine ad delectationem morosam, dum est peccatum mortale, concurrere, & judicium rationis inferioris, & judicium rationis superioris. Ratio inferior dicitur, dum intellectus practicus procedit, vel fit per rationes temporales, ut per utilitates, per virtutes acquisitas, aut per vitia illis opposita; judicium vero rationis superioris fit per rationes æternas, ut per Legem Divinam &c. de quo D. Th. qu. 15. de veritat. art. 2. Et quia in omni judicio ultima sententia pertinet ad supremum tribunal, vel judicatorium, inde est, quod sententia finalis, per quam determinatur judicium circa peccatum, pertinet ad rationem superiorem, quæ regulat per rationes æternas, seu legem æternam. Ut d. artic. 7. docet S. Doctor.

141 His suppositis Resp. quod dum peccat graviter homo in delectatione morosa, primo occurrit illi apræhensio objecti delectabilis, ex qua naturaliter oritur delectatio, & in hoc non adest peccatum saltem mortale. Deinde post apræhensionem accedit cognitio, & judicium intellectus secundum rationes temporales, seu rationis inferioris, & non resistit, nec cohibet; adhuc non peccatur, si nondum est delatum ad judicium rationis superioris. Sed quando hæc ratio percipit delectationem insurgere, & inclinare ad peccatum, si resistit, non datur peccatum, si vero non resistit, nec cohibet, licet positivè non amplectatur malum, peccat, quia tenetur ut superior cohibere motum inferioris illicitum.

142 Cæterum licet regulariter ita contingat, ut dictum est: contingit tamen in quibusdam, quod adveniente tempore, quo debebant advertere, deliberare, & resistere actui delectationis inordinato, id non faciat quis; eò quod impeditur ratio superior per malum habitum se morose delectandi, aut per habitualem concupiscentiam, aut per negligentiam, & tùnc licèt non advertat, peccat mortaliter ratione voluntarii indirecti, seu interpretativi, & in causa; quia absolutè poterat, & tenebatur attendere, deliberare, & resistere: Ut infra magis declarabitur. Hoc ipsum docet D. Th. d. q. 74. art. 7. ad 2. *Dicendum quod ex hoc ipso quod ratio non dirigit actus humanos secundum Legem Divinam, impediens actum peccati, dicitur ipsa consentire, sive cogitet de lege æterna, sive non. Cum enim cogitat de Lege Dei actu, eam contemnit, cum vero non cogitat, eam negligit per modum omissionis cujusdam*. Hæc ibi: itaq; in sententia S. Doctoris, & aliorum supra citatorum idem est posse, & tenere advertere, & cogitare, vel scire, ac ipsum actu scire in moralibus: & probat textus in cap. si culpa de injur. unde Suarez t. 1. in 1. 2. tr. 5. disp. 5. lect. 7. n. 17. expresse docet etiam in delectatione morosa defectum advertentiæ esse voluntarium in causa. Ex quib. constat D. Th. & alios, dum locis citatis docent requiri deliberationem, & advertentiam, non explicare an actu vel in causa, quia hoc ad alium locum pertinebat, ubi se explicant.

143 Quibus addendum, quod cum hæc delectatio adeo præse afferat annexam intrinsecè talem turpitudinem, quod vix hæc possit occurrere cuilibet, cùm sic delectatur, quin consideret quid faciat, & in quo immoratur; ideo auctores dum de hac delectatione loquuntur, modo relato, sic explicant advertentiam, quæ datur in tali delectione: nisi multum implicatus sit concupiscentiis; quia tunc ex culpa sua non advertit; sicut Mahumetani non advertunt; nec existimant adesse malitiam in simplici fornicatione.

Visis ergo, & pensatis tot Sacrorum Doctorum, & Sanctorum Patrum auctoritatibus circa statuendam conscientiam, & ignorantiam, per quam peccatur non cognoscendo tunc peccari, quid dicendum? Mirabitur fortè quis, quomodo Viri tàm Catholici, & timorati contrarium statuerint? sed forsitan ita judicarunt, vel judicant; eò quod non viderint ex professo doctrinam adductam ex Sacra Scriptura, & Sanctis Patribus. Et zelo non contristandi animas, & auferendi anxietates, & scrupulos, difficultatemque disponendi con-

scientias, illasque suaviter dirigendi, suo modo docendi adhæserunt. Quod quidem motivum est apud modernos probabilistas receptum. Sed an præfatus zelus sit secundum scientiam, Dominus judicabit. *Ego vero cum D. Bernardo dico: Ab his ergo duabus Columnis, Augustinum loquor, & Ambrosium, crede mihi difficile avellor. Cum his inquam me aut errare, aut sapere fateor*. Ita dicta Epistola 77. ad Hug. de S. victore. Quanto magis si his adiungantur cæteri supra laudati.

ARTICULUS VI.

Qualiter ratione probetur posse dari conscientiam erroneam vincibilem, & peccari sine actuali cognitione, dum peccatur.

S. I.

Probatur rationibus à priori.

144. SATIS superque præsens assumptum manebat probatum ex Sacræ Scripturæ locis, & Sanctorum auctoritate art. præced. nec alia probatione res indigebat, undè Sancti Patres, vel unice, vel principaliter ad sacram doctrinam recursum habuerunt, ut in locis adductis constat, pro hujus difficultatis resolutione. Et ideo Doctor Maximus, ut videre est artic. præced. S. 3. num. 99. respondit Pelagiano: *A me sententiæ, & dispositionis causas requiris? Respondet stultæ interrogationi tuæ liber sapientiæ. Altiora tene quæsieris &c.* & concludit. *Nec enim in lege ratio quæritur, sed auctoritas.* Nihilominus plures, & efficaces suppetunt rationes pro hac ipsa causa. Sed quia N. Salmanticenses latè nonnullas adducunt. tom. 4. disp. 5. dub. 6. ex illis unam, & alteram hic resumemus.

145. Probatur ergo primo. Nam ommissio voluntaria in causa in se ipsa formaliter opponitur præcepto affirmativo exercendi actum ommissum; ergo est formaliter in se peccatum, licet dum habetur malitia non cognoscatur. Consequens constat: nam peccatum formaliter non aliud est, quam actus vel ommissio contra præceptum. Antec. probatur. Quia præceptum de audiendo Sacrum, sicut in se præcipit auditionem, ita etiam prohibet ommissionem in se. Deinde, quia si dum deberes sacrum audire, implicatus ludo non audires, actus ludendi est peccatum, & consequenter tunc tibi prohibitus per præceptum audiendi sacrum: sed eatenus prohibetur tunc tibi ludere, quatenus in se prohibetur ommissio, & nisi hæc secundum se prohiberetur, ludus, tunc non esset prohibitus: ergo &c. etenim juxta illud: *Propter quod unumquodque tale, & illud magis*. Præterea præceptum audiendi sacrum die festivo eodem modo prohibet ommissionem, sivè hæc sit voluntaria in se, sive in causa, immo sive sit voluntaria, sive non; siquidem defectus voluntarij non aufert, vel mutat prohibitionem, sed ea invariata excusat à malitia transgressionis, vel ommissionis, si omninò est involuntarius defectus: sed quando in se est voluntaria ommissio est formaliter peccatum; ergo etiam dum est voluntaria in causa.

Confirm. 1. Quia si talis ommissio, quæ dum habetur, non cognoscitur, non esset peccatum, posset quis sic illam desiderare, & de illa habita gaudere: sed hoc nequit admitti: ergo quia est peccatum. Dices esse peccatum materiale. Sed contra. Per te est peccatum materiale: ergo causatur à voluntate, alias non esset necessarium excusare à culpa voluntatem: sed hoc ipso etiam est peccatum formaliter: siquidem procedit ex causa voluntaria, potestque tribui, & imputari voluntati, quod, & nihil aliud requiritur ad peccatum formale. Siquidem actus, qui est causa ommissionis, est peccatum & voluntarius: ergo etiam ipsa ommissio, cum id quod est causa causæ, etiam est causa causati.

146. Confirmatur 2. In peccatis commissionis. Si quis mittat venenum absenti ut illum occidat, vel dum se inebriat prævideat a se faciendum homicidium, non solum peccat quando apponit causam, sed etiam quando causatur homicidium: Et tamen tunc nullam jam habet cognitionem, immo nec libertatem; ergo absque cognitione malitiæ, dum peccatur commit-

mittitur homicidium. Major probatur. Nam in tali caſu remaneret quis irregularis, etſi occiſus eſſet Clericus, incurreret excommunicationem, ut eſt communis ſententia cum D. Th. 2. 2. quæſt. 68. art. 8. gloſſa in cap. mulieres de ſententia excommunicat. Palud. Sylveſt. & alij, & colligitur ex cap. ſæpe diſt. 50. cap. ſanè 15. quæſt. 1. cap. dilectus, cap. ſignificaſti de homicid. Excommunicatio autem non incurritur, niſi propter peccatum formale; & ideo ſi quis venenum miſit, & ante quam homicidium ſequeretur, pœniteret, non illã incurret. Quod autem in homicidio tali modo commiſſo in ebrietate eſt tunc peccatum, expreſſum eſt D. Thomæ 1. 2. qu. 76. art. 4. ad 2. & 4. Quæſt. 3. de malo artic. 8. ad. 3. & in 2. Sent. d. 22. quæſt. 2. art. 2. ad 2.

147. Secundò probatur etiam à priori. Nam quando quis poteſt, & debet advertere malitiam, & non advertit ex terminis non ignorat invincibiliter; Sed quando quis tenetur ad aliquid, vel faciendum, aut ommittendum ex jure naturali, vel ex officio, ſaltem regulariter poteſt, & tenetur illud ſcire. Ergo licet dum id facit, vel omittit, etiam ſi actu neſciat, aut non cogitet, non ignorat invincibiliter, ac projndè peccat. Cætera conſtant, & min. probatur. Quia juxta textum in cap. ſi culpa de iniurijs, & dam. dato: *ignorantia non te excuſat, ſi ſcire debuiſti*. & juxta leg. quod te mihi ff. de rebus cred. *paria ſunt ſcire, & debere ſcire*. Ergo poteſt, ſi tenetur ſcire. Dices; tunc dum nihil cogitat de malitia non debere ſcire, quia nullatenus illam cognoſcit, & ſic nec poteſt tunc deliberare, nec id tamquam malum morale vitare. Sed contra; nam ſupponimus tunc neſcire, vel ignorantiam eſſe voluntariam in cauſa: ergo ipſa impotentia indè ſuborta eſt voluntaria: voluntaria autem impotentia non obſtat voluntario, nam reputatur pro potentia: pro eodem enim habetur, *velle non poſſe, atque poſſe, & velle non facere*. Præterea prædicta impotentia eſt impotentia dumtaxat cõſequens, & ex ſuppoſitione: ergo nõ tollit potentiam antecedẽtem: rem autem eſſe abſolutè, & ſimpliciter eſſe poſſibilẽ attẽditur ex potentia antecedenti, nõ vero ex cõſequenti; & per illam eſt regulanda ratio voluntarij. Deindè ſupponimus privationem ſciendi malitiam oriri ex cauſa voluntaria, & illicita: ut ex negligentia culpabili, vel concupiſcentia &c. Undè ſcire dum actu occurrit obligatio, vel præceptum, abſolutè eſt poſſibile; licet de facto neſciat. Eſt doctrina expreſſa D. Th. qui eamdem obiectionem rejicit 1. 2. quæſt. 6. art. 7. ad. 3. „ Quandoque in his, quæ per concupiſcentiam aguntur, non totaliter tollitur cognitio, quia non tollitur poteſtas cognoſcendi: ſed ſolum conſideratio actualis in particulari agibili: Et tamen hoc ipſum eſt voluntarium ſecundum, quod voluntarium dicitur, quod eſt in poteſtate voluntatis, ut non agere, & non velle; ſimiliter autem, & non conſiderare. Poteſt enim voluntas paſſioni reſiſtere, ut infrà dicetur quæſt. 77. art. 6. & 7. Hæc D. Th.

148. Confirmatur. Nam plerumque contingit hominem advertere ſe peccare, dum incipit elicere actum malum, & proſequitur ceſſante malitiæ cognitione, ut experientia conſtat: & tamen non ob hoc ceſſat, ſeu deſinit peccare, licet actu malitiam non advertat, & ſolum eſt voluntarium tunc indirectum, & in cauſa, ergo actu peccatur ſine advertentia tunc actuali: idem ergo dicendum, dum incipit peccare, dum actu non cogitare eſt voluntarium indirectum, & in cauſa. Sufficit enim voluntarium, & libertas virtualis, & interpretativa. Explicatur exemplis: apponit quis cauſam pollutionis in vigilia, ſed dum actu habetur, non cogitat eſſe malam, imò non eſt in ſua poteſtate conſequenti illam non impedire. Quis dicet non peccare, dum ſe polluit? Idem ſi illam procuravit in vigilia, & ob hanc cauſam habita eſt in ſomno. Qui projicit ſagittam ad occidendum, vel mandat ſervo, ut occidat hominem, & oblitus eſt, vel dormit, dum homicidium à parte rei ponitur, nonne ei non imputatur homicidium? Quis dicet in his, & ſimilibus caſibus ſufficere in confeſſione dicere: ſolum poſuiſſe cauſam, & non teneri explicare effectum, qui formaliter eſt peccatum?

149. Sane ſi ſolum peccaretur, dum primo contrahitur ignorantia; peccator,

eò erit minus malus, & minus nocens, quo obcœcatior, & quo magis est negligens in cogitando de malitia. Posset etiam consuli peccatoribus, ut numquam de malitia cogitarent, nec leges scire curarent: Sic enim rarò, vel unica malitia toto ignorantiæ tempore peccarent. Pariter: Infideles, Mahomettani, Judæi; Christum blasphemando, errores sectæ suæ in praxi exequendo non peccarent, nisi dum contraxerunt malitiam vincibilis eorum ignorantiæ, qua suam obstinationem causarunt. Hoc pro inconvenienti, & absurdo objicit D. Augustinus Juliano Pelagiano lib. 4. cap. 8. contra Julian. Denique indubium est Matrimoninm valide contrahi per procuratorem, & materiam, & formam non apponi moraliter ab illo, sed a contrahentibus per proprium consensum, & licet dum contrahitur non cogitent, immo licet tunc dormiant; adest consensus; & fit Sacramentum, & similiter alij contractus sic celebrantur validè. Sed non requiritur perfectius voluntarium ad peccandum: ergo sicut in prædictis casib. sufficit voluntarium virtuale & interpretativum, etiam id sufficit ad peccandum.

§. II.

Ex decreto Alexandri VIII. circa peccatum Philosophicum, validum sumitur argumentum contra requirentes necessariò actualem advertentiam ad peccandum.

150. PRopositio, seu sententitia circa annum 1690. de novo erupit his verbis: *Peccatum Philosophicum, seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum vero, & mortale est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum, quantum vis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam, neque æterna pœna dignum.* Hanc sententiam damnavit Christi Vicarius Alex. VIII. in suo decreto 24. Augusti 1690. Quæ licet revera sit temeraria, erronea, & scandalosa, ut asserit Pontifex, non ex alijs principijs videtur esse depromptam, nisi ex doctrina, quam in presenti impugnamus: qua suposita videtur legitime ex ea inferri talis propositio: ergo ex illa sequitur absurdum.

Pro quo est supponendum, quod peccatum mortale consistit in avversione ab ultimo fine, qui est Deus; quæ quidem aversio pertinet ad rationem deliberâtem, cuius etiam est ordinare in finem: ità docet, & probat D. Th. 1. 2. q. 77. art. 6. & 8. & etiam q. 72. arn. 5. in Corp. & alibi. Itaque peccatum reduplicativè ut mortale necessario dicit aversionem a Deo ut ultimo fine, & esse simpliciter contra legem æternam, ut constat ex deffinitione D. Aug. & tradit D. Th. 1. 2. q. 88. ar. 1. ad 1. & 22. q. 105. art. 1. ad 1.

151 Hoc supposito probatur assumptū. Si ad peccandum formaliter esset omninò necessaria actualis cognitio peccati, vel aliqua advertentia, qui nihil cogitaret de Deo, vel non adverteret, non peccaret mortaliter: etiamsi multa gravia crimina patraret, furando, occidendo, adulterando, &c. Sed hoc est absurdum, ergò &c. Min. constat ex adducto decreto. Prob. maj. Nam peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, dicitur tale, inquantum avertit à Deo, ut ultimo fine, & illum offendit, & contemnit: Contingit autem hominem furari, occidere, adulterari, &c. quin actu cogitet averti à Deo ultimo fine, nec Deum offendere, aut contemnere: non ergò tunc peccaret mortaliter dissolvens amicitiam Dei.

Explicatur magis. Nequit homo mortaliter peccare, nisi malitia graviter moralis peccati sit ei voluntaria: Sed ut sit sufficienter voluntaria, non exigitur voluntarium directum, & formale: Siquidem ad hoc requiritur actu cogitare, & advertere malitiam separare a Deo, & Deum graviter offendi, quæ cognitio plerumque non datur etiam si quis gravissimè peccet: ergò sufficit voluntarium indirectum, & interpretativum. Idemque argumentum potest fieri ex eo, quod peccatum mortale est tale, quia est simpliciter contrà legem æternam: Et tamen peccatur mortaliter, quin peccans cogitet legem æternam: ergò, ut quis mortaliter peccet, non requiritur necessariò actualis cognitio peccati, quatenùs mortale est.

152 Re-

152 Respondebis, quòd hoc ipso, quòd quis advertat objectum esse dissonum rationi, seu esse malum; habet ex consequenti (dum est grave) esse contrà legem æternam, & aversionem à Deo, illius offensam, & contemptum, & sic sufficere advertentiam malitiæ. Optimè; sed hoc non satisfacit: quia licèt esse contra legem, offensam Dei, &c. se habeant ex consequenti, hæc debent esse voluntaria, ut peccanti imputentur; aliàs non esset peccatum mortale; & tamen imputatur sine actuali cognitione, sed solùm cum virtuali, & interpretativa advertentia malitiæ dissonantis rationi. Deindè jam deseritur præcipuum fundamentũ adversæ sententiæ; nimirùm, quia sine expressa cognitione actuali nequit impediri consensus in objectum pravum: & quia requiritur, quòd circa illud possit deliberare, & considerare, quod nequit fieri sine cognitione tunc habita. Si igitur hoc ita esset, qui actu de lege divina non cogitat, nec de offensa, aversione, & contemptu Dei, non posset impedire consensum in Dei offensam, &c. quia de hoc actu non cogitat, nec posset considerare, & deliberare circa prædicta, & consequenter tunc peccanti hoc modo offensa Dei, & violatio Divinæ Legis non imputarentur: Imputantur: ergò ex vi voluntarii indirecti, & interpretativi, seu virtualis; & quia, licèt non consideret, nec advertat, tenetur considerare, & advertere, & sufficit deliberatio circa id, ex quo sequitur offensa Dei, &c.

§. III.

Probatur ad hominem nostra Sententia.

153 Supra Artic. I. discussa est illa Quæstio: An conscientia vincibilis aliquandò obliget? Cui responsum est affirmativè, quod adeo est certum, quòd secundùm communem sensum Theologorum est de fide; & ita docet expressè Vazquez in 1.2. disp. 59. cap. 3. idemque asserit Suarez, Sanchez, & alii: adeoque hujusmodi obligatio exigitur à tali conscientia, quòd nec Prælatus, nec ipse Deus in hoc dispensare possit. Conveniunt ergò Auctores pro prima sententia supra adducta, & nobis contraria, in statuenda hac obligatione, qua supposita, sic ad hominem arguitur.

Tunc datur conscientia erronea vincibilis, quam quis sequendo peccat, dum existimat obligari ad faciendum, quod re vera malum est: Sed in tali conscientia nulla datur cognitio malitiæ: ergò ratione conscientiæ erroneæ vincibilis potest quis peccare absque aliqua cognitione malitiæ. Major est certissima, etiam apud adversarios: v. g. Antonius conscientia erronea vincibili existimat se teneri mentiri, vel falsum jurare pro conservatione vitæ filii sui innocentis, tunc obligatur ex tali conscientia sic jurare, & peccat. Min. prob. Nam si daretur aliqua cognitio, quamvis solùm esset dubitando, vel alio modo sufficienti ad peccandum, qua cognosceretur esse malum, quod conscientia dictat, non esset peccatum ei non obedire, imò ipsa obligaret ad non obediendum; ideò enim obligat Antonium tunc mentiri, & perjurare, quia hoc existimat non esse peccatum, sed esse bonum. Etenim si ex una parte conscientia dicit teneris mentiri, & ex alia ratio dicit hoc esse malum, vel dubitas malum esse, aut ultra teneris inquirere; est implicatorium conscientiam tunc obligare, quia tunc dictaret, & obligaret contra seipsam: ergò cùm homo peccet sequendo conscientiam erroneam vincibilem, cui obligatur obedire, ut omnes fatentur, revera peccare potest sine cognitione aliqua malitiæ.

154 Dices cum adversariis: Nos ponimus conscientiam erroneam vincibilem, quæ deponibilis est, aliàs esset invincibilis: Sed non esset deponibilis, nisi detur actualis aliqua cognitio. ergò hæc est omninò necessaria. Sed contra: nam demonstratum est non adesse cognitionẽ; ergò licèt sit deponibilis: non tamen per actualẽ cognitionẽ malitiæ, sed alio modo. Prætereà, si adest aliqua malitiæ cognitio, jam per illam deponitur conscientia, siquidem jam judicat malum, de quo antea errabat. Et sic nunc non errat; itaque conscientia dicitur deponibilis, quia error est in actu, deponibilitas in potentia: Et ideò D. Th. supracitatus in hoc artic. §. 1. num. 147. ait: *Non tollitur potestas cognoscendi* (ecce deponendi

di potentia) *sed solùm consideratio actualis in particulari agibili*: Ex cujus defectu remanet actualis error. Quomodo conscientia erronea vincibilis deponi possit, infra tractabitur art. 10. in hac qu. à n. 195.

155 Secundò etiam probatur ex doctrina proculdubiò recepta à Theologis Scholasticis, & Mysticis, etiam à defensoribus sententiæ nobis contrariæ. In omnium sententia etiam ad peccandum venialiter est necessarium, quòd adsit voluntarium: At sæpè venialiter peccatur sine aliqua cognitione actuali, sine dubitatione, & absque aliquo conscientiæ remorsu: ergò absque actuali malitiæ cognitione peccatur; & consequenter corruunt fundamenta sententiæ contrariæ. Major est evidens. Min. constant, præsertim in peccatis veniabus, ex subreptione, & etiam in personis diligentia, & cura speciali Deo servientibus, quæ propter nullam causam admittent malum, seu actum, qui Deo displiceat, si actu cognoscant, seù advertant malitiam ejus etiam venialem, ut tradit M.N.S. Theresia supra art. præc. §. 9. num. 132. Si enim daretur consideratio, aut cognitio aliqua, jam esset actus deliberatus, & non ex subreptione.

Quòd autem sententiæ contrariæ corruant fundamenta, constat primò, quia qui venialiter peccat, non necessariò peccat, potéstque impedire consensum, aliàs non esset liberum peccatum: & tamen actu non cognoscit malitiam; deficit ergò fundamentum primum, de quo supra artic. 4. §. 3. Secundò, ut qujs peccet venialiter, requiritur, ut possit deliberare circa objecti malitiam, & tamen salvatur hoc sine actuali cognitione: deficit ergò secundum fundamentum ibidem adductum: pariter etiam tertium, quòd, *deficiente actuali cognitione conscientia erronea non est deponibilis, & consequenter non erit vincibilis*. Certum est dari conscientiam erroneam vincibilem, & etiam ignorantiam: & tamen venialiter peccatur sine cognitione actuali. Si ergò probant aliquid argumenta coutraria, probarent etiam in peccatis venialibus, quod est inconveniens; undè nihil probant. Argumenta si quę sunt alia, proponentur infra à num. 195. & ex dictis, & dicendis faciliùs dissolventur.

ARTICULUS VII.

Qualiter per passiones, habitus corruptos, consuetudines pravas, & malas persuasiones depravetur ratio, ut sine actuali cognitione malitiæ peccet voluntas.

§. I.

Præmittuntur aliqua circa ignorantiam per negligentiam, & assignantur ea, quæ scire tenemur.

156 SUpponendum est, quòd, ut docet D. Th. 1. 2. art. 9. q. 76. art. 3. *Ignorantia de se habet, quod faciat actum, quem causat involuntarium. Jam autem dictum est, quod ignorantia dicitur causare actum, quem scientia opposita probibebat, & ita talis actus si scientia adesset, esset contrarium voluntati*. Undè cùm voluntarium sit de ratione peccati, eo modo excusat à peccato, quo causat involuntatium. Ignorantia autem quandoque causat involuntarium simpliciter, & tunc totaliter excusat à peccato, ut quandò ignorantia est ejus, quod scire non tenetur, vel quandò est invincibilis: v.g. Scit quis aliquem esse hominem, & illum percutit, nesciens omninò esse patrem, quem nullo modo percuteret, si sciret: Quandoque autem ignorantia est eorum, quæ scire tenetur, & potest; & tunc, licèt aliquo modo excuset, non tamen simpliciter: quia non causat involuntarium simpliciter, sed solùm secundùm quid, & hoc est voluntarium indirectè: *Sicut* (ait D. Thomas) *cùm aliquis propter laborem, vel propter alias occupationes negligit addiscere id, per quod à peccato retraheretur*. Igitur circa peccata, & ommissiones, quæ ex negligentia sciendi quæ quis tenetur scire, & potest, non est difficultas imputari sine actuali cognitione, suppositis iis, quę in duobus articulis dicta, & statuta sunt. Et si quæ manet difficultas, infra explicabitur, & enervabitur.

157 Quæ autem teneatur unusquisque scire, docet Ang. Doctor 1. 2. quæst. 76. art. 2. *Ignorantia, inquit, importat scientiæ privationem dum scilicet, alicui deest scien-*

scientia eorum, quæ aptus natus scire. Horum autem quadam aliquis scire tenetur; illa scilitet, sine quorum scientia non potest actum debitum exercere. Unde omnes tenentur scire communiter ea, quæ sunt fidei, & universalia juris præcepta: singuli autem, ea, quæ ad eorum statum, & officium spectant.

158 Et descendendo magis in particulari, ad designandum quæ scire debemus, qui in Ecclesiæ gremio sumus; placuit id exponere cum nostris Salmanticensibus t.4. de peccatis disp. 12. dib. 1. §. 3. In primis ergo omnes scire debent præcipua Mysteria nostræ fidei, quæ articulos quatuordecim constituunt; & Cathechismo parvo continentur. Deinde omnes scire debent leges communes ad mores pertinentes, quarum observatio, vel ex ipsa naturæ rationalis conditione, vel ex professione Christiana cunctos obligat. Hujusmodi sunt præcepta naturalia, quæ ad decem Decalogi reducuntur, quinque præcepta Ecclesiæ, & quæ concernunt Sacramenta. Tenetur præterea unusquisque addiscere leges, & statuta, quæ ad proprium statum, & officium pertinent: Ut Monachus regulam, & Constitutiones, Sacerdos Sacerdotii leges; uxorati, matrimonii obligationes; Procurator ea, quæ sunt Procuratorii muneris; Curator, quæ Curatoris, Dux, quæ militiæ, & sic de aliis. Leges vero utriusque juris, quæ deserviunt pro contractibus, & aliis operationibus, quæ ad Canonicam, Civilem, & politicam pertinentibus scire communiter debent Judices, Advocati, & Doctores. Cæteri autem cum prædictos contractus, & operationes, quæ aliquam secum afferunt difficultatem, vel dubitationem, exercere volunt; saltem interrogando pro tunc virum doctum, & timoratum, à quo instruantur, ne errent, & illicite operentur.

159 Quid autem dicendum de Confessariis? Qui enim cæterorum conscientias lustrare tenentur, deque omnium actibus judicare, debuissent sane omnia jura, officia, status, & obligationes prænoscere: insuper peccatorum omnium species, gravitatem, & distinctionem, errores, vitia, fraudes, cuctaque id generis, quibus conscientiæ illaqueantur, perspicua habere. Sed quis est hic, & laudabimus eum? Sufficit non paucis in plura non valentibus, Theologiæ Moralis principiis ita esse instructos, ut circa ea, quæ regulariter in confusione occurrunt, non errent, aut impingant: de aliis vero specialioribus, & raro contingentibus saltem dubitent: quo per discursum principiis, adhibita etiam aliorum consultatione dubia debito modo expediant. Et præcipue quotidianam studii moralis lectionem numquam prætermittant. Qui enim studio solicitè non incumbit; nequit scire; & qui parum scit, nec in resolvenda dubitabit, & ita miserè errabit. Præsertim Confessarius debet esse bene instructus, ut quemlibet pœnitentem possit instruere, ut non difficulter integram efficiat confessionem; aliàs ipsis Confessariis imputabuntur defectus. *Diximus sufficere non paucis &c.* Pluribus etiam major scientia necessaria est; iis potissimum, qui Principibus, Potentatibus, eorum Ministris, & similibus personis communibus negotiis incumbentibus à confessionibus sunt: etiam illis Confessoribus, qui in Curiis, & in Civitatibus, & aliis locis exponuntur excipiendis Confessionibus personarum diversorum statuum, officiorum, & aliorum accedentium, sine discrimine ignotorum, sive cognitorum.

160 Quid etiam dicendum de Prælatis præsertim regularibus, qui & Confessariorum legibus astringuntur: & insuper omnia jura, statuta, & sanctiones tam juris communis, quam specialis, quæ ad proprium, & Subditorum regimen, ad Communitatis bonum, ad animarum salutem, ad Religionis observantiam, ad Divinum Cultum, ad justitiæ integritatem in legalibus, in distributionibus, in commutationibus, & in punitionibus spectant, innumeraque id generis alia ex vi sui officii, pro temporis, & rerum exigentia scire tenentur. Quippe cujuslibet prædictorum ignorantia poterit ipsis esse causa peccandi. Deberent quippe præ cunctis morali studio insistere, juri Canonico, & Pontificum Bullis solicite studere, & illa sæpe evolvere; Auctores graves sedulo legere, Doctores sępius consulere, omnemque diligentiam apponere, ne errent, aut aliis errare sinant in agendis. Igitur tam Prælati, quam Confessarii

si in

si in prædictis negligentes fuerint, eorum ignorantiæ vincibiles erunt, & non solum in ipsa negligentia, & causa peccabunt, sed in transgressionibus, quæ ex tali causa sequentur; & in divino judicio inexcusabiles erunt. Hæc ex Salmanticensibus. Quomodo autem per pœnitentiam cessat negligentia, & ignorantia, ita ut postea error, peccatum non imputetur, infra dicetur num. 201.

§. II.

Exponitur quomodo per passiones &c. peccetur absque actuali peccati consideratione.

161 PAssiones esse causas peccatorum tam certum est, quam homines viatores esse peccabiles. Constat ex Apostolo ad Rom. 1. 7. *Passiones peccatorum operantur in membris nostris ad fructificandum morti*. Et Jacobi cap. 1. *Unusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus. Deinde concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum.*

Quod autem absque actuali cognitione, ex passione, habitibus corruptis, consuetudinibus pravis, etiam absque advertentia malitiæ possit peccari, & de facto peccatur, constat ex locis Sacræ Scripturæ supra art.5. præcipue ex illo loco ad Rom. cap. 1. cum D. Th. ibi adducto §. 2. & ex ipso Angelico Doctore, & aliis SS. Patribus per totum illum art. relatis: Ut ibi potest videri, ut non sit necesse eorum doctrinam repetere. Constat ex Philosopho, cujus auctoritatem dedimus supra ar.3. §.3. cum Commentario D. Th. qui plane docent, quantum possunt consuetudo, & malæ persuasiones. Quis potest negare hanc miseriam, & infelicitatem habere locum valde extensum apud Infideles, Mahumetanos, & Hæreticos? Cur securos se existimant dum decepti, & arrepti suis erroribus Mahumetani judicant se, sequendo legē sui perfidi prophetæ obsequium præstare Deo? Cur Hęretici suos illos putridos, & horribilia monstra primos Magistros suos Lutherum, Calvinum &c. adeo eruditos, & pios autumant; Sicut nos Cœlestes Doctores Gregorium, Ambrosium, Augustinum, Hieronymum &c.? Cur inquam ita ducuntur cæci per viam perditiones, existimantes rectè procedere, nisi quia non curant, ut debent, de inquirendo, & quærendo verum ultimum finem, & placere Deo, immersi suis passionibus, putantes tenebras lucem, & malum bonum? Nec in ipsis habet locum remorsus, & plena advertentia, vel cogitatio, quod illos errores sequendo male operentur: Et quis excusabit illos, qui talia agunt, ratione ignorantiæ?

162 Audiendus est Salianus, qui lib.5. de Providentia, sic loquitur de Arrianis. *Traditio eis Magistrorum suorum, & doctrina inveterata quasi lex est, qui hoc sciunt, quod docentur: Hæretici ergo sunt, sed non scientes. Nam intantum se Catholicos judicant; ut nos ipsos titulo hæreticæ appellationis infament. Nos eos injuriam divinæ generationi facere certi sumus: illi nos injuriosos Patri existimant. Honor Dei apud nos est; Sed illi hoc arbitrantur honorem Dei esse, quod credunt; in officiosi sunt, sed illis hoc est summum Religionis officium: impii sunt, sed hoc putant veram esse pietatem. Errant ergo; Sed bono animo errant, non odio, sed affectu Dei, honorare se Deum; atque amare credentes.* Hæc ibi. Idem apud protestantes saltem apud plurimos reperietur. Quot putant Deo placere, & veritatem amplecti, dum Christi Vicarium appellant Antichristum, & nomen Papistam esse apud ipsos execrabile: Ecclesiamque Anglicanam (tot spurcitiis imbutam) esse veram, veramque fidem Christi habitare apud ipsam, & non apud Apostolicam Romanam? Et quidem eorum existimatio orta ex cæcitate, passionibus, pravis habitibus, & malis persuasionibus ipsos non liberabit, quippe eorum ignorantia non est invincibilis, nec solum peccarunt, dum illam contraxerunt, sed nunc plane peccant absque consideratione malitiæ.

163 Apertius hoc apparet in illis, quos memorat D. Augustinus tract. 51. explicans illa verba Joann. cap. 12. *Qui odit animam suam in hoc mundo in vitam æternam custodit eam*; intelligebant ad litteram prædicta verba: *Hinc* (ait Doctor S.) *quidam maligni, atque perversi homines, & in se ipsos crudeliores, ac sceleratiores homicidæ, flammis se donant, à quis se præfocant, præcipi-*

cipit ipse colidunt, & pereunt. Hæc ibi. Tales erant Hæretici circumciliones nuncupati. Et lib. de hæres. num. *69.* ait: *Per mortes varias, maxime per præcipitium, & aquarum, & ignium, se ipsos necare consueverunt*. Et hoc modo existimabant adimplere doctrinam Christi, esseque ob ejus honorem Martyres. Planè si existimarent graviter Deum offendere, & statim ad infernum descendere, ejusmodi crudelitates in se non exercerent. Sed superbia sua, & aliis passionibus, & malis persuasionibus obcæcati, quid non facerent?

164 Hinc rejicitur admiratio, seu incunctatio aliquorum. *Quomodo isti peccant, si peccare non putant? Ego non intelligo quomodo*. Sed quia aliquid non capias, ideo non erit in rerum natura? Cæterum satis sufficit scire, quid est homo in hoc statu naturæ lapsæ. Quid homo sibi fidens, elatus, superbus, arrogans, amator sui, & mundi, passiones omnino sequens? Ad quam stultitiam his cæcus homo non pervenit? Loquantur ipsi populi, tot nationes, quæ, ut habetur Job 5. *Per diem incurrunt tenebras, & quasi in nocte, sic palpabunt in meridie*. Et utinam solum extra Ecclesiæ Sanctæ Sinum hæc contingerent, sed & intra non deficiunt tenebræ, & cæcitates, quibus homines incidunt in peccatorum foveam non putantes, quæ sibi imputantur ut voluntaria in causa.

165 Ratio, ob quam homo peccat modo explicato, traditur à D. Thoma 1. 2. quæst. 77. art. 1. *Quia per passiones, per pravas consuetudines, & habitus corruptus homo distrahitur à bono virtutis, inclinant fortiter ad bonum proprium, & delectabile*; & sic nequit dum se offert occasio perfecte attendere ad bonum virtutis, & ad obligationem legis: *Siquidem quando potentia intenditur in suo actu circa unum, minus, vel ex suppositione, potest attendere circa aliud*. Et deinde, quia cum appræhensio imaginativæ sequatur passionem appetitus sensitivi, & judicium æstimativæ, fit, quod homo in aliqua passione existens, non facile se ab illa imaginationem avertit, & sic impeditur judicium, & appræhensio rationis, & per consequens, quod motus voluntatis judicium rationis non sequatur.

Dices nimis rigidam esse hanc doctrinam, & contra ipsam experientiam: Siquidem contingere potest passionem tantum sibi subjicere hominem, quod quasi extra illum relinquat, adeò ut impossibile sit deliberare, nec ullo modo posse actum voluntatis reprimere: Et tunc nec vir cordatus, nec aliquis Sanctus Doctor habere potentiam ad peccandum, vel actum imputari ad peccatum, existimabit.

166 Cæterum non ego sed S. Doctor Theologorum Princeps respondet huic difficultati, quam 1. 2. q. 77. art. 7. versat: *Utrum passio totaliter excuset à peccato*. Docet igitur, quod quando totaliter causat involuntarium, totaliter excusat: & posita distinctione voluntarii directi, & indirecti, ita resolvit: *Secundum hoc igitur distinguendum est: quia passio quandoque quidem est tanta, quod totaliter aufert usum rationis, sicut patet in his, qui propter amorem, vel iram insaniunt. Et tunc si talis passio à principio fuerit voluntaria imputatur actus ad peccatum, quia est voluntarius in sua causa, sicut de ebrietate dictum est. Si vero causa non fuerit voluntaria, sed naturalis, puta, cum aliquis ex ægritudine, vel aliqua hujusmodi causa incidit in talem passionem, quæ totaliter aufert usum rationis, actus omninò redditur involuntarius, & per consequens totaliter à peccato excusatur. Quandòque vero passio non est tanta, quod totaliter intercipiat usum rationis, & tunc ratio potest passionem excludere divertendo ad alias cogitationes, vel impedire, ne suum consequantur effectum, quia membra non applicantur operi, nisi per consensum rationis, ut supra (q. 15. art. 4.) dictum est. Unde talis passio non totaliter excusat à peccato*. Hactenus D. Th.

167 In quibus probat expresse passiones causare peccatum, absque eò quòd tunc cognoscat se peccare, siquidem recurrit ad libertatem in causa; & ponit exemplum in se culpabiliter inebriante: & solùm excluditur à peccato, dum totaliter aufertur usus rationis, ut in amentibus. Asserit deinde salvari libertatem, quatenus potest passionem impedire, nullatenus vero recurrit ad cognitionem actualem, quia tunc non ratione passionis peccaret, sed ratione cognitionis. Quapropter dum quis frangit legem committendo, vel omnittendo ob passio-

passionem, oblivionem, inconsiderationem, aut ignorantiã; ubicumque hujusmodi causæ fuerint voluntariæ, & contrariæ propter peccatum, effectus, seu fractio, aut ommissio legis est in se peccatum absque ulla tunc habita advertentia. Unde concludit S. Doctor ibi in responsione ad 2. *Quod passio causat ignorantiam juris in particulari, dum impedit applicationem communis scientiæ ad particularem actum, quam quidem passionem ratio repellere potest.*

ARTICULUS VIII.

Qualiter Christiani Catholici incurrant errores, ignorantias, passiones &c. itaut peccent sine actuali tunc cognitione malitiæ.

EX dictis in precedentibus sufficiẽter posset constare hujus quæsiti resolutio. Sed quia, ut dictum est, est magni momenti negotium, id in examen in hoc particulari vocamus, ut veritate cognita circa illud, assiduè, & diligenter vigilemus: Et nobis parum fidentes nos ipsos humiliemus, & sæpe sæpius cum Psalmista repetamus: *Delicta quis intelligit: ab occultis meis munda me Domine*: Ps. 18. Et.: *Ignorantias meas ne memineris.*

§. I.

Respondetur quæsito.

168 VIgere inter plurimos Catholicos errores, ignorantias, passiones pravas, habitus malos &c. quorum causa quandoque deficimus moraliter, nec deficere tunc cognoscimus, quis inquam hoc inficiabitur? Et quis ab his liberum se esse autumabit? Constat in primis ex locis Sacræ Scripturæ supra art. 5. §. 2. adductis, & ex se, & juxta SS. Patrum expositionem. Nam ut ait Apostolus: *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Et quamvis loca adducta ex veteri lege cœremonialia cessassent; doctrina tamen de fragilitate humana, de requisitis ad peccandum cessare non potest. Testamẽtum novum pro nobis scriptum esse certum est. Similiter SS. Patres ibi adducti, vel loquuntur dogmatice contra Hæreticos, & hoc sic faciunt, ut fideles instruamur, & ne in illos errores, & peccata incidamus. Vel moraliter, & doctrinaliter, & tunc certum est ipsos ad fideles loqui, & scribere pro assignandis regulis ad formandas recte conscientias nostras. Et ferè omnes auctoritates præfatæ ad personas particulares, vel ad populum Christianum sunt directæ, ut ex ipsis perspicuè constat: Et etiam ad aliquas personas tendentes, seu profitentes statum perfectionis. Nullus ergo potest de se præsumere, nisi sit arrogans, & superbus, incurrere non posse aliquam, vel aliquas ignorantias, & cæcitates, & esse exemptũ à tali modo peccandi: Cum Apostolus dicat: *Nibil mibi conscius sum, sed in hoc non justificatus sum*: quem locum SS. Patres, præsertim S. Bernardus ad præsens adducunt intentum.

169. Ad hoc faciunt, quæ ex S. Laurentio Justiniano, S. M. N. Theresia, & B. P. N. Joanne à Cruce supra art. 5. §. 8. & 9. & ad alia ad rem in fra in hoc art. ex D. Greg. M. & alijs videbimus. Sed nolui omittere, quod idem Sanctus Doctor exemplo adducto, & verbis nos admonet. „ Sæpe ergo (ait) & quod bono studio „ gerimus, dum discernere incautè negligimus, quo judicetur fine nescimus: & „ nonumquàm hoc fit reatus criminis, „ quod putatur causa virtutis. Quisquis „ autem amicorum B. Job (en exemplum) „ facta considerat, quam pia ad eum intentione venerint, non ignorat. Pensemus enim cujus charitatis fuerit ad afflictum concorditer pervenisse: quanta virtus longanimitatis, septem diebus, „ & septem noctibus cum afflicto tacuisse: „ quæ humilitatis in terra tot diebus, & „ noctibus sedisse? quæ compassio pulvere capita conspersisse? Sed tamen inchoantes loqui, undè se æstimaverunt „ præmium mercedis acquirere; inde „ contingit reatum reprehensionis inveni- „ re; quia incautis sæpe ad peccati finem „ vertitur, etiam quod pro solo studio „ mercedis inchoatur. Et nisi Divina „ gratia offerre eos sacrificium pro suo „ reatu præcepisset; Indè à Domino juste „ puniri poterant, unde se placere Domino mirabiliter æstimabant: inde judici displi-

„ displicent, unde sibi quasi pro defensio-
„ ne judicis per effrenationem placent . . .
„ Idcircò verò hæc dicimus, ut ad me-
„ moriam legentium revocemus &c. Et
„ concludit. Ad hoc vero ista proficiunt,
„ ut ante terribilis judicis subtile, atque
„ incompræhensibile examen, non solum
„ mala, quæ commissimus, sed etiam
„ ipsa, etiamsi qua in nobis sunt bene ge-
„ sta, timeamus. Quia sæpe in justo ju-
„ dicio culpa esse depræhenditur, quod
„ virtus ante judicium putatur. Et unde
„ expectatur pia merces operis, inde sup-
„ plicium justæ sequitur ultionis. Hæc M. Greg. lib. 3. mor. c. 10. in c. 2. Job. Quis ergo contradicet huic splendidissimo Ecclesię Sanctæ lumini. Ubi hìc est advertentia, & cognitio? Ubi etiàm est illud judicium evidens moderni probabilismi, desumptum ex principiis etiàm minus probabilibus?

170 Fallimur ergò nostris passionibus, negligentiis nostris, & existimationibus dicentibus malum bonum, & dum videmur bonum operari, deficimus, & nobis imputatur non ratione cognitionis tunc habitæ, sed ratione causæ culpabilitèr præstitæ. Ex Apostolo vidimus supra art. 5. §. 2. gentiles in tot mala corruisse, mala non advertentes, vel bona putantes, nèc excusabiles fuisse; *quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis*. Si hoc ità contingit inter gentiles; quid dicendum, quid suspicandum inter plures Catholicam fidem habentes? Deum cognoscunt, & cognitione excellentiori, quàm gentiles. Sed o miserandum modum illa utendi! Quot sunt, qui Deum, non sicut Deum glorificant, aut gràtias agunt, sed evanescunt in cogitationibus suis? Sìc justus Dominus ipsis permittit cæcitatem, & ignorantiam, vel considerationis privationem, ut nescientes, plura perpetrent mala, vel existiment esse leve, quod est malum grave; ita ut quædam peccata aliorum sint causa, ratione cujus imputentur sequentia: ut in usuris, simonijs, malis contractibus, in contentionibus, detractionibus, perjurijs, factionibus, profanitatibus, cogitationibus pravis, cupiditatibus illicitis, inordinatis affectibus &c. Quid timendum de illis, qui sensus suos fræno studiosè non regunt? Qui perniciosum torporem, & otium non fugiunt: qui terrenis, & caducis rebus cor habent fixum: qui tardè accedunt ad Sacramentorum salutarem medicinam: qui raró ad Deum cor elevant, nec ejus auxilium implorant? Quot sunt habentes nomen Christianum, & se putantes salvandos, qui de quo minus curant, est de amando super omnia, & glorificando Deum, & de vera animarum suarum salute, sed ita vivunt, tamquam nunquam morituri: nec Deo supremo judici villicationis suæ rationem reddituri? Valde igitur timendum hos, & similes multoties nescientes cadere, dum actu cadunt, ac se putant salvari, & tamen in æternum pereant. Nam si gentiles, quia Deum non glorificaverunt, fuerunt inexcusabiles, quanto magis Christiani, qui perfectius agnoscunt.

§. II.

De passionibus in sepeciali privantibus consideratione actuali, & a peccato non excusante.

171. OMnes passiones, juxtà D. Thomam 12. q. 77. art 5. ad tria reducuntur assignata ab Evangelista Joanne ep. 1. c. 2. ibi: *Omne, quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut est concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ*. Ad
„ concupiscentiam enim carnis, atque o-
„ culorum reducuntur passiones concupi-
„ scibilis. Siquidem carnis, & oculorum
„ obiectum est bonum sensibile absolutè
„ sumptum. Ad superbiam vitæ omnes
„ passiones irascibilis, eò quod obiectum
„ sensibile sub ratione ardui est obiectum
„ superbiæ vitæ. Et quia actus harum po-
„ tentiarum inordinati procedunt ex ap-
„ petitu inordinato; & appetere inordi-
„ natè aliquid temporale procedit ex hoc,
„ quod quis inordinatè se amat, inde fit
„ quod inordinatus amor sui est causa om-
„ nis peccati, ut S. Doctor docet dicta q. 77. art. 4.

172. Igitur incipiendo à passionibus partis concupiscibilis; quis dubitat inter Catholicos plurimum illis plurimos abun-

dare,esseq; in illis non parum radicatas:sed hi plerumque absque remorsu, seu actuali advertentia actus illarum inordinatos eliciunt. Dicat enim amans, seu amens, (amorem enim Plato brevem amentiam nuncupavit) dicat inquam, qui circa aliquam amore flagrat illicitò, qualiter illam noctu, diuque semper habet in mente, in corde, & in consensu? Quid non peragit? Domum circuit, litteras mittit, loquitur insanias, solicitat, promittit, &c. Nonne apud Christianos hæc non sunt peccata? Et amor, ille seu inordinatus appetitus, quò magis cæcus, & prophanus, eò magis improbus, & execrabilis? Et tamen in tot peccatis perpetrandis raro ejusmodi amantibus, vel amentibus venit in memoriam lex divina, aut malitia peccati. Quia ut docet Angelicus Magister. dict. quæst. 77. art. 1. & 2. *intensa meditatio unius abstrahit ab alijs, & ideo homines in aliqua passione existentes, non facile imaginationem avertunt ab his, circa quæ afficiuntur, & sic motus voluntatis non sequitur judicium rationis.*

173. Ad hanc partem pertinet avaritia, seu cupiditas pecuniarum, & aliarum divitiarum. Quantum hæc regnat in cordibus humanis, eorum opera loquantur. Relictis manifestè furantibus, qui apertè, & non paliatè iniustitias committunt; Sunt alij non pauci, qui non in confesso, & palam in rebus gravibus mortalia committere solent: ut Tabelliones, Procuratores tribunalium, Advocati, Mercatores, Bancharij, & etiam Prælati, & Magistri gravissimi,& non pauci ordinis Ecclesiastici,& cultui divino dicati; quorum studium est pecunias, & res caducas ad pecunias agregare, divitias augere; Qui non sub furti termino, sed officij titulo substantiam aliorum corrodunt; & securi in Conscientia sua sibi videntur degere: Quia omnes sic faciunt. Et numquid omnes perditurus est Deus? sic in sua deceptione blandiuntur, & non existimant se in malu statu permanere, & saltem non autumant plenam horum peccatorum advertentiam habere. Numquid juxta existimationem illos judicaturus est Deus?

174. Et quid de Confessarijs,aut Consultoribus, qui in talibus illis consentiunt? Quid de habentibus proventus, & redditus Ecclesiasticos? De illis, qui in superfluos usus, & faustum, seu in ditandis parentibus ea, quæ erant pauperibur eroganda, consumunt, & remorsum de hoc non habent? Quid de debita gravia habentibus, quod in pluribus nobilibus ita contingit; qui non curant suis creditoribus quàmprimùm, prout exigit obligatio, satisfacere: satisque esse putant, quod intentionem habent solvendi: & tandem absque facta solutione decedunt? Et cum obligatio sit non solum solvendi, sed etiam solutionem non differendi, scrupulum grave de dilatione illos non pungit: & si pungit,titulo palliato posse differre sibi persuadent. Hùc pertinent litigantes, advocatique, qui plerumque rationibus, seu fundamentis frivolis lites suscitare non timent: qui etiam plerumque dilationibus, & cabilationibus lites sine termino protendunt, ut sic pars exadverso majores sumptus consumat,& ut sìc à lite, licet invita, desistat. Et tamen raro videtur fieri circa hæc advertentia peccati injustitiæ. Cum certum sit litigantes solum posse uti justis, & rationabilibus defensionibus; & aliter ad restitutionem teneri ejus damni, quod collitigantibus sic intulerunt.

175. Quæ de parte concupiscibili dicta sunt, pariter locum habent in passionibus irascibilis. Eadem enim experientia in ipsis habetur: quatenus non minus avertere faciunt cogitationem à memoria legis, & consideratione malitiæ in peccato. Quia intensa applicatio ad unum abstrahit mentem ab alijs, ut modo ex Divo Thoma dictum est. Inter omnes passiones, seu vitia, nullum magis hominem obcæcat, ut veritatem non videat, & consideret, quam superbia. Unde Divus Gregorius lib. 27. mor. cap. 7. ait: *Superbientibus veritatis cognitio denegatur: unde per se metipsum veritas dicit: Confiteor tibi Pater Domine Cœli, & Terra, quia abscondisti hæc à sapientibus, & revelasti ea parvulis. Sapientes, & prudentes videlicet Superbientes vocat.* Et lib. 24. mor. cap. 13. ait: *Difficile enim in se quisque inveteratam superbiam deprehendit: quia nimirum hoc vitium, quanto magis patimur, tanto minus videmus: sic quippe in mente superbia, sicut*

in

in oculis caligo generatur. Qui hac ergo paſſione afficitur, cadet miſerabiliter, abſque eo quod ſe cadere depræhendat. Sapiens, ſed non humilis erat ille Angelus, ſeu Epiſcopus Laodiceæ: qui de ſe præſumens ſic de ſe judicabat: Apocal. cap. 3. *Dicis quia divis ſum, & locupletatus valde*; ait illi Chriſtus Dominus: divitiis virtutum, & bonorum operum ſe putabat ditiſsimum, ut ibi exponunt Sancti Patres apud N. Silveyram; & tamen apud ipſum Salvatorem, erat, ut ipſe ait: *Et neſcis quia miſer es, & miſerabilis, pauper, cæcus, & nudus*: illi enim deficiebat humilitas, ideò ei ſuadet: *Colyrio unge oculos*, ideſt, *vera humilitate*. ut explicat Sanctus Laurent. Juſtinian. lib. de Caſt. connub. cap. 6. *Cor tuum vera humilitate purifica*.

176. Ad rem facit exemplum adductum à Sapientiſſima M. N. Thereſia in via perfect. cap. 19. circa fin. *Narrat* (inquit) „ *credo*, *Caſſianus*, de quodam Eremita „ rigidiſſimæ vitæ, quod diabolus illi ſuaſit, ut ſe in puteum injiceret, ut ſic citiùs ad Dei viſionem perveniret. Ego „ mihi perſuadeo illum in humilitate, & „ benè non vixiſſe: quia fidelis eſt Dominus, & non permitteret ipſum in „ re tam manifeſta obcæcari, perſpicuum „ autem eſt, quod ſi à Deo eſſet deſiderium illud neutiquam illi noceret. Hactenus Magiſtra Cœleſtis; quod applicat caſui cujuſdam perſonæ ſpiritualis, quam vidiſſe, dicit, quaſi inſanientem, & delirantem deſiderio videndi Deum: Et Sanctiſſima Mater, ait, *ibi timendum, ne diabolus fortaſſe ad id cooperetur*. Proculdubio, Eremita non judicabat peccare graviter, & tamen ſupponitur; & fuiſſe damnatum.

177. Ex hac paſſione, ſeu ſuperbia vitæ oritur ira, & iracundia. Quis ignorat paſſim homines illa arreptos maledictiones evomere, jurare, perjurare, juramenta comminatoria, & execratoria, etiam dum ſunt peccata graviſſima, blaſphemias quandoque, & verba graviter injurioſa, & contumelioſa in proximos proferre; & rarus eſt, qui ſic iraſcitur, ut tunc actu advertat peccare. Idemque contingit in detractoribus, in ſecreta proximorum peccata propalantibus, & famam illorum dilacerantibus: Juxta illud: *Sepulchrum patens eſt guttur eorum &c.* Pſal. 13. Pariter dum homo rixat cum alio, dum illum in rixa percutit; dum occidit; plerumque peccati cognitio non adeſt.

Erit ergo bona illatio: Ergo iracundus ita jurando, injurias graviſſimas proferendo, percutiendo, occidendo, &c. non peccabit? Sanè modus ille operandi pravum nobis videtur: multo magis apud Deum; ut docet D. Ambroſ. in cap. 1. ad Rom. *Si nobis mala videntur, quanto magis Deo*. Et Ariſt. in ſua Ethic. *Ex naturali ſenſu hominum, nimirum ex laude, vituperio, ex præmio, ex pœna colligit, & probat bonum, & malum. Aliàs ſi non adeſſet culpa, quomodo puniuntur ejuſmodi actiones?* Quando judices æſtimant non eſſe multandos ex iracundia injuriantes, percutientes &c.? Quis prudens Advocatus pro ſuo Cliente allegat ex iracundia occidiſſe? immo majora delicta cenſentur, quanto majori iracundia patrantur. Undè Angelicus Doctor in 2. ſent. diſt. 22. quæſt. 2. art. 1. ait: *Quod iſta in ſe peccata ſint, pœna oſtendit, quæ pro eis infligitur*. Tandem idem colligitur ex eo, quod regulariter dum Catholici talia ex paſſione agunt, licèt animadvertiſſe non exiſtiment, ſua illos poſtea remordet conſcientia, nec quieſcunt, niſi ea ad Confeſſionem afferant.

§. III.

Explicatur modus, quo homines ſæpe falluntur exiſtimantes bene agere, & tamen peccāt.

178 PRimo notandum eſt, ut docet D. Thom. 1. 2. qu. 76. art. 1. *quod ratio ſecundum duplicem ſcientiam eſt humanorum actuum directiva, ſcilicet ſecundum ſcientiam univerſalem, & particularem. Conferens enim de agendis utitur quodam ſyllogiſmo, cujus concluſio eſt judicium, ſeu electio, vel operatio: actiones autem in ſingulari ſunt. Unde concluſio ſyllogiſmi operativi eſt ſingularis. Singularis autem propoſitio non concluditur ex univerſali, niſi mediante ali-* qua

qua propositione singulari. V. g. ex hac propositione universali: jure prohibetur accedere ad alienam: hæc mulier est aliena, non ergo hic & nunc est licitum, sed est peccatum ad illam accedere. Cæterum licet scientia, vel cognitio universalis regulariter attingat veritatem, nec circa præcepta universalia raro apud Christianos hominem lateat cognitio: non ita circa applicationem in particulari, seu circa propositiones particulares, ex quibus concluditur directio operationis humanæ. Sciunt Catholici usuras esse illicitas, pariter simoniam; restitutionem rei alienæ esse faciendam, ablationem illius esse peccatum, jejunia Ecclesiæ esse observanda, & sic de aliis. An hæc, vel talis actio sit usuraria, sit simoniaca, an nunc debeat fieri restitutio, an quod ab alio accipio, sit mihi debitum, & an hodie, vel hac quadragesima à jejunio sim excusatus &c. non ita cuiq; adest cognitio secundum veritatem, & potest non secundum prudentiam assentiri propositioni particulari, ex qua non rectè, & inculpabiliter concludat sibi videri rectè operari, sed ejus conscientia vincibilis sit, & non excusans à peccato.

179 Pro quo facit quod ait Aristot. 3. Ethic. cap. 4. *Qualis unus quisque est, talis finis ei videtur*. Quare continget non raro hominem decipi, & contra legem judicare, & operari, dum habet aliquo modo depravatam ratione ex passione, aut mala consuetudine, seu ex mala habitudine naturæ, ut D. Thom. 1. 2. q. 104. art. 4. & q. 9. ar. 2. docet, *quod est manifestum secundum passionem appetitus sensitivi immutari hominem ad aliquam dispositionem. Unde secundum quod homo est in passione aliqua, videtur sibi aliquod conveniens, quod non videtur ei extra passionem existenti, sicut irato videtur bonum, quod non videtur quieto*. Et q. 3. de malo art. 9. ad 7. ait S. Doctor: *In quolibet actu virtutis vel peccati fit quadam deductio quasi syllogistica: sed tamen aliter syllogizat temperatus, aliter intemperatus; aliter continens, aliter incontinens*.

180 Hinc fit, quod avaro appetenti aggregare sine fine pecunias, dum ex mutuo accipit ultra sortem, putat sibi dari gratis, vel ratione lucri cessantis, deceptus passione: qui præbendam, seu beneficium solicitat, munera tribuit, sed apud se malitiam obtegit sub palio intendendi conciliare amicitiam, & non dandi pro spirituali temporale. Curialis, seu tabellio, vel procurator, pro labore suo accipit tamquam debitum, quod apud prudentes, immo apud Deum, est excessivum. Tamen sibi ipsis blandiuntur cogitantes: *Cæteri hoc faciunt, cur ergo non ita faciam?* Illi id ipsum dicunt: alii hoc faciunt; & sic argumento adinvicem circulari se excusant: sed circulo vitioso. Quid de excusantibus se à jejuniis, & salutari abstinentia? Caput mihi dolet, stomachus debilitatur, non possum bene dormire &c. quasi jejunium, & abstinentia non ordinarentur ad mortificationem carnis, & ad aliquam molestiam tolerandam; immo ad animæ, & corporis salutem curandam, & conservandam, ut Ecclesia supponit, dum feria 6. post Cineres ita Deum precatur. *Concede ut hoc solemne jejunium; quod animabus corporibusque curandis salubriter institutum est, devoto servitio celebremus*. Idem, quod de memoratis dictum, possemus dicere de aliis personarum generibus; quod facile cuique constare potest.

181 Nec in Sacra Scriptura exempla plura deficiunt. Supra §. 1. visum est ex D. Greg. qualiter amici Job dum bene agere cogitantes, & existimantes honorem Dei protegere, & justa Dei judicia defendere, seipsos potius præcipitarunt, & ipsum offenderunt. Obtulit Saul holocaustum, dum populus valde arctaretur, ut placaret Dominum: & dixit Samueli: *Necessitate compulsus obtuli holocaustum*: at vero Samuel ait: *Stulte egisti. Nec custodisti mandatu Domini Dei tui &c.* 1. Reg. cap. 13. Sane qui Domino placare intendebat, illum offendere non putabat. Idem Saul, cum esset illi præceptũ Amalec, & omnia ejus destruere, pepercit Regi Agag, & optimis gregibus ovium, & armentorum, pro sacrificiis Domino offerendis: intellexit enim hæc servare ob hanc causam non esse contra præceptum: & ita respondit Samueli dicenti sibi: *fecisti malum in conspectu Domini: immo audivi vocem Domini, & ambulavi in via, per quam me misit Dominus*. Et tamen deceptus gravissime peccavit. Et quod magis est: cum Christus D. ostendisset discipulis mortem, quam passurus esset, S. Pe-

S. Petrus ob amorem, & pietatem in Christum dixit: *Absit à te Domine, non erit tibi hoc*: & tamen illam duram increpationem audivit: *Vade post me Satana: scandalum est mihi; quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum*. Matth. cap. 16.

182 Ex SS. Patribus supra artic. 5. ad rem plura adducta sunt, præsertim ex S. Lauren. Justinian. qualiter vitia, & passiones sese ostendunt tamquam virtutes: induuntur aureo indumento prudentiæ, & rationis. Audiendus D. Gregor. in c. 39. Job lib. 31. c. 17. *Inanis namque gloria devictum cor quasi ex ratione solet exhortari, cũ dicit: Debes majora appetere, ut quo potestate valueris multos excedere, eo etiam valeas multis prodesse. Invidia quoque devictum cor, quasi ex ratione solet exhortari, cum dicit: In quo illo, vel illo minor es? Cur ergo eis, vel æqualis, vel superior non es? Quanta vales, quæ illi non valent? Non ergo tibi, aut superiores esse, aut etiam æquales debent. Ira etiam devictum cor, quasi ex ratione solet exhortari, cum dicit: Quæ erga te aguntur, æquanimiter ferri non possunt: immo hæc patienter tolerare, peccatum est: quia & si non eis cum magna exasperatione resistitur, contra te deinceps sine mensura cumulantur. Avaritia quoque devinctum animum quasi ex ratione exhortari solet, cum dicit: Valdè sine culpa est, quod quædam habenda concupiscis; quia non multiplicari appetis, sed egere pertimescis: & quod male alius retinet, ipse melius expendis. Ventris quoque ingluvies devinctum cor solet exhortari, cum dicit: Ad esum Deus omnia mundi condidit, & qui satiari cibo respuit, quid aliud quam muneri concesso contradicit &c.* Hæc Magn. Doctor. Et numquid his fallaciis non capiuntur homines incauti, & parum de animæ suæ salute solliciti?

183 Idem S. Doctor in Pastorale plura ad hanc rem docet, dum remedia adhibet pro vitandis peccatis, quæ originantur ex diversis inclinationibus, & passionibus sub specie virtutis. Itaque 3. p. admonit. 17. agens de mansuetis, & iracundus ait: *Quos (idest iracundos) cum furor agit in præceps, ignorant quidquid irati faciunt, ignorant quidquid patiuntur à semetipsis. Nonnumquã vero, quod est gravius, iræ suæ stimulum justitiæ zelum putant; & cum vitium virtus creditur, sine metu culpa cumulatur. Sæpe ergo mansueti dissolutionis torpescunt tædio: sæpe iracundi rectitudinis falluntur zelo. Illorum itaque virtuti vitium latenter injungitur: his autem suum vitium quasi virtus fervens videtur*. Deinde c. 18. agens de humilibus, & elatis, inquit: *Cum quædam increpanda sunt vitia illi (humiles) reticent ex timore; & tamen tacere se existimant ex humilitate. Isti (elati) loquuntur per impatientiam elationis; & tamen se credunt loqui per libertatem rectitudinis. Illos ut perversa non increpent, sub specie humilitatis, premit culpa formidinis: istos ad increpanda, quæ non debent, aut magis quam debent, sub imagine libertatis, effrenatio impellit timoris*. Sic discurrit ibi Doctor S. in Materia aliarum virtutum, & vitiorum, in quibus actiones vitiosæ velantur specie virtutis. Et cum Catholicis loquitur, immo, & cum Prælatis, seu superioribus, qui dum bene agere putant; sine metu culpa cumulatur.

ARTICULUS IX.

Utrum ad voluntarium indirectum, seu in causa requiratur cognitio malitiæ in individuo, aut in specie in peccatis ignorantia.

§. I.

Aliqua breviter prænotantur.

184 In primis supponendum est, ut omnino certum, debere aliquam cognitionem præcedere malitiæ, ut operanti imputetur peccatum: cum evidens sit, nihil volitum, quin præcognitum. Cum ergo jam maneat probatum ex S. Scriptura, SS. Patribus, rationibus, & exemplis, quod licet nulla suspitio, vel cognitio sese actualiter offerat operanti, dum per ignorantiam agit, quod in se malum est, nihilominus possit peccare formaliter propter voluntarium in causa; restat videndum, qualis cognitio sit necessaria, & sufficiat in causa pro hoc voluntario indirecto; an effectus, seu peccatum præcognosci debeat in individuo, aut in specie, an vero sufficiat

ciat

ciat præcognitio illius in genere, seu in confuso?

185 Pro quo notandum secundò, quòd quemadmodùm non uno, & eodem modo aliquid dicitur voluntarium; ita non uno, & eodem modo oportet esse, vel præcedere cognitionem; sed talem, qualis modus voluntarii exigitur, ut quis modo humano moraliter operetur. Itaut si malitia sit in seipsa formaliter, & explicitè volita, eodem modo oportet esse in seipsa formaliter, & explicitè cognita. Si verò malitia sit volita solùm indirectè, virtualiter, seù in genere, & inconfuso; pariter satis est, ut præcognoscatur in alio virtualiter, indirectè, seù in genere, & in confuso; seù, ut sit comprehensa malitia in aliqua cognitione communi, seù aliquo modo proportionabiliter ad modum ipsius voluntarii.

186 Tertiò notandum: Ad rationem peccati saltem mortalis non sufficere, quòd intellectus cognoscat deliberatè entitatem physicam objecti ad voluntarium indirectum, & virtuale, ut nonnulli voluerunt sentientes eum, qui deliberatè v.g. discurrit de convenientia, & necessitate contractus posse procedere ad cognitionem, an sit usurarius, & malitiam suspicari, & si ita non se gerit, sed præcipitanter, imprudenter agit, & si objectum in se malum est, peccat. Cœterùm licèt inter Catholicos regulariter ita contingat, non tamen talis cognitio, nisi aliquid addatur (de quo infra art.10. §.9. num.198.) sufficit: Et constat in prohibitis, non quia mali sunt. Ratio hujus notabilis est, quia objectum ut cognitum secundùm entitatem physicam, solùm influit in actum voluntatis secundùm illam rationem, secundùm quam cognoscitur: Et dum non cognoscitur ut morale, in hoc ordine se habet tamquam incognitum; sed quia hoc prosequuntur latè N. Salmanticenses t.4. de peccatis disp.10. toto §.3. ibi videri potest.

§. II.

Ad prædictum voluntarium non requiritur in causa cognitio malitiæ in individuo, neque in specie, sed sufficit in genere, aut in confuso.

187 HÆc conclusio ulteriori probatione non indigebat, visa doctrina, quæ ex Sac.Pagina, & auctoritate SS.Patrum supra art.5. per totum adducta est: in qua perspicuè habetur peccari per ignorantiam, & inconsiderationem, nec assignatur cognitio in individuo, nec in specie, sed solùm in genere, & in confuso, ut in auctoritatibus ibi allatis videri potest: Maximè in illo magistrali loco Apostoli ad Rom. cap.1. ubi proponit nobis seriem, & progressum peccatorum per ignorantiam, & concupiscentiam commissorum, & eorum causam, & originem illis verbis: *Quia cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, & gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis.* Idem in SS.Patribus recurrentibus ad ignorantiam, concupiscentias, & passiones, quas per peccata voluntaria incurrerent. Ex quibus postea alia peccata sequuta sunt nescienter actu commissa: Ita expresè docent DD. August. Gregor. Chrysost. & alii loco citato adducti.

Et quamvis debilitati humani ingenii hoc difficile videatur, eò quòd vellet quidquid se offert, per suas ratiunculas explorare, & compertum habere, non ideò à simplici modo loquendi Sacræ Scripturæ, & SS.Patrum est dissentiendum. In quo Doctor Maximus nobis præclarum præbuit exemplum; qui versans præsentem difficultatem (ut sup. dicto art.5. §.3. visum est) respondet Critobolo Pelagiano: *A me sententiæ Dei, & dispositionis Dei causas requiris? Respondet stultæ interrogationi tuæ Liber Sapientiæ: Altiora te nè quæsieris, &c.* Et recurrit ad illud Apostoli: *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus.* Et concludit: *Pravum est cor hominis, & inscrutabile; quis cognoscet illud?... Nec enim in lege ratio quæritur, sed auctoritas.* Doctor Angelicus, qui

qui tot in locis hanc difficultatem discussit, & plenè illam resoluit, non assignavit talem cognitionem in individuo, vel specie; sed assignat ignorantiam consequentem, vel inconsiderationem, quæ ex causa illicita voluntariè apposita postea sequitur; etiam si formaliter cognitio causæ ad effectum, vel peccatum, quod ex illa fortè sequetur, non terminetur, sed quia volita causa, virtualiter, & indirectè est volitum quidquid ex illa sequitur, licèt de eo nihil cogitetur.

188 Ex quibus sic roboratur assertio nostra: D.Paulus, & cum eo DD.Hieronymus, Augustinus, Thomas, &c. proposuerunt ignorantias, & errores, in quibus (præsertim Gentiles) homines fuerunt inexcusabiles: Et tamen nullam mentionem fecerunt alicujus cognitionis expressę, nec in individuo, aut specie; immo solùm apposuerunt ex eo, quòd, *cùm cognovissent Deum, non ut Deum glorificaverunt, sed evanuerunt, &c.* in quo solùm datum fuit voluntarium virtuale, & cognitio in confuso circa peccata sequuta: ergò hæc sufficit. Prob. conseq. quia nimis temerarium videtur Apostolum, & SS.Patres Ecclesiæ causam non sufficientem pro sufficienti habuisse, & sic illam nobis manifestasse, & aliam ignorasse, vel præteriisse; illam nimirùm, quæ, juxtà quosdam Neothericos nobis adversantes, judicatur omninò necessaria.

189 Confirm. Prædicti SS. Patres laudati supra art.5. solùm recurrunt ad ignorantiam ratione negligentiæ inductam sciẽdi, quòd quisque scire potest, & tenetur, vel ob passiones pravas, & alia peccata, quatenus sunt causa aliorum peccatorum admissorum sine consideratione, & advertentia, sine mentione alterius cognitionis in individuo, nec in specie: ergò, nisi dicatur insufficienter processisse, sufficit secundùm ipsos illa admissio, & cognitio voluntaria peccati, quod ex se habet causare ignorantiam, seù inadvertentiam circa alia peccata sequentia ex illo peccato: quia hoc ipso, quòd cognoscitur expressè malitia causæ, ipsi ex se conveniens; implicitè virtualiter, & interpretativè intelligitur cognosci malitia effectus, seù nocumenti; siquidem tota malitia nocumenti continetur implicitè, & virtualiter in ejusmodi causa.

Sentire ergò volumus cum allegatis SS.Patribus, & cum illis sapere, & ignorare. Quarè, si eò quòd Gentiles Deum nõ glorificaverunt, cùm ut illum Deum cognovissent, sed evanuerunt, & in hoc modo cognitionis solùm implicitè, & virtualiter intelliguntur cognita peccata, quæ subsequuta sunt; & ideò non excusantur propter ignorantias; non minori fundamento dicendum etiam inter Christianos contingere, non excusari, dum aliquandò peccant per ignorantiam sine consideratione, vel advertentia malitiæ: Et multò minùs excusari, cùm magis viam veritatis, Christum Redemptorem, & ejus vitam magis cognoscamus; & sicut Deum, & talem Redemptorem non glorificamus, nec illi debitas gratias agimus, sed evanescimus.

190 Quapropter Salmanticenses N. utpotè addictissimi Angelici Doctoris Discipuli investigantes, quænam advertentia, aut cognitio sit necessaria in causa, ut effectus malus, nocumentum, aut ommissio sit in se peccatum, & formaliter imputetur, ita resoluunt: „ Ubi causa est secundùm se „ mala, & per se, & ut in pluribus illativa „ alicujus nocumenti, qui cognoscit ex„ pressè malitiam convenientem causę ab„ solutè, & secundùm se (quod fieri po„ test sine expressa recordatione nocumen„ ti) ibidem virtualiter, & interpretativè „ cognoscit malitiam ipsius nocumenti. „ Virtualiter quidem; quia tota malitia „ nocumenti virtualiter continetur in ma„ litia causæ. Interpretativè etiam, quia „ cognita malitia causæ, sufficienter potest „ intellectus devenire per illam cognitio„ nem in cognitionem malitiæ nocumenti: „ Proindèque istius oblivio, & inadver„ tentia est ibi voluntaria, & dicenda, „ *advertentia interpretativa*; quia pote„ rat, & tenebatur advertere: Et hoc ge„ nus advertentiæ fatemur ad peccatum sufficere „. Hæc Salmantic. to.4. disp.10. num.163.

I §.III. *Ex*

§. III.

Ex D. Thoma assignatur triplex modus ignorantiæ consequentis: in quibus ostenditur haberi posse aliquam cognitionem malitiæ, saltem virtualem, & in confuso, licèt expressè de illa actu non cogitetur, & sic ignorantia sit vincibilis.

191 IGnorantia consequens, vel inconsideratio dicitur illla, quæ consequitur ad actum, vel ommissionem peccaminosam, ab illaque originem habet; v.g. Negligit quis culpabiliter scire, quæ tenetur, acquirit pravum habitum repetitis actibus pravis. His positis, ignorat, vel non considerat dari malitiam in tali, vel tali objecto, quod in se malum est: illudque amplectitur, ita quod si actu sciret malitiam, non amplecteretur. Tunc igitur datur ignorantia consequens, quæ non causat involuntarium simpliciter. Et hoc contigere tribus modis, quos Doctor Angelicus assignat 1.2. qu.6. art.8. & concludit, quòd, *cùm ipsa ignorantia sit voluntaria aliquo istorum modorum, non potest causare simpliciter involuntarium: Causat tamen secundum quid involuntarium, inquantùm præcedit motum voluntatis ad aliquid agendum, qui non esset scientia præsente*. Hæc ibi: Et hac ratione dicitur cõmuniter ignorantiam consequentem non excusare à toto, sed à tanto, seù licèt per illam graviter peccetur, non ita sicut si scienter.

192 *Uno modo* (qui est primus, ait) *quia actus voluntatis fertur in ignorantiam: sicut cùm aliquis ignorare vult, vel ut excusationem peccati habeat, vel ut non retrahatur à peccato; secundùm illud Iob 21. Scientiam Viarum tuarum nolumus; & hæc dicitur ignorantia affectata*. Quod in hoc modo sufficiat cognitio solùm in confuso, seu in genere, aut virtualiter certum est. Ponamus Regem constituere quemdam cujusdam Provinciæ Gubernatorem: & in quodam scripto illi assignare, & præcipere, ut exequatur, quæ inibi continentur. Nimirùm, quòd provideat alimenta quibusdam Vassallis, qui fame pereunt; quod per Milites subveniat certo loco, quia aliter locus funditùs ab inimicis evertetur; quòd celebrare faciat in tali Ecclesia viginti mille Sacrificia, ad quæ ipse Rex obligatur, & alia plura hujusmodi: Gubernator consultò non legit Regis scriptum, ut sic liberiùs possit facere, quod sibi placet: Sequuntur nocumenta plura, quæ dum actu contingunt, ipse nescit; imò facit plura contra sui Regis mandata. Quis istum excusabit? Quis non imputabit, ut peccata, & omnia nocumenta, quæ vitare poterat: licèt nullum in specie, aut in individuo cognovit? Etenim malitia cujuscumque actus determinati, vel ommissionis contrà præceptum Superioris implicitè continetur in illo actu prȩconcepto, quo deliberavit velle ignorantiam, licèt nulla specialis malitia talis actus determinati, vel ommissionis tunc occurrat, adest voluntarium virtuale, & interpretativum, & similiter advertentia virtualis, & interpretativa.

193 Secundus modus assignatur à Divo Thoma loco citato: *Alio modo dicitur ignorantia voluntaria ejus, quod quis potest, & scire debet: Sic enim non agere, & non velle voluntarium est*. (Quæ ignorantia communiter dicitur crassa, & supina.) Idipsum docet S. Doctor 1.2. qu. 76. artic.3. *Quòd hæc ignorantia est indirectè voluntaria: Sicut cum aliquis propter laborem, vel propter alias occupationes negligit addiscere id, per quod à peccato retraheretur. Talis negligentia facit ignorantiam ipsam esse voluntariam, & peccatum, dum modò sit eorum, quæ scire tenetur*.

In hoc etiam modo, ac simili ratione, sicut in præcedenti; sufficit cognitio, licet sit solum in confuso, & in genere, vel implicite. Et in eodem exemplo adducto de Gubernatore potest explicari. Et insuper ponamus Confessarium (& idem de Prælato) qui ob causas à D. Th. mox adductas, negligit studium morale, cujus causa tum in absolvendo, & etiam in operando errat in multis, absolvit, dũ non deberet; negat debitam absolutionẽ: non examinat integre pȩnitentẽ, unde omittit plura gravia peccata, vel circumstantias manifestare; & sic circa restitutiones, vota, jejunia &c. plures errores in se culpabiles admittit. Excusabitur ne minister hìc? Quandoquidem in ipsa sua negligentia cognita simul agnoscit saltem con-

confuse inde aliqua nocumenta, & aliqualem malitiam sibi contigere posse sibi facilè occultandam, & ex defectu scientiæ, quam negligit facilè prætereundam: hoc autem satis est, ut malitia specialis cujuslibet actus, vel omissionis postea emergentis intelligatur præcognita, & prævolita in prædicta negligentia tamquam in causa antea cognita, & volita.

Confirmatur. Nemo potest ignorare obligationem sciendi ea, quæ moraliter pertinent ad suum statum, & officium; hoc enim ipsa naturalis ratio dictat: ac proinde hoc ipso cognoscit saltem exercite negligentiam, & in curiam, quam habet circa hujusmodi obligationem sciendi: ergo dum non curat debitam notitiam acquirere etiam si fortè signatè non consideret; non excusatur dum postea errat, & exercet actus in se malos, seu habet omissiones, sive cognoscat, sive non cognoscat actualiter eorum malitiam; sufficit enim cognitio virtualis, & interpretativa in causa, in qua eodem modo sunt volita.

194 Tertium modum tradit D. Thomas dicto art. 8. *Hoc igitur modo dicitur ignorantia; cum aliquis actu non considerat, quod considerare potest, & debet, quæ est ignorantia malæ electionis, vel ex passione, vel ex habitu proveniens*. Itaque modus iste est eorum, qui non curant Christi Crucem ferre, qui frænare passiones non student diligenter, qui actibus pravis in se habitus generant. Hi enim raro quod agunt malum, malum esse considerant, sed passionibus impellentibus, quod in suis actibus etiam physice plenè deliberatis, malitiam nullatenus agnoscunt. Et ideo eorum ignorantia malæ electionis dicitur, ut docet S. Doctor, quia male eligitur, quod tunc incogitanter eligitur.

Quod autem in hoc modo sit sufficiens voluntarium in causa, & imputentur actus mali causati ex inconsideratione, licet solum detur cognitio implicita, & interpretativa in sua causa, probatur: Nam prædictæ passiones, & habitus pravi, ex quibus causatur inconsideratio voluntaria, per actus pravos introducuntur, vel per in curiam culpabilem reprimendi passiones: ergo actus in se mali, vel ommissiones, quæ postea sequuntur, in directe, virtualiter, & interpretativè sunt cognita, & volita in sua causa. Prob. conseq. ex dictis; nam cognita malitia, quæ convenit causæ secundum se, cum implicitè, & virtualiter malitia actuum sequentium contineatur in ipsa, ibidem virtualiter, & interpretativè cognoscitur. Deinde quia affectus aliqua prava passione, vel habitu exercite cognoscit, immo & practice ex experientia sibi contingere posse in considerationem, & per illam occultandas aliquas malitias, & ob passiones à se illas admittendas: ergo dum non curat repellere passiones, & corrigere pravos habitus; non excusatur postea, admittens ob hanc causam actus malos, etiam si in individuo, nec in specie illos cognoverit. Hoc autem magis explicabitur art. seq.

ARTICULUS X.

Utrum detur aliquid, ratione cujus possit conscientia vincibilis deponi, & voluntas habere potentiam, & libertatem ad contrarium ejus quod conscientia dictat.

§. I.

Difficultas in ratione assignanda proponitur.

195 Certum est apud D. Thomam, & omnes Theologos conscientiam erroneam vincibilem deponi posse, & voluntatem esse liberam ad ponendum contrarium ejus, quod dictat conscientia erronea: ut si dictat vincibiliter esse mentiendum in aliquo casu, hoc dictamen debet esse deponibile, & in voluntate adesse libertatem ad licite non mentiendum. Assignare autem unde sic possit voluntas procedere, est in hac controvesia præcipua difficultas. Qua victi nonnulli recentiores, antiquorum sententiam deserentes, recursum habuerunt ad aliquam cogitationem malitiæ, dubium, remorsum, vel suspitionem necessario habendam actu, dum actualiter fit, quod in se est malum, ut operanti imputetur. Aliter enim dicunt conscientiam esse indeponibilem, & pro tunc invincibilem. Præcipua fundamenta, quibus mo-

ventur, apposita sunt supra artic. 4. §. 3. num. 80.

Et urgentur magis: nam conscientia, ut sit vincibilis petit, ut possit superari scientia opposita: Sed hoc fieri nequit absque aliqua cognitione actu habita: ergo actu vinci nequit seclusa tunc omni cognitione. Confir. 1. Nam D.Th. 1.2.q.76.ar.2. definit ignorantiam invincibilem, quæ studio superari non potest, & propter hoc cum sit involuntaria, eò quod non est in nostra potestate eam expellere, non est peccatum: Sed in hypotesi nostra absque malitiæ cognitione, nec est libera quoad malitiam, nec in nostra potestate eam repellere: ergo non erit tunc vincibilis. Confirm. Ideo conscientia erronea invincibilis talis est, quia nulla adest cognitio nec erroris, nec obligationis inquirendi, nec aliud ex quo procedi possit ad contrarium quod dictat: Sed sublata omni cognitione malitiæ, & etiam ulterius inquirendi actualiter in nostra hypotesi, datur omnino idem, ac in conscientia invincibili, ut ad contrarium nequeat procedere: ergo tunc eodem modo est invincibilis.

196 Cæterum si hæc efficaciter probant, sequitur numquam dari conscientiam erroneam vincibilem, quod est contra omnes. Etenim posita cognitione, quam hi Auctores intendunt, negari necesse est conscientiam erroneam vincibilem, ut probatum est supra art. *6*. §. *3*. Præterea ex SS. Patribus, & aliis fundamentis satis repulsus est hic modus necessitatis actualis cognitionis ad peccandum per conscientiam, vel ignorantiam vincibilem. Quod autem difficile sit assignare alium modum deponendi, seu id, ex quo voluntas possit procedere ad contrarium ejus, quod conscientia erronea vincibilis dictat, non est motivum sufficiens ad deferendam veritatem; Immo Suar. tom. 1. in 1. par. disp. 4. Ubi de ignorantia sect. 3. num. 22. recte ait: *quod ex hoc ipso quod* (modus prædictorum recentiorum) *facile exponit difficultates in hac materia, apud me redit hunc modum suspectum, & non admittendum*: Est autem mirum, quod præfati recentiores contendentes non parum statuere viam probabilitatum, & securitatem in amplectendo opiniones minus tutas, & minus probabiles, quia ut ipsi dicunt, non est invenibilis veritas sæpius in rebus moralibus; & in hac quæstione valde abstrusa velint indagare, & facile agnoscere qualiter homo peccet per conscientiam erroneam, & ignorantiam vincibilem.

197 Sane plurima in Sacra Theologia occurrunt ita in moralibus sicut in Dogmaticis, & Metaphisicis, quæ captum humanum excedunt, nec intellectus id capere, & minus explicare valet. Peccasse Angelum, & Adam est certissimum, quomodo autem peccarunt, aut peccare potuerint, difficile intelligitur: Nos liberè peccamus, facimus bonum liberè, libere salvamur, vel damnamur: & tamen hæc libertas quomodo componitur cum dependentia à prima causa, cum ejus concursu, cum efficacitate gratiæ, cum prædestinatione, & reprobatione, quid difficilius? Quis id compræhendit? Et quidem qui melius intelligit cum D. Augustino tandem recurrit ad illud. *O' altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei &c.* Hoc ipsum fecit D. Hieronymus in præsenti materia circa peccata ignorantiæ supra art. 5. §. 3. num. 101. & art. præced. num. 187. Scribens contra Pelagianos negantes peccatum originale, & similiter peccata ignorantiæ; quia non poterant intelligere qualiter sine actuali cognitione malitiæ poterat quis peccare: Rogo ajebat Pelagianus apud D. Hieron. ibi relatus; *Quæ est ista justitia, ut in peccato tenear erroris, cujus reatum non habet conscientia? Nescio me peccare, & ejus rei, quam nescio pœnas luo?* Quid autem sentiat Doctor Maximus de hoc ratiocinio supra visum est. dict. art. 5. §. *3*. num. 101. Non alia videtur difficultas supra apposita, cujus solutio constabit ex §. seq. n. 206.

§. II.

Ex Divo Thoma assignatur, quod in articulo quæritur.

198 Angelicus Præceptor non ommissit tradere id, per quod ignorantia, vel conscientia vincibilis deponi potest, & procedere ad contrarium ejus, quod dictat. Nam primo 1. 2. q. *6*. art. 3. ad *3*. docet, *quod sufficit, & requiritur*

ritur, ut sit in potestate alicujus Considerare, & velle; & agere, & tunc sicut non velle, & non agere, cum tempus fuerit est voluntarium, ita etiam & non considerare. Itaque salvatur potentia, & libertas absolute in homine dum peccat, dum simpliciter, & absolute potest vitare peccatum: Sed dum conscientia erronea est vincibilis, habet simpliciter ejusmodi potentiam, ergo per hanc potest illam deponere, & ad contrarium procedere.

Prob. min. Nam potentia ex qua libere potest voluntas procedere ad contrarium ejus, quod vult, est potentia antecedens, rem enim esse absolute possibilem attenditur ex potentia antecedenti, per illam est regulanda ratio voluntarii, non vero ex consequenti: In nostra autem hypotesi non posse tunc cognoscere malitiam, vel illam tunc repellere, & contrarium efficere, est impotentia consequens, & ex suppositione, & sic non tollit illam antecedentem, per quam salvatur simpliciter, & absolutè posse voluntatem non peccare, & contrarium ejus, quod dictat conscientia, eligere.

Hoc perspicue nos docet S. Doctor quæst. 19. art. 6. in 1. 2. ubi in 3. argumento sibi objicit: *Si ergo voluntas rationi erranti est mala, videtur, quod omnis voluntas habentis rationem errantem sit mala; & sic talis homo erit perplexus, & ex necessitate peccabit, quod est inconveniens: ergo voluntas concordans rationi erranti est bona.* En totam difficultatem circa nostram hanc controversiam. Quid ergo de novo inventum est, ut à Sancti Doctoris, & antiquiorum doctrina circa peccata ignorantiæ abscederent moderni?

199. Nunc audienda præclara Angelici Magistri solutio. *Ad 3. dicendum, quod sicut in Syllogisticis, uno inconvenienti dato, necesse alia sequi; ità in moralibus uno inconvenienti posito, ex necessitate alia sequuntur. sicut supposito, quod aliquis quærat inanem gloriam, faciat, quod facere tenetur, sivè dimittat, semper peccabit. Nec tamen est perplexus, quia potest intentionem malam dimittere. Et similiter, supposito, errore rationis, vel Conscientiæ, qui procedit ex ignorantia non excusante, necesse est, quod sequatur malum in voluntate. Nec tamen est homo perplexus, quia potest ab errore recedere; cum ignorantia sit vincibilis, & voluntaria.* Et in argumento sed contra, apponit exemplum in occidentibus Apostolos, qui ratione errante putabant obsequium se præstare Deo. In qua doctrina docet; quod supposito errore vincibili ex necessitate peccatur, quæ est impotentia consequens, vel ex suppositione; & tamèn potest ab errore recedere, quod est potentia simplicitèr, & antecedens; ex qua potest voluntas absolutè ad contrarium ejus procedere, quod conscientia dictat.

200. Prætereà idipsum docet in 2. d. 39. q. 3. ubi eodem modo ponit 5. argumentum, nimirum quod necessariò peccaret, &c. Respondet *quod hoc non est inconveniens, quodam supposito: Similitèr etiam stante erronea Conscientia, quidquid fiat, peccatum non vitatur: sed potest homo Conscientiam erroneam, sicut pravam intentionem deponere.* Itaque dum suppositio est voluntaria, non est incoveniens necessario sequi peccatum. Quod potest explicari: Contingit plerumque hominem libere actum illicitum incipere cognoscendo malitiam, ut desiderium vindictæ, vel actum libinis, illumque prosequitur, augendo illum extensivè, & intensivè absque eò quod dum magis actus intenditur, & continuatur, jam malitiam non consideret, nec advertat; quia ut docet D. Thomas 1. 2. quæst. 77. art. 1. *Quando potentia intenditur in suo actu circa unum, minus, vel ex suppositione attendere circa alium.* Quo magis intenditur desiderium vindictæ, & ardor libidinis, eò minùs, vel nihil attendit circa legem Dei, & peccati malitiam: & tamen peccatum fit majus, & malitia durat, & augetur sine advertentia illius, quin possit homo ex suppositione contrarium facere: ergo. Dices jam in principio habuit advertentiam, quod sufficit. Ita. Et tamen nec in principio cogitavit de intensione, & duratione, nec postea cogitat de malitia: jam ergo sine actuali cognitione illius peccatur, non aliò nisi, quia potentia antecedenti potest id advertere, & contrarium agere. Sic in peccante ex ignorantia, aut passione, & conscientia erronea vincibili; posita fuit causa libere,

&

& cum advertentia malitiæ ipsius: causa perseverat virtualiter, vel moraliter, & sic licet nunc non cogitet de effectu, operanti imputatur, ad quod sufficit potentia antecedens ad oppositum, ut dictum est.

201. Secundò Doctor Angelicus assignat id, ratione cujus potest quis deponere Conscientiam erroneam vincibilem, ignorantiam, & inconsiderationem, & velle contrarium ejus, quod dictat. Nimirum quia potest corrigere negligentiam, qua inducta est ignorantia; potest repellere passionem pravam, consuetudinem improbam, & habitum corruptum, ex quibus ortum habet inconsideratio, & consequenter non facere quod conscientia dictat. Ita docet 1. 2. quæst. 10. art. 2. & quæst. 77. art. 7. in corp. & ad 2. & artic. sequenti 8. in corp. & ad 2. & alibi. Et notandum, quod in his omnibus locis solum excusat carentes usu rationis, non utcumque sed permanenter, cæteris autem imputantur actus illiciti, orti ex causis jam appositis.

Et quidem merito ad prædictam facultatem recurrit Sanctus Doctor: Quia juxta illam regulam juris desumptam ex Sancto Chrisostomo, cap. omnis res de Regul. Juris in Decretal. *Omnis res per quascumque causas nascitur per easdem dissolvitur*. Per negligentiam sciendi, & vivendi benè moraliter solet nasci ignorantia, & per passiones, & concupiscentias inconsideratio circa malitiam: ergo per diligentiam sciendi, & bene vivendi potest excludi ignorantia, & per actus virtutum contrarios passionibus potest illas impedire. Numquid non habet homo in hypotesi nostra potestatem corrigendi ignorantiam per diligentiam, vel propositum efficax, & studendi, & deinceps bene vivendi, & tunc incipere diligenter Deo inservire? nec Deus ipsi deerit. ergo ex hoc potest hic & nunc procedere ad contrarium ejus, quod conscientia dictat. Pariter circa passiones habitus pravos &c. in eodem tempore, in ipso instanti est in sua potestate extinguere peccata, quibus inducti sunt illi habitus, & passiones, hasque repellere, & incipere corrigere, & tunc pœnitere; & sic ignorantia, nescientia, & inconsideratio essent involuntariæ.

202. Ergo cum habeamus hujuscemodi facultates, ex illis poterimus universaliter deponere conscientiam erroneam, ignorantias, & in considerationes ortas ex causa voluntaria illicite habita, & sic procedere ad contraria. Sicut supra artic. 5. visum est: gentiles ideo in suis ignorantijs, & peccatis per illas perpetratis fuerunt inexcusabiles: *Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt; nec gratias egerunt, sed evanuerunt &c.* Poterant autem Deum glorificare, illi gratias agere, se ipsos humiliter agnoscere, & sic ab omnibus illis peccatis cessare. Sic & multò facilius possumus in nostris ignorantijs, erroribus, passionibus &c. idem efficere Catholici.

203. Tertio etiam assignari potest modus, quo voluntas potest vitare actum, cujus malitiam impedit advertere ignorantia, passio, vel conscientia erronea vincibilis; potest, inquam, assignari ex doctrina D. Thomæ 1. 2. quæst. 6. art. 3. ad. 3. & art. 7. ad. 3. ubi, ut jam visum est, docet quod non tollitur totaliter cognitio, *quia non tollitur potestas cognoscendi, sed solum consideratio actualis, & tamen hoc ipsum est voluntarium &c.* In quibus verbis aliqua videtur involvi difficultas. Nam si cognitio totaliter non tollitur, jam videtur adesse aliqua actualis consideratio. Deinde, ex eo quod non tollatur potestas cognoscendi, quomodò infertur non tolli cognitionem totaliter? Sed si rectè perpendatur, optimè docet Doctor Angelicus.

204. Pro clariori inlelligentia notandum est ex nostris Salmanticensibns tom. 4. de peccat. disput. 10. num. 135, quod ut voluntas aliquod obiectum admittat, priùs adest cognitio illius secundum entitatem physicam (quæ licèt præcisè ut talis non sufficiat ad influendam moralitatem in actum, ut artic. præced. §. 1. dictum est) tamen si diligenter se habeat homo, potest procedere ad moralitatem, malitiam, seu bonitatem investigandum. Quia cum voluntas ex se sit inclinata ad bonum honestum, & semper sint per modum habitus principia saltem communia hujus boni; hæc inclinatio, & habitus sollicitant auctorem naturæ pro immissione præ-

prædictæ cogitationis, per quam valeat homo, quando agit liberè operari juxta talem inclinationem, & habitum; & ſi ſecus faciat, ſi prava paſſione, vel propria concupiſcentia voluntas poſſeſſa impedimentum apponat, imputatur illi, & inconſideratio eſt voluntaria: quomodo benè intelligitur non tolli totaliter cognitionem, quia adhuc adeſt poteſtas cognoſcendi, ſed ex culpa, ut in plurimum abeſt actualis conſideratio.

205. Et licet per vires naturæ homo regulariter non poſſit adducto modo actus moralitatem cognoſcere, negari non poteſt poſſe viribus gratiæ; & conſequenter, ſi his non utitur, à peccato non excuſari. Quare ipſe Doctor Angel. verbis, & exemplo id nos docet opuſc. 73. de uſuris: ibi: Omnis homo à natura non degenerans veritatem amat, & eam ſuper omnia deſiderat. Quam ſi concupiſcit verò corde, & eam quæſierit in ſimplicitate cordis ſui, ipſa ſe ipſam manifeſtabit; & Deus, qui hoc promittit, verus eſt, & eam præbet diligentibus ſe, ſicut ſcriptum eſt cap. 6. Fili concupiſce ſapientiam, accede ad illam; & Dominus præbebit eam tibi. Invoco ergo ipſam, ne me errare permittat in periculum animæ meæ.

206. Quare Divus Auguſtinus tractans in terminis hanc noſtram controverſiam, & reſpondens Pelagianis, & Manichæis negantibus peccata ignorantiæ, quia in illis malitia non agnoſcitur, & conſequenter auferebatur potentia ad peccandum: S. Doctor potentiam cognoſcendi, & etiam non peccandi aſtruit; quia quiſque poteſt ad Deum recurrere, illumque exorare, & utiliter ſic ſcire, quod ignorat, & peccata vitare, & ſi ita negligit efficere, à peccato non excuſari. Ejus verba dedimus ſupra art. 5. §. 4. num. 106. ex lib. 1. de liber. arb. cap. 19. & cap. 20. etiam conteſtatur facultatem prædictam haberi ab anima, & ſcientiam poſſe habere, ait; *quòd Anima adiuvante Creatore ſe ipſam excolat, ut pio ſtudio poſſit omnes acquirere, & capere virtutes, per quas ſi difficultate cruciante, & ab ignorantia cæcante, liberetur. Quod ſi agere noluerit, peccati rea jure tenebitur, tamquam, qua non bene uſa eſt facultate quam accepit*. Hæc Divus Auguſtinus. Habet ergo homo, quod ſufficit, ut in hypoteſi noſtra poſſit deponere conſcientiam erroneam vincibilem, & conſiderare, vel cogitare malitiam, & contrarium facere ejus, quod dictat conſcientia.

Ex quibus patet reſpondio ad Argumentum in principio articuli: quamvis nulla adſit cognitio, hoc provenit ex propria culpa; & deindè habet plura, ex quibus poteſt malitiam cognoſcere ſaltem potentia antecedenti, & ignorantiam ſuperare, paſſiones impedire, & expellere. Nec adeſt eadem ratio, ac in conſcientia erronea invincibili: quia hæc eſt omnino involuntaria, nec ejus cauſa fuit aliquod peccatum; & conſequenter excuſat, nec error imputatur ad culpam. Undè conſtat reſponſio ad 1. & 2. confirmationem.

ARTICULUS XI.

Unde homo poſſit cognoſcere peccaſſe per ignorantiam, & paſſiones pravas, & habitus vitioſos.

§. I.

Difficultas circa hanc cognitionem.

207 Adhuc manet non levis difficultas circa præſentem controverſiam. Dicet enim aliquis: Quomodo poteſt homo indagare, & cognoſcere peccaſſe per ignorantiam, & quot peccata admiſiſſe per illam, aut per paſſiones pravas habitus corruptos &c. ſi nullam habuit cognitionem dum peccat? & conſequenter quomodo de ipſis dolere, & in tribunali confeſſionis illa manifeſtare? Et augetur difficultas. Nam apponere obligationem, quam nullatenus quis cognoſcit, quid aliud eſt niſi velle animas ducere in Cœlum per abſtruſas, & incertas, immo, & incognitas vias, & ſic corda hominum replere anxietatibus, & ſcrupulis; cum viæ Domini, ſeu ejus præcepta clara ſint, ut nobis proponit Propheta: *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos* Pſ. 18. Iterum augetur difficultas. Nam ſi ratione ignorantiæ, & paſſionum ſine aliqua cognitione peccaret

ret homo, dum maneret ignorantia, & passiones, tamdiu peccaret, & continuo peccaret; hoc autem absurdum videtur; nam ignorantia, & passiones sunt habitus, & habitibus non meremur, nec demeremur, ut notum est; ergo per hujusmodi causas non peccatur, ac proinde est de re non supponente per ignorantias, & passiones peccari.

§. II.

Proponitur resolutio, & modus se hominem gerendi in tali casu.

208 CÆterum non est sufficiens adducta difficultas, ut ob illam veritatem deseramus, & à doctrina S. Scripturæ, & SS. Patrum in minimo discedamus. Quid mirum quod circa materiam hanc adsit difficultas; siquidem ipsum nomen ignorantiæ, & inconsiderationis, ob quas peccata fiunt, indicat esse occultiora, & latentiora in suo genere: Etenim ut ignorantia excuset, adhiberi debet diligentia juxta qualitatem materiæ, alias est voluntaria saltem indirectè, & in hoc conveniunt auctores contrarii. Quis taxare potest diligentiæ quantitatem? ergo etiam in doctrina sua datur difficultas posita. Passiones, & pravi habitus sunt causa peccatorum ignorantiæ, vel inconsiderationis: quantum autem superbiæ, avaritiæ, luxuriæ &c. magnitudo, modus, & continuatio reddat eas voluntarias, ut superbus &c. dignus sit, quod per ignorantias non excusantes à Deo puniatur, nec nos agnoscere possumus, & nostrum determinare non est; sed relinquere Dei judicio, qui est cordium hominum scrutator. Quare rectè admonuit Suarez t. 1. in 1. 2. tr. 2. disp. 4. sect. 3. num. 27. *Hoc explicare, & discernere in particulari excedit, ut existimo facultatem humanam: & hoc fortasse dictum est: Pravum est cor hominis, & inscrutabile*. Hierem. 17. & illud Ps. 18. *Ab occultis meis munda me Domine*. Deus enim vult nos esse humiles, & quod nostram fragilitatem, insipientiam, & vilitatem agnoscamus, nec nobis ipsis, aut scientiæ nostræ confidamus.

209 Nec alicujus, momenti est recursus ad difficultatem, ad afflictiones, anxietates, scrupulos &c. quod apud professores recentis probabilismi desequenda qualibet opinione probabili magni momenti æstimatur. Ipsi enim hæc vitare non possunt, quantumvis curent obligationes minuere, & peccata excusare. *Admittamus* (inquit Suar. n. 21.) *quod juxta illorum modum excusarentur homines à multis peccatis, perplexitatibus, & scrupulis*: sed qualis sit hæc excusatio mox explicavit n. 22. *Excusabuntur homines facillime à culpis, quæ libere committunt*. Erit ergo statuenda hæc excusatio?

Præterea in ipsis peccatis, quæ ex genere suo pertinent ad peccata cum cognitione actuali commissa, quanta difficultas adest in illis discernendis? quoties in his dubii manemus, quid nobis contigerit, qualiter circa illa nos habuerimus, circa species, circa numerum? An tentationi sufficienter restiterimus? An delectatio morosa satis deliberata, aut voluntaria fuerit? An in addiscendis his, quæ ad nostrum statum, & officium pertinent, fuerimus sufficienter diligentes, & an negligentia, & ignorantia aliquorum sit nobis imputabilis? Quid de dispositione requisita ad fructuose administranda, & recipienda sacramenta, & passim circa alia plurima? Quanto magis circa peccata ignorantiæ, & inconsiderationis difficilius scire, & determinare: istæ, & istæ cognitiones requiruntur ad hoc, ut ignorantiæ, inconsiderationes, & peccata (ex ipsa ignorantia, & passionibus orta) sint voluntaria, & ex illis resolvere nos, aut alios nec ignoranter peccasse. Itaquè consolativum recentiorum supra indicatum, re ipsa animarum saluti non videtur prodesse: alias etiam à Divino Magistro nostro esset silendum, nec nobis dicendum illud: *Arcta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam*. Nec illud. *Qui odit animam suam in hoc mundo &c.* lex Evangelica, quid aliud nisi Crux, & afflictio secundum carnem? S. Scriptura sæpè sæpius timorem incutit: de quo Proverb. 28. *Beatus vir, qui semper est pavidus*. Et Ps. 118. *Confige timore carnes meas a judiciis enim tuis timui*. Et S. Bern. ser. 26. *Ubi vero timor non est, ibi perditio animæ est. Ubi timor non est, ibi dissolutio vitæ est. Ubi timor non est, ibi est abundantia peccatorum.*

Un-

Unde justi semper vivunt inter timorem, & spem, semper suspecti de modo suo operandi.

210 Quapropter, ut animæ saluti diligenter attendamus: & repellamus ignorantias, & passiones, & malos habitus, est optimum medium sæpe elicere actus contritionis, & charitatis, retractando efficaciter quidquid contra Dei voluntatem, & obligationes nostras commiserimus, simul cum Propheta Patrem misericordiarũ exorantes: *Ab occultis meis munda me: & ignorantias meas ne memineris.* Hoc modo ignorantiæ, & inconsiderationes involuntariæ reduntur, & deinceps licet aliqui errores, vel peccata sequantur, erunt materialia, nec imputabuntur. Ut tradit D. Thom. 1. 2. qu. 76. artic. 2. ad 4. *Dicendum, quod licet transeunte reatu per pœnitentiam, remaneat ignorantia, secundum quod est privatio scientiæ, non tamen remanet negligentia, secundum quam ignorantia peccatum est.*

Præterea: licet quandoque peccatum defacto commitatur absque aliqua actuali cognitione; multoties agnoscitur postea id, quod factum est, legi, vel divinæ voluntati in se contrarium; ut experientia testatur, & ipsa Scriptura S. id supponit; ut supra art. 5. §. 1. visum est ex Levitico c. 4. Ubi dicitur: *Et postea intellexerit peccatum suum; offeret &c.* Cognita ergo actione in se illicita, si fuerit circa id, quod quis scire potest, & debet, ut supra explicatum est, debet agens de peccato dolere, & illud in confessione aperire. De quo infra à num. 1058.

211 Sed est notandum, quod aliquando contingit in considerationem, aut defectum cognitionis malitiæ alicujus, quod in se illicitum est, provenire ex aliqua actuali naturali oblivione, vel inadvertentia inculpabili; eò, quod non procedit ex aliqua voluntaria negligentia, vel prava consuetudine, aut habitu vitioso; sed revera oblivio, & inadvertentia est pure naturalis, quæ in potestate nostra non est, quatenus memoriam hominis præterit, nec circumstantia objecti est in ejus potestate, quod ejus memoriam non prætereat: & sic ignorantia talis, seu nescientia non est consequens, sed antecedens, quæ omnino excusat. Hoc enim regulariter contingit in viris timoratis, qui sedulo incumbunt scire, quæ ad se pertinent, & diligenter intendunt voluntatis Divinæ adimpletioni: non ita intepidis, & in illis, qui rebus mundanis dediti non diligenter curam habent circa custodiam animæ suæ ab illicitis, vel temporalibus commodis. Exemplum ponit Cajetanus 1. 2. qu. 6. artic. 8. in eo, qui firma intentione perseverans nullo modo peccandi mortaliter, & sciens contractum usurarium esse vitandum, & non recolens hunc esse talem, contractum facit, non peccat mortaliter. Idem similiter sciens Socratem sibi notum, esse nominatim excommunicatum, & tamen communicans cum eo indivinis, ex hoc, quod non actualiter illi occurrit esse excommunicatum, non peccat mortaliter. Et concludit Cajetanus: *Et hoc pro consolatione bonarum mentium, ibi culpam timentium, ubi non reperitur, notanda, applicandaque sunt, occurrentibus casibus.*

212 Ex quibus constat responsio ad difficultatem appositam §. 1. Jam enim dictum est, qualiter homo se debeat gerere, dolere de peccatis ignorantiæ, confiteri &c.

Ad 1. difficultatis augmentum etiam dictum est, quid sentiendum de consolativo tollendi difficultates, scrupulos, & anxietates. Si quæ ex tradita doctrina in aliquibus nascantur, non illam, ut novam invehimus, sed ex Sacra Scriptura, SS. Patribus, & fundamentis solidis statuimus. Ad 2. dicendum, quod per passiones, & ignorantiam, quæ sunt per modum habitus, non sunt in se formaliter peccata, nec sistendo ibi peccat quis formaliter, sed sunt causæ, vel effectus peccati: quatenus vero sunt actus, & exercitium potentiæ, tunc peccatur formaliter, sed de hac clarius §. seq.

§. III.

Ignorantia actualis est peccatum in se, non vero habitualis, & idem de passionibus. Declaratur quando ignorantia est distinctum peccatum ab operatione, quam causat.

213 Notandum est primo, quod ignorantia (idem est de passionibus, & habitibus vitiosis) dividitur in habitualem, & actualem. Prima, cui absolutè convenit nomen ignorantiæ, est carentia scientiæ, vel notitiæ debitæ: unde ignarus non dicitur, qui actu non cognoscit, vel non considerat, sed qui non potest cognoscere, vel considerare. Actualis vero dicit privationem actualis cognitionis, vel considerationis, quæ magis proprie est inconsideratio, & ideo dicitur ignorantia privationis ad differentiam ignorantiæ malę dispositionis, quæ potius est error positivus actualis, vel habitualis. Itaque ignorantia habitualis est ad modum habitus vitiosi, & non per modum exercitii potentię, sed est terminus, vel principium talis exercitii; sicut in habitu scientiæ. Ignorantia vero actualis habet se per modum actus secundi, vel actualis exercitii potentiæ, in qua residet: sicut omissio actus debiti.

214 Loquendo igitur de ignorantia actuali vincibili certum est esse peccatum actuale: Nam omnis omissio actus debiti, supposito quod sit voluntaria, est peccatum formaliter: sed ignorantia vincibilis est ommissio actus debiti, & alias voluntaria, alias non esset vincibilis: ergo est formaliter peccatum. Tum deinde quia quicumque actus, vel ommissio voluntaria est causa peccati, est in se formaliter peccatum; ut ludus (etiam alias licitus) qui est causa ommissionis audiendi sacrum: sed ignorantia de qua loquimur est causa peccati per modum voluntariæ ommissionis, nam ex hoc, quod ignoratur vincibiliter dies festus, laborat, & non audit sacrum: Ergo etiam ipsa est peccatum.

215 At vero ignorantia habitualis non est peccatum formale in se: ita communiter docent auctores, ut tradunt, & sequuntur N. Salmant. de peccat. disp. 13. num. 27. Nam peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra Legem Dei: sed nullum horum est ignorantia habitualis, cum non sit potentiæ exercitium: ergo. Tum etiam à paritate: Nam alii habitus vitiosi non sunt formaliter peccata, nec ipse habitus erroris positivus, nec hæresis, luxuria &c. quamvis pejoris conditionis quam habitus privativi, qualis est ignorantia habitualis: ergo nec ipsa est peccatum formaliter: Scitum enim est illud: *Habitibus nec meremur, nec demeremur*.

Dices: Quod est causa voluntaria peccati, eo ipso est peccatum, etiamsi ex se peccatum non sit: qui enim apponit causam, ponit effectum moraliter, licet non sequatur, cum sit virtualis volitio illius: sed ignorantia est causa voluntaria multorum peccatorum, quæ ex ea sequuntur: ergo. Respondetur, neg. mai. de causa habituali. Causa enim solum est peccatum, quando est per modum actus secundi, sive sit actus positivus, sive ommissio, & dum est virtualiter, vel formaliter exercitium potentiæ, sicut in aliis habitibus vitiosis. Peccatur vero quando ponitur ipsa causa, nimirum ignorantia habitualis, & etiam quando ipsa causat effectum: sicut in aliis habitibus, vel passionibus vitiosis. Et ideo dicuntur peccata in sua causa, & etiam in effectu actuali ex ipsis sequuto.

216 Dubitabis circa ignorantiam actualem, an sit ratione sui peccatum, & ab opere, quod causat, distinctum. Quia ignorabas vincibiliter diem festum, ommisisti sacrum: an hæc ignorantia ex se sit peccatum, & ab ommissione distinctum? Pro responsione est notandum, quod hujusmodi ignorantia causatur ex negligentia sciendi, quod quis potest, & debet scire, ut sæpius dictum est. Quare hæc duo unum tantum constitunt moraliter peccatum, licet ignorantia sit in intellectu, & negligentiam in voluntate. Not. 2. Quod dupliciter dicitur aliquid esse peccatum; Primo secundum se, & ratione sui, & hoc ipso est peccatum in se: ut recitationis debitæ ommissio, quæ non ratione alterius, sed ex se prohibetur. Secundo potest esse peccatum non secundum se, vel ratione sui; sicut studium, dum est causa ommissionis recitandi, est peccatum

in se, sed non secundum se, & ratione sui, sed ratione ommissionis, cujus est causa.

217 Notat. 3. Scire oppositum alicui ignorantiæ, aliquando esse debitum secundum se, & ratione sui, sine ordine ad aliquam operationem, quæ per notitiam debitam dirigatur, vel exerceatur. Aliquando vero est debitum scire pro dirigenda, exercenda, vel aliqua operatione. Primo modo debitum est inter Christianos habere notitiam articulorum fidei sine respectu ad aliam operationem, sed ut per illam intellectus illustretur, & perficiatur: idem communiter sentiunt auctores circa notitiam debitam præceptorum Decalogi, & Septem Sacramentorum. Idemque respectu aliquarum personarum dicendum, ut sunt Episcopi, Prælati, Parochi, Magistri &c. debent habere majorem, magisque distinctam notitiam. Secundo modo: tenetur quis habere notitiam ad regulandam, & exercendam suam operationem, qua sciat, quid faciendum circa res secundum jus ad se pertinentes, ut quod in tali die est festum, tali die tenetur recipere Sacramenta &c. & etiam, qua sciat recte exercendum suum factum, à conjugato quæ sit propria mulier, & non aliena, ad quam accedat, à venatore an sit fera, vel homo, dum latet in sylva, & vult jaculum, vel sagittam jacere, & tota hæc notitia eò tendit, ut actus prohibiti vitentur, & debiti exerceantur.

218 Dicimus ergo: quod ignorantia priorum rerum, quarum notitia debetur haberi ratione sui, est distinctum peccatum ab aliis peccatis, quæ ex ipsa sequuntur. Nam quoties actus ratione sui debetur, ommissio ejus secundum se, & ratione sui peccatum est: ut in auditione sacri, quia ratione sui est præcepta, ommissio illius secundum se, & ratione sui est peccatum: ergo quando notitia ratione sui debita est; negligentia, & ignorantia voluntaria etiam secundum se est peccatum, cum sit illius ommissio. At vero quando ignorantia est earum rerum, quarum notitia non ratione sui, sed præcisè est debita ratione alterius, nimirum pro dirigendis, vel exercendis aliis operationibus, licet sit peccatum in se, non ratione sui, sed ratione operationum, vel ommissionum, quarum causa est. Unde nec est speciale peccatum, nec distinctum à peccatis, quæ ex illa sequuntur. Quia sicut scientia, vel notitia solum debetur, non propter se, sed propter regulandam operationem, ita ommissio sciendi, seu negligentia, & ignorantia, non sunt mala ratione sui, & secundum se; sed quia causat actum, vel ommissionem illicitam. Ut actus studii, qui fuit causa non recitandi, in se fuit peccatum, solum ratione ommissionis.

§. IV.

Quando incipiat peccatum ignorantiæ, & ommissio sciendi, quod homo tenetur scire.

219 HAnc difficultatem, quæ non levis est, nobis tradidit perspicuam Ang. Præcept. 1.2. q.74. art.2. ad 5. Ubi sic ait: *Quod sicut in aliis peccatis ommissionis solo illo tempore homo actu peccat, pro quo præceptum affirmativum obligat; ita est etiam de peccato ignorantiæ. Non enim continuo ignorans actu peccat, sed solum quando est tempus acquirendi scientiam, quã habere tenetur*. Hæc ibi. Unde quando homo tenetur scire oppositum alicui ignorantiæ non ratione alterius, sed ex se, & ratione sui (ut sup. §. præc. n. 217. dictum est, ut sunt articuli fidei, Præcepta Decalogi &c.) peccatum ignorantiæ illorum incipit, & incurritur, quandocumque aliquis potest addiscere illa, & non addiscit, inspectato etiam alio tempore, vel cujuscumque alterius periculo. Unde si occasio addiscendi multoties divisè occurrat, erunt distincta numero peccata. Sicut dicitur in ommissione restituendi: toties fit novum, & distinctum numero peccatum, quoties quis divisè potest, & debet, & non restituit.

220 At in alio casu quando ignorantia est earum rerum, quarum notitia debet haberi non ratione sui, sed ad dirigendam operationem, vel vitandam ommissionem, ut notitia, *talem diem esse festum*, ut quis audiat missam, & non laboret, peccatum ignorantiæ solum incipit, & incurritur, quando est tempus acquirendi scientiam, quam

quam quis habere tenetur, ut ait D. Thomas: nimirùm quandò advenit terminus peremptorius adimplendi legem. Ut si hora nona celebratur in hoc loco Missa, & non datur occasio aliam audiendi, tunc ommissio sciendi, & ipsa Missæ ommissio imputatur ad peccatum per modum unius. Et ratio est; quia ea, quæ præcipiuntur ratione sui, habent terminum determinatum, & consequenter solùm obligant ad ipsa scienda pro tempore illo, pro quo obligant; & si tunc sciantur, non imputatur ad peccatum nescientia. Ignoras, vel non cogitas talem diem esse festum ex propria negligentia, & perseveras usque ad horam nonam, in qua datur opportunitas illam audiendi, & tunc recordaris, & adimples tunc præceptum; nec toto tempore antecedenti peccasti, quia non aderat adhùc obligatio pro tunc, nedum advenit terminus peremptorius, quia in illo præceptum non violasti. Si verò in hoc termino ommisisti, quia usque ad illum inclusivè perseveravit ignorantia vincibilis, tunc incurris peccatum ignorantiæ, indebitæ occupationis, & ommissionis audiendi Sacrum, sed non ideò plura peccata committis, sed unum, cujus malitia est in illis tribus.

221 Dices: Ignorantia omnis peccaminosa semper consistit in aliqua negligentia voluntaria debitæ scientiæ; aliàs non esset peccaminosa; sed cùm hæc ommissio debeat habere actum aliquem tanquam sui causam, debet supponere prædictum actum, qui etiam erit peccatum: ergò jam supponitur aliquod peccatum ante terminum peremptorium obligationis legis.

Respondetur ignorantiam actualem, seù in considerationem actualem vincibilem semper habere aliquam causam, vel antecedentem tempore, vel simul. Antecedenter, quandò provenit ex ignorantia habituali, habitibus vitiosis, &c., & tunc cùm hæc habitualis ignorantia vitiosa sit effectus actus peccaminosi; jam supponit ignorantia actualis, & negligentia actus voluntarios peccaminosos, ex quibus radicaliter procedit. Sed quia hujusmodi actus jam transierunt, non dicitur quod incipiunt, dum violatur nunc lex, nec ex vi hujus legis; sed solùm incipit peccatum actuale ex ignorantia. Simul verò etiam contingit dari actus, qui sunt causa negligentiæ sciendi, vel cogitandi de adimpletione, ut dum advenit tempus audiendi Sacrum, homo immoderatè, & vehementer sese tradit ludo, vel alteri occupationi, ob quod impeditur cogitare de obligatione, & quia id debebat considerare, negligentia, & ignorantia est peccatum grave.

222 Præterea incipiunt etiam peccata ex ignorantia, quandò quis probabili periculo se exponit ignorandi obligationem legis; quia ex tunc incipit volitio virtualis illa peccata committendi contenta in eodem periculo; undè sicut cessante omninò hoc periculo non imputantur; ità ex quo existit tale periculum, incipiunt imputari, adestque jam in ignorantia eorum malitia, quamvis de facto ommissio non sequatur; quia jam dum quis se exponit periculo violandi legem, illam contemnit. Idemque dicendum est de peccatis sequutis ex ignorantia facti, seù in consideratione circa res facti.

Tertiò contingit (quod est valdè timendum) facilitatem committendi cum advertentia plura peccata venialia, & incuriam de illis efficaciter dolendi, & emendandi, esse causam, vel occasionem prædictæ ignorantiæ actualis, vel inconsiderationis, ut homo cæcutiat, se decipiat putans non esse grave, quod reipsa grave est: nec existimet peccare mortaliter, & de facto sic peccare propter vincibilem ignorantiam actualem. Quod quidem est maximè formidandum, & pariter cavendum id, quod non raro dicitur, dum occurrit aliquid culpam venialem non excedens: *Quid hoc interest? Levis culpa est: solùm per aquam benedictam aufertur.*

223 Versat hoc S. Greg. Magn. 3. part. sui Pastor. admonit. 34. *Admonendi sunt, qui quamvis in minimis, sed tamen frequenter excedunt, ut nequaquam considerent qualia, sed quanta committunt. Facta enim sua, si despiciunt timere, dum pensant, debent formidare, cùm numerant. Altos quippè gurgites fluminum parvæ, sed innumeræ replent guttæ pluviarum. Et hoc agit sentina latenter excrescens, quod patenter procella sæviens. Hinc videlicet scriptum est,* (Eccl. 19.) *Qui modica spernit, paulatim decidet. Qui enim peccata minima flere, ac devi-*

devitare negligit, à statu justitiæ non quidem repentè, sed partibus totus cadit. Admonendi sunt, qui in minimis frequenter excedunt, ut solicitè considerent; quia nonumquam in parva deterius, quàm in majori culpa peccatur: Undè fit plerumque, ut mens assueta malis levibus, nè graviora perhorrescat, atque ad quandam auctoritatem nequitiæ nutrita per culpas perveniat, & tantò in majoribus contemnat pertimescere, quantò in minimis didicit non timere. Hujus qualitatis erat ille, de quo Apocal. cap. 3. ait ipsa Veritas: *Dicis, quia dives sum, & locupletatus valdè: Et nescis, quia miser es, & miserabilis, pauper, cæcus, & nudus.* Non enim sibi videbatur in grave aliquod cadere, sed quia cæcus, id non videbat.

§. V.

Resolvitur, quænam conscientia erronea, aut ignorantia excuset totaliter à peccato.

224 EX dictis in tota hac nostra quæstione 4. intelligi potest, quænam sit conscientia erronea, quænamque ignorantia, inconsideratio, aut inadvertentia sit inculpabilis, & totaliter à peccato excusans. Constat ergò esse illam, quę non est volita, nec in se, nec in aliqua sui causa: & propterea dicitur antecedens, quia præcedit omnem culpam, ex qua procedat. Hoc contingit tam in ignorantia juris, quàm facti, tam in ignorantia actuali, quàm habituali; dum homo nullam haberet notitiam de lege, nec potuit, nec debuit habere, nec prudentem rationem dubitandi de illa: v. g. Hispanus accedit ad Italiæ partes in aliqua vigilia, vel die Quatuor Temporum, nescit, & non venit in illius mentem obligatio abstinendi à lacticiniis apud Italos, quia in Hispania his diebus juxtà consuetudinem licita sunt, & sic ignoranter ab illis non abstinuit. Nullo modo peccavit. Idem contingit, & facilius in rebus facti; ut patet in accessu Jacob ad Liam, putans esse Rachelem.

225 Itaque dum quis nescit, nec scire tenetur aliquid, eò quòd nec ad suum statum, nec officium pertinet, juxtà superius dicta, licèt ignoret, & ignoranter contingeret errare, non peccaret; quia non esset voluntarium, & quod non est voluntarium peccatum non est. Explicatur in arte Medicinæ, & in arte Nautica. Ad Medicum per se pertinet tamquam proprium ejus agibile cura Infirmorum, alioquin tenetur de damno, quod illis ob imperitiam infert; quia cùm imperitia ipsius connectitur periculum illorum. Econtrà verò, qui Medicus non est, & ex necessitate, nullo Medico existēte, & charitas exigit, ut Infirmi curam habeat, & sic facit eo meliori modo, quo scit, prudenter circa cibum, potum, &c. Nec potest à cura illa desistere, alioquin majori periculo relinqueretur infirmus; tamen erravit in modo, & infirmus mortuus est; non imputatur: ob rationem appositam. Item: Navigantibus; orta valida tempestate, cùm Nauclerus perjisset, nec adest, qui navem secundùm artem regat, & tu in ea necessitate, eo modo, quo tibi meliùs videtur, eam regere assumis, quia alius non est, qui melius sciat, & ex imperitia tua patitur navis naufragium, non propterea debet tibi moraliter imputari. Idem in aliis casibus similibus. Quia cum contingunt, ut supponitur, quid rectè faciendum sciri non potest: antea verò id nescire non fuit in culpa, quia ad illos per se non spectabant, nec circumstantia casualis antea prævideri poterat ut futura; sed ad summum, ut possibilis per accidens, ac proindè, quæ non debet in considerationem venire.

226 Præterea redditur ignorantia, & conscientia erronea invincibilis; quandò superveniente aliqua cognitione, suspicione, vel dubio circa aliquam actionem nunc, vel tempore sequenti exercendam, vel ommittendam, & homo, ut honestè agat, adhibet diligentiam, quam potest juxta rei exigentiam, præcepti gravitatem, & personæ conditionem requiritur, & tandem existimat prudenter quadam morali certitudine (juxta dicta sup. q. 3. art. 2. à n. 27.) non adesse obligationem, licèt reipsa adesset, ignorantia esset invincibilis, ut ibi probatum est, & infrà 2. par. qu. 5. à n. 856. Sed notandum non sufficere (quod plures recentiores probabilissimi professores volunt) non invenire per scientiam dari obligationem, seu existimare, quod certò, & manifestè non adest obligatio. Hoc enim falsum

falsum est; quia ad hoc ut conscientiá erronea, vel ignorantia posśit deponi, satis est dari pro parte obligationis ratio prudens dubitandi. Itaque quandò adest dubium, debet quis judicare quadam morali certitudine obligationem abesse, alioquin, quod tutius est, debet eligere, de quo egimus supra art. 3. §. 4. & q. seq. n. 250.

ARTICULUS XII.

Utrum dum homo operatur conscientia erronea invincibili, actus eliciti possint esse honesti, & meritorii.

§. I.

Præmittuntur aliqua.

227 Supponendum est primò, quòd ut aliquis actus sit honestus, & bonus moraliter, debet attingere, seu referri ad bonum finem, & honestum: & quia potest referri ad plures fines honestos, potest etiam participare diversas honestates, itaut cum actu primo in executione plures illi adveniant in intentione: ut ex se constat. Deindè supponēdum, quod difficultas procedit de conscientia errante invincibiliter, ut dum ignorantia invincibili judicatur malum esse bonum; sive ignorantia sit juris, sive facti: v.g. in sententia asserente posse hominem rusticum ignorantia invincibili mentiri ad conservandam vitam, aut in eo, qui jurat aliquid falsum existimans invincibiliter esse verum: idque jurat pro servanda Fide Catholica, intendens Deum sic venerari, & ipsi placere. Idem, quandò quis dubitat de honestate contractus, & facta diligentia, quam potest, judicat esse verè probabile, & tutum, illum exercere, idque facit ad subveniendum parentibus, & ad augendum cultum divinum, &c.

228 Deniquè supponendum actum illum mendacii, vel juramenti emisśi ignorantia invincibili posse dici bonum negativè, quatenùs interveniente hujusmodi ignorantia, nequit esse malus formaliter; quia ad hoc, ut esset formaliter malus, necesse est, quod sit voluntarius; ignorantia autem invincibilis tollit voluntarium, ut constat ex supradictis, & pasśim tradit D. Thomas. Quarè difficultas ad duplicem reducitur inspectionem. Prima, an actus ille juramenti, vel mendacii in tali hypothesi sit bonus, honestus, & meritorius? Secunda, dato quòd ita non sit, alii actus intentivi honesti sint, & meritorii?

§. II.

Actus regulati per conscientiam erroneam non sunt boni moraliter, nec meritorii.

229 Probatur manifestè ex D. Thomâ 1. 2. qu. 19. art. 6. Ubi hanc eandem quæstionem excitat: nimirum: *An voluntas concordans rationi erranti sit bona.* In primis præmittit, quod ista quæstio est eadem cum illa: *Utrum conscientia erronea excuset.* Quasi diceret: dum de ratione errante disputatur; solum quæstio esse potest: an excuset, vel non excuset. Pro quo distinguit errorem involuntarium saltem indirectè, & in involuntarium totaliter provenientem ex ignorantia invincibili se remittens ad quæst. 6. art. 8. Ex quo concludit errorem rationis, voluntarium directè, vel indirectè, non excusare; totaliter autem involuntarium etiam indirectè excusare. Itaque tota doctrina corporis articuli est de excusare, vel non excusare, quare vel valde di-minutè S. Doctor quæstionem determinavit, vel supponit non dari rationem aliquam dubitandi in eo, quòd in casu quæstionis voluntas bona, & honesta non sit.

230 Nec quoad hanc partem resolutionem ommisit: in responsione enim ad argumenta illam nobis perspicuè tradit: Quorum primum est contrarium sentientium Achiles. *Sicut enim voluntas discordans à ratione tendit in id, quod ratio judicat malum, ita voluntas concordans rationi tendit in id, quod judicat bonum: Sed voluntas discordans à ratione errante est mala: ergo voluntas concordans etiam rationi erranti est bona. Resp. Ad 1. ergo dicendum, quod sicut Dionysius dicit in 4. cap. de divin. nom. Bonum causatur ex integra causa, malum autem ex singularibus defectibus. Et ideo ad hoc ut dicatur malum id, in quod fertur voluntas, sufficit, sive quod secundum suam natu-*

naturam sit malum, sive quod apprehendatur ut malum: sed ad hoc quod sit bonum, requiritur, quod utroque modo sit bonum. Hæc ibi.

231 Nec valet dicere S. Doctorem loqui non de bonitate, & honestate formali, sed solum de materiali, & hanc solam negare, quatenus voluntas concordans rationi erranti reipsa, & materialiter est contra legem Dei. Non, inquam valet: quia absolutè, & simpliciter negat esse bonam: ergo loquitur de bonitate formali: nam iste est modus loquendi sapientum: bona simpliciter negare de aliquo sine restrictione, si bonum est formaliter, revera est falsum, & sic proprie loquendo deberet dici bonum simpliciter, & cum addito non bonum materialiter. Præterea instatur exemplo adducto ab ipso Ang. Doctore in eadem quęst. art. 5. in actione credendi in Christum, dum voluntas discordans à ratione errante est materialiter bona, & formaliter mala: & tamen ibi non dicit esse bonam: ergo dum negat D. Thom. bonitatem alicui actioni simpliciter, non loquitur de bonitate materiali, sed formali. Et confirmatur ex verbis ipsius in respons. ad 2. in d. art. 6. Ubi ait: *quod lex æterna errare non potest: Sed ratio humana potest errare: Et ideo voluntas concordans rationi humanæ non semper est recta, nec semper est concordans legi æternæ.* Ubi negat talem voluntatem esse rectam: ergo negat esse honestam: deinde si esset bona, & honesta formaliter, certum est concordare legi æternæ: quod ille etiam negat.

232 Præterea adducta responsio est contra doctrinam S. Doctoris de verit. q. 17. art. 4. ibi enim quærit: *Utrum conscientia liget. Dicendum* (respondet) *quod circa hoc sunt diversæ opiniones. Quidam enim dicunt, quod conscientia potest errare, vel in his, quæ per se sunt mala, vel in indifferentibus... Conscientia igitur errans in his, quæ sunt per se mala non ligat, in indifferentibus ligat. Sed qui hoc dicunt non videntur intelligere; quid sit conscientiam ligare. Secundum hoc conscientia ligare dicitur, quòd aliquis nisi conscientiam impleat, peccatum incurrit; non autem hoc modo, quod implens rectè faciat. Non igitur propter hoc conscientia dicitur ad aliquid ligare, quod si illud fiat, ex tali conscientia bonum sit: Sed quia, si non fiat peccatum incurrit.* Quid clarius: *& contrarium sentire*, ait, *esse non intelligere.* Non ergo adest tunc honestas, sed excusatio, dum est invincibilis talis conscientia; Ut ibi etiam docet ad 5. *Non concluditur quod conscientia erronea non liget ad peccatum, si non impleatur; sed si impleatur, excusat à peccato.*

233 Probatur secundo assertum, & simul impugnatur superior responsio: ex Corp. art. 6. jam citati. Opus ex conscientia erronea invincibili factum non est voluntarium, dum in se malum est: ergo nequit esse bonum moraliter: conseq. constat: quia actus involuntarii ad ordinem moralem non pertinent. Ant. Prob. Nam error invincibilis causat involuntarium respectu objecti, vel circunstantiæ, quæ sic ignoratur: sed in hypotesi nostra jurans, quod in se falsum erat, errat invincibiliter circa malitiam, seu moralitatem objecti: ergo dum eligit sic jurare, non procedit voluntariè: si enim sciret esse falsum, nullatenus juraret.

Ponamus te habere intentionem non contrahendi matrimonium nisi cum fœmina, quæ sit nobilis, & hoc sæpe protestaris: contigit Petrum amicum tuum, cui valde fidis, tibi ostendere Catharinam, & asserere esse nobilem, tibi valde convenientem. Nixus huic informationi credens esse nobilē, illam ducis in uxorem, aliter non ducturus. Erit ne hoc matrimonium validum? Absq; dubio nullum judicabitur, quia involuntarium simpliciter propter errorem invincibilem, immo propter voluntatem tuam contrariam. Ad rem: Tu cum sis vir timoratus habes propositum numquam falsum jurandi, nec peccatum saltem grave admittendi: data occasione, quam existimas legitimam, jurasti existimans verum, quod re vera erat falsum, quia intellectus tibi ita proposuit, adeout existimares te peccare, nisi ita jurares: quis dicet tibi fuisse illud juramentum liberum, & actum moralem, licet liberum fuerit physice?

234 Ad rem facit doctrina N. Salmanticensium tom. 4. de peccat. disp. 13. n. 84. Ubi agētes qualiter ignorantia invincibilis excuset à peccato, eò quòd causat involun-

tarium, docet cum Montesinos, involuntarium contineri sub violento, exigereque resistentiam voluntatis, quam voluntas nequit habere, nisi fundetur in aliquo actu respuente tale objectum ignoratum. Et concludunt; dari de facto in voluntate prædictum contrarium actum non formaliter, & explicite, sed implicite, & virtualiter ratione diligentiæ, quam ignorans adhibuit ad pellendam ignorantiam; aut saltem ratione actus, quo etiam dum sic operatur, vult observantiam divinæ legis, estque efficaciter paratus ad omittendum, quem exercet, potius, quam legem ipsam prævaricari. Hæc ibi: ergo non est voluntarius, nec moralis talis actus.

235 Tertio probatur ex doctrina D.Th. dict. art.6. ad 2. Ut opus sit bonum, & honestum, debet esse conforme legi divinæ: sed non est conforme in hypotesi nostra: ergo. Prob. min. tum quia lex divina nequit regulare juramentum falsum, nisi detur recursus ad quandam legem reflexam noviter inventam, de qua infr. par. 2. q. 3. ar. 7. à num. 641. Tum deinde, quia alias Deus posset præcipere modo prædicto jurare. Tum præterea, quia id juramentum opponitur veracitati; & bonitati divinæ, unde Deuus omnimòda necessitate judicat esse falsa, & mala, quæ in se ita sunt, sicut necessario diligit suam bonitatem: nec conconscientia erronea potest bonitatem tribuere his, quæ in se mala sunt, quando ipsis repugnat, sed operi morali ex se malo, vel supposita prohibitione, repugnat in sensu composito bonitas moralis: ergo licet bonum putetur, nulla bonitas moralis illi tribuitur nec à Deo, quia cum sit essentialiter rectus, non tribuit rectitudinem operi, quod ipse sua lege prohibet & interdicit.

§. III.

Alii actus ex se boni, circunstantes opus materialiter malum, honesti esse possunt.

236 QUI facit aliquod opus solum materialiter malum (non ipsi imputabile ob ignorantiam invincibilem,) potest habere alios actus, nimirum imperantem, & plurium virtutum, obedientiæ, religionis, pietatis &c. Hos actus dicimus posse esse honestos, & meritorios, licet ille, qui per se exercetur, honestus non sit. Ad hanc rem facere videtur, quod D. Auguginus ait Epist. 120. ad Antonium, ubi laudes sibi ab illo impensas de bono, quod ille in ipso esse credebat, & si ex una parte rejiciat, approbat autem ex altera, dicens. *Tibi prodest ipsam diligere bonitatem, quam profectò diligit, qui cum diligit, quem credit bonum, sive ille se ita, sive aliter quam creditur, habeat.*

237. Idipsum etiam Sanctus Bernardus expresse videtur sentire; nam lib. de præcepto, & dispensatione cap. 8. docet primo quod §. præceden. diximus cum Divo Thoma, & D.Dionisio: nimirum debere esse bonum in se, & appræhendi ut bonum, ut actus in illum tendens sit bonus moraliter. *Ego vero* (ait) *ut interior oculus vere simplex, duo illi arbitror necessaria, charitatem in intentione, & in electione veritatem. Nam si bonum quidem diligat, & verum non eligat, habet quidem Zelum Dei, sed non secundum scientiam. Nescio quemadmodum judicio veritatis vera esse possit cum falsitate simplicitas.* Sed paulò post; cum divisisset modum operandi, addit. *Et quidem bonum diligit, & malum nescius agit. Hujus quidem bonus oculus, quia pius; non tamen simplex, quia cæcus. Et quidem laude dignam dixerim, vel solam intentionem piam, nec plane condigna renumeratione fraudabitur in opere quoque non bono ipsa bona voluntas.*

238. Probatur ratione. Actus ex se bonus, & honestus alicujus virtutis dum elicitur, talis evadit, nisi prava intentione, aut circumstantia prava vitietur; sed actus circunstantes opus materialiter malum non vitiantur aliqua intentione, vel circunstantia prava; & alias supponimus esse ex se actus virtutum: ergo sunt boni, & honesti. Probat. min. quia solum possent vitiari per aliquam rationem mali moralis: operans autem nullam malitiam moralem incurrit ex vi actus materialiter tantum mali, quia hæc nequit dari nisi involuntaria. = Confirmatur. Quia ideo secundum Divum Thomam, & ejus scholam de quo Salmant. tom. 3. de bonit, & mal.

mal. disp. 6. num. 1. idem actus non potest habere bonitatem simul, & malitiam; quia ex quoqumque actus sit malus, dissonat moraliter, & est contrarius regulis moris: sed in hypotesi nostra nihil datur, quod formaliter dissonet regulis moris, quia cum operans excusetur, nihil operatur formaliter contrarium regulis moris. ergo.

Confirm. deinde exemplis: Nam passim asseritur circa accessum Jacob ad Liam, non ipsam copulam (cum in re esset contra jus naturale, & propterea non ait Divus Thomas esse bonam, sed excusari dict: art. 6. ex quæst. 19. 1. 2.) sed accessum illum fuisse honestatum, quatenus Jacob habuit intentionem placendi Deo, & filios procreandi ad conservationem illius populi, hoc enim modo fuit volunterius, licet applicatio intentionis per errorem invincibilem fuerit materiæ indebitæ applicata. Similiter Petrus existimans pecuniam, (quæ in re erat Pauli) suam esse; illam accepit, & pauperibus erogavit; quis neget in tali intentione egisse honestè, & meritoriè, positis alijs requisitis ad meritum: Hi enim actus circunstantes regulariter per prudentiam, non per conscientiam erroneam.

§. IV.

Argumenta solvuntur.

239. OBicies primo contra primam assertionem. In ordine morali non datur actus indifferens in individuo, ut docet sententia communis, & expræssa Divi Thomæ: sed actus de quibus est quæstio non sunt formaliter mali, ut supponitur: ergo sunt formaliter boni, aliter essent indifferentes, nec boni, nec mali in individuo. Respondetur concessa maj. & min., neg. conseq., vel distinguo minor. non sunt formaliter mali per accidens, concedo, aliter nego minorem, & consequentiam. Sententia enim negans actus indifferentes in individuo expresse docet, quod licet per se non possint dari actus indifferentes, bene vero per accidens; nimirum dum actus non pertinent ad ordinem moralem; etiam si liberi sint in ordine physico: & hoc expresse docent nostri Salmantic. tom. 4. de peccat. disp. 10. num. 155. casu quo quis plenè advertit entitatem obiecti aliàs peccaminosi, ante quam occurrat illi aliqua cogitatio circa malitiam, nec circa bonitatem moralem: hoc enim ipso talis actus manet formaliter indifferens in individuo; quia hoc esset per accidens ex defectu cognitionis: ita Salmanticenses. Hoc ipsum contingit in nostra hypotesi: nam licet existimes juramentum aliàs falsum esse bonum, ob errorem invincibilem, desinit esse liberum in ordine morali, ut dictum est ex Divo Thoma dicto art. 6. ex quæst. 19. Præterea dici potest non posse dari actum indifferentem in ordine morali, ita quod, vel ratione sui, vel ratione aliorum actuum talis non sit, idest, quod aliqua circunstantia, seu actus illum circunstans non sit liber; & hoc contingit in nostro casu v. g. in apposito juramento; ubi si non ordinaretur ad aliquem finem honestum, esset moralitèr malus: sicùt in accessu Jacob ad Liam, si ad aliquod bonum, seu finem ex bonis matrimonij non ordinaretur, non esset indifferèns, sed malus, & quia bene ordinatus est, caruit omni malitia formali, & reliquit locum, ut alij circunstantes essent boni.

240. Obicies secundo: quoties obiectum existimatur bonum, actus est bonus formaliter: sed in casu nostro, licet obiectum sit in se malum, existimatur bonum: ergo actus est bonus. Prob. major. actus specificatur ab obiecto, prout est in appræhensione: tum quia debet specificari ab obiecto potentiæ, cujus est actus, aliàs esset extra sphæram potentiæ: Voluntas autem specificatur à bono, non ut in se, sed ut appræhensio; ut cum philosopho docent N. Complut. in lib. Physic. disp. 14. quæst. 4. Tum etiam, quia dum obiectum appræhenditur ut malum, licet in se sit bonum, actus tendens in illum specificatur ab illo ut malo, ergo idem dum malum appræhenditur ut bonum.

Respondetur argumentum esse fallax; & nimis probat, si aliquid probat: existimas te operari in ordine supernaturali, & meritoriè, & aliàs es in peccato mortali. Existimares satisfacere integrè pro peccato, redimere plures homines: dum speras, magis mereri, quam Deum diligendo;

do.; dum exerces actum temperantiæ perfectius operari, quam dum facis opus justitiæ: per peccatum grave non offendere Deum infinitè &c. Numquid ita evadunt præfatæ operationes, ut appræhendis, & sic judicaturus est Deus? Non ergo per nostras appræhensiones possumus tribuere honestates operationibus nostris. Quapropter cum hoc argumentum, quoad substantiam, sibi obiecisset Divus Thomas, respondit cum Divo Dionisio, non sufficere nostram appræhensionem ad tribuendam bonitatem actui, nisi etiam in se bonus sit ex obiecto.

241. Respond. ergo negan: maj. ad probationem dicimus voluntatem secundum esse physicum, & entitativum specificari à bono ut appræhenso, ita quod appræhensio non est ratio formalis, sed conditio sine qua non, & ita actus voluntatis quatenus pertinent ad sphæram suæ potentiæ ab eodem bono, & eodem modo specificantur. Non verò secundum aliquem modum illi adherentem, qualis est moralitas; sicut actus religionis, ut talis non specificatur à bono in communi, sed ab obiecto supernaturali; ita etiam in ordine morali. Immo repugnat actum, ut honestum, specificari à bono formaliter ut appræhenso. Ratio est: quia aliàs conscientia humana esset prima regula honestatis. Quoniam in juramento falso appræhenso ut bono, vel in priori ad appræhensionem regulatur à Deo ut honestum; & hoc esset blasphemia: vel id regulat, supposita appræhensione, quia illud apptæhendit homo ut bonum; & sic regula prima conformaretur cum conscientia humana, sic enim hæc esset regula prima. Itaquè licèt actus voluntatis specificetur ab ono apprehenso, non semper ut existimatur appræhendi, & operari; præcipuè in ordine supernaturali, & in ordine morali bonitatis: Dum verò obiectum appræhenditur ut malum, tribuit actui speciem, ut ob rationem D. Th.

142. Obiicies tertio. Ubi directio, & imperium Prudentiæ invenitur, datur bonitas, & honestas: Sed respectu conscientię errantis invincibilitèr reperitur directio, & imperium prudentiæ: ergò & bonitas, & honestas. Pr. min. Quando homo obligatur ad aliquid faciendum, ità ut si omittat, gravissimè peccet, prudentior dirigit, & imperat adimpletionem, & etiam aliæ virtutes obligant: v. g. coniugata nullo existente matrimonio contracto bona fide, tenetur ex justitia reddere debitum, & reddendo adimplet justitiam, & non reddenco, peccat contrà justitiam, ergò justita, & prudentia concurrunt ad illum actum.

Resp. ex D. Th. dict. art. 6. ad 1. & quest. 17. de verit. art. 1. neg. min. Loquendo de illo actu regulato à conscientia erronea, de alis verò illum circumstantibus conceditur, juxtà dicta §. 3. ad prob. dico, quod licèt tunc teneatur homo id facere, ut adimpleat præceptum, prout tenetur non contravenire conscientiæ, nec prudentia, nec alia virtus ad illum actum concurrit, prout à conscientia erronea regulatur, sed intellectus per alios actus influit. Licet enim quandoque existimemus prudentiam, & alias virtutes ad actus nostros concurrere, non ita est. Existimat quis dolens de peccato se elicere actum contritionis, & actum dilectionis, & amicitiæ Dei, & tamen fortè erit actus attritionis, & amor concupiscentiæ. Credit quis ignorantia invincibili Christum Dominum non habere nisi unicum intellectum, & voluntatem, & putat id credere fide Divina, & ad id credendum teneri; sed non ex hoc eliceret actum fidei supernaturalis. Ad exemplum de fœmina dicimus revera ex justitia tunc non redere debitum, intentio tamen satisfaciendi suo debito esset bona, negatio esset contra justitiam, quatenus Deus prohibet operari non posse, quod iniustum judicatur. Malum enim ex quocumque defectu, ut ex D. Th. dictum est.

Alia obiectio solet fieri ex differentia virtutum intellectus speculativi, & practici, & conditione prudentiæ, quæ pertinet ad practicum: quatenus versatur circa contingentia, quæ sunt fallibilia &c. Sed hæc difficultas jàm soluta manet supra quæst. 3. à num. 37. & infra. 2. part. quæst. 5. artic. 4. ubi etiam circa dubium hujs articuli nonnulla dicuntur, & magis doctrina hìc tradita roboratur.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

De Conscientia dubia.

ARTICULUS I.

Quid sit propriè dubium, & nonnulla ad id spectantia remissivè.

243 Quia plura ad hanc materiam de Conscientia dubia acta sunt infrà in hoc Opusculo secunda parte ob connexionem cum materia, quæ ibi tractatur; propterea plura hìc pertinentia illuc remitti visum est. Quid igitur sit dubium? 2. An dubitare sit cum ratione? 3. Qualiter dubium propriè sumptum est illud, quod dicitur positivum, non verò quod negativum, & quod dubium dicitur relativè a dubitantem? Hæc ibi acta sunt infra dict. 2. part. à num. 731. Deindè, quandò sunt duæ opiniones contrariæ respectu ejusdem intellectus, & circa idem æquè probabiles, itaut non possit veritatem circa illas discernere, qualiter constituant dubium propriè sumptum, etiam ibi discutitur: nu.734. & aliis locis ibi citatis.

244 Præterea, qualiter Conscientia dubia nequeat deponi absque aliqua prudenti ratione, sed stante dubio tutior pars sit eligenda, agitur à num. 440. & à num. 551. & à num.587. per duos integros Articulos; & à num.452. concordatur regula de tutiore, cum alia de favendo Reo. In eadem 2.part. qu. 4. art. 5. & 6. tractatur, qualiter in materia justitiæ habeat locum Regula: *In dubio melior est conditio possidentis*: Et an locum habeat in materia aliarum virtutum? In omnibus ergò locis præcitatis, & in aliis plura tractantur ad hanc materiam de Conscientia dubia spectantia: Et ea propter hìc breviter illam absolvimus.

ARTICULUS II.

An possit quis conformari Conscientiæ dubiæ.

245 Supponendum est Conscientiam dubiam dividi in dubiam speculativè, & in dubiam practicè: Conscientia dubia speculativè est de re, seu actione secundùm se considerata; ut: An sit hodiè præceptum jejunandi: Dubia autem practicè est de re, seu actione hìc, & nuuc cum omnibus circumstantiis exercenda, vel ommittenda; ut dum dubitas, an hodiè hìc, & nunc (quia aliqua infirmitate laboras, aut quia aliquo labore fatigaris) teneris jejunare. Deindè Conscientia dubia, seu dubium aliud est juris, & aliud facti. Dubium juris tunc datur, quandò dubitatur de lege, seu præcepto; ut si dubitas, an detur præceptum tali die audiendi Sacrum. Dubium verò facti est, quandò de aliquo facto dubitatur; ut si dubitas, an emisseris votum, commisseris homicidium, &c.

246 His suppositis, communis Doctorum sententia docet, neminem posse conformari Conscientiæ practicè dubiæ, sivè juris sit, sivè facti. Probatur 1. Quia, ut quis rectè operetur, tenetur vitare peccandi periculum; aliàs incidet in illud, juxtà Eccli. cap.3. *Qui amat periculum, in illo peribit*: Sed si sequeretur Conscientiam practicè dubiam, exponitur peccandi periculo: Siquidem quantùm est de se, amplectitur malitiam, quę in actione, de qua dubitat, esse potest, illam enim vult, sive bonam, sive malam: ergò peccat Conscientiam practicè dubiam sequendo.

Confirmatur: qui temerè, & contrà prudentiam in ordine morali operatur, peccat, juxtà gravitatem materiæ: Sed sic se habet, qui Conscientiæ practicè dubiæ conformatur, ergò. Prob. min. Nam quisque tenetur formare judicium prudentiale de bonitate, & rectitudine suæ operationis, ut non operetur temerè, & contra pruden-

tiam: in casu autem dubii practici certum est tale judicium non adesse.

247 Secundò probatur ex illo Apost. ad Rom. cap.14. *Omne, quod non est de fide* (idest ex conscientia) *peccatum est*: Sed in casu nostro operatio non est ex hujusmodi fide, seu conscientia; nam eo modo est operatio, qualis est conscientia, cùm hæc sit regula operationis: Conscientia autem practicè dubia non est recta, sed potius dubitat de rectitudine operationis: undè operatio nequit fieri recta, sed erit peccatum. Confirmatur: nam, ut conscientia nostra sit recta, debet conformari Legi Divinæ, & Dei voluntati, ut ex se constat, & infra à num.641. dicemus: Sed conscientia practicè dubia non conformatur Legi Divinæ, sed se habet indifferenter, ut in operatione sit illi difformis: ergò non possumus illi conformari.

At verò Conscientiæ dubiæ speculativè aliquando possumus non conformari, itaut manente dubio speculativè, aliundè possit formari judicium prudentiale practicum: ut in Subdito, cui præcipitur à Prælato aliquid, de cujus rectitudine ille dubitat, potest, immò tenetur obedire, ut infra à num.899. latè probatur; & si dubitas, an res à te bona fide possessa, sit tua, facta diligentia, & non invento domino, potes illam retinere, ut infra dicitur à nu. 735. Et ratio est, quia ratione circumstantiæ, de novo advenientis, variari potest judicium speculativum, & formari practicum rectum; ad quod attendi debet, ut honestè quis operetur. Quid in aliis casibus à num. 587.

ARTICULUS III.

Quomodò deponenda sit Conscientia dubia.

248 PRæcipua difficultas in hac materia consistit in hoc: Quomodò Conscientia dubia deponenda sit, seu quid agendum, quandò Conscientia est moraliter dubia? Ita scilicet, ut ex neutra parte habeatur sufficiens motivum ad formandum judicium determinatum, & moraliter certum; licèt non omnimoda certitudine, sed tali, quod parùm relinquat formidinis, seu dubitationis. Et supponimus debere fieri diligentiam serio, & ex animo inveniendi veritatem, juxta exigentiam, seu gravitatem majorem, vel minorem rei, vel negocii, de quo dubium occurrit; & juxta majorem, vel minorem difficultatem, quam quis habet de licito rei, vel negocii; & juxta facultates nobis possibiles, quas debemus adhibere. Ad quod plurimum valebit accurata negocii discussio, bonorum liberorum de re, de qua dubitatur, attenta lectio, consilii petitio à Viris probis, prudentibus, atque doctis; & etiam oratio cum humilitate: *Deus meus illumina tenebras meas*. Pro quo nobis Spiritus Sanctus proponit exemplum illud piissimi Regis Josaphat, 2 Paralip.20. *Cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut occultos nostros dirigamus ad te*. Et etiam amplectendum illud monitum, quod D. Augustinus tribuit Dioscoro Epist. 56. ad ipsum pro invenienda veritate ad quæstiones, & dubia rectè resolvenda: *Hùc te, mi Dioscore*, (inquit) *ut tota pietate subdas velim, nec aliam tibi ad capessendam veritatem viam munias, quam, quæ munita est ab illo, qui gressuum nostrorum tamquam Deus videt infirmitatem. Ea autem est prima humilitas, tertia humilitas, & quoties interrogares, hoc dicerem.*

At si cum tota diligentia moraliter possibili ratio sufficiens, & motivum non occurrat, quo moraliter certi simus de via, quam electuri simus, seu de ejus veritate; aut consulendi occasio nobis desit, vel consilium nobis datum animum tranquillum non reddit, quid agendum ex sequentibus regulis, quæ communiter assignantur, colligi potest (plura circa hanc rem dicta sunt supra à n.50. toto art.3.)

249 Prima regula: *In obscuris inspicimus, quod verisimilius est, vel quod plerumque fieri consuevit*. Est 65. in sexto decretal. Itaque si dubitas, an teneris jejunare, vel Divinum Officium recitare, & tibi verisimilius coram Deo existimas te non teneri, poteris huic judicio conformari. Occurrunt duo præcepta, judicas pro una parte dari efficacius motivum, hanc teneris eligere, dum urget necessitas unum, aut alterum eligendi; Ut Sacerdos, qui est in peccato mortali, nec habet copiam Confesso-

ris,

ris, & verisimilius judicat scandalum sequendum, si celebrare ommittit, hoc debet vitare, sed eliciendo, ut celebret, actum contritionis. Dubitas, an in jejuniis extra Quadragesimam, possis uti lacticiniis, si vides in illis locis ita fieri à Viris timoratis, licitè id efficere potes, ex prædicta regula.

250 Secunda. *In dubiis tutior pars est eligenda*. Hanc plures ex probabilistis asserunt esse de consilio, & non de præcepto: dicunt enim sufficicere tutum sectari. Cæterum non sic est accipienda; sed ly *tutior*, non sumitur comparative, sed adversative; ita ut pars adversa tuta non sit. Aliàs frustra apponetetur: *in dubiis tutior pars &c.* Nam etiam in rebus certis consilium est amplecti, quod est tutius comparativè, ut patet in consiliis Evangelicis: status cœlibatus est certo tutus; & est consilium assumere statum Religionis, quia tutior. Deinde: Cum hoc axioma dicatur regula juris, nequit ut consilium solum haberi: quia regulæ juris, ideo ita dicuntur, non quia ab illis sumatur jus, sed quia sumuntur à jure; sed jus continet rem præceptivam: ergo etiam regela, quæ ex jure sumitur. Unde quoties, (ut in præcedenti regula dictum est,) non invenitur esse verisimilius non dari culpam in actione elicienda, debet quis ab illa abstinere, & idem respectu ommissionis. Et ideo D. Thomas in 4. dist. 38. q. 1. art. 3. qui ad 6. agens de dubio voti ait: *Si autem quomodo se involvendo habuerit debet tutiorem viam eligere, ne se discrimini committat*: Ubi rationem regulæ assignat, nec recurrit ad possessionem libertatis. Sed de hac regula, de tutiore parte eligenda late agitur infra, locis supra art. 1. citatis.

251 Tertia. *In dubiis melior est conditio possidentis*. reg. 65. in 6. latissime sumitur regula hæc à modernis probabilistis: fere in omni materia, & casibus innumeris ad illam confugiunt pro eorum resolutione. An autem legitime fiat, non caret difficultate. Sed quia de vero hujus regulæ sensu diffusè agitur infra 2. parte quæst. 4. art. 4. 5. & 6. à num. 735. ideo breviter illam hìc attingemus.

Dubitatur in primis an habeat locum tam in dubio facti, quam in dubio juris? Respondent communiter probabilistæ solum habere locum in dubio juris, v.g. dum dubitatur an detur præceptum, an emisserim votum; secus in dubio facti, ut si medicus dubitat, an nociturum medicamentum, venator, dum dubitat, an sit fera, vel homo &c. Rationem disparitatis assignat inter alios doctissimus Joan. à S. Thoma tom. 1. in 12. q. 18. disp. 12. art. 4. n. 18. Quod dubium facti ex sua propria natura non potest assecurare conscientiam, etiam facta diligentia, nisi evidenter tollatur dubitatio, vel necessitas aliqua magna intercedat, aut proprio jure utendum mihi sit, cujus usu non debeo impediri, aut tali jure spoliari propter illud dubium. At vero posito juris dubio, seu obligationis, & præcepti erga me, si facio sufficientem diligentiam, etiam si non evacuetur, & certificetur totaliter dubitatio, non teneor operari contra me, eò, quod utor jure meo, & possessione libertatis, qua non possum spoliari ex solo dubio.

252 Verum enimvero cum venia tanti viri, adhuc desideratur ratio disparitatis, quare in dubio facti impeditur ratione dubii jus operandi, & nequit assecurari conscientia etiam facta diligentia, nisi evidenter tollatur dubitatio: nec ibi adest possessio libertatis: secus vero in dubio juris. Dicere (ut ibi addit) quod in ipso dubio juris ex natura sua involvitur jus propriũ, seu possessio: de hoc est quæstio. Cur ergo in primo casu illicite operor, nisi quia, cum debeam querere veritatem, circa licitum, & non invenio, expono me discrimini peccandi: sed hoc etiam invenitur in secundo. Tum etiam; quia si in primo proximus habet jus, ut in dubio non possint illi damnum inferre, etiam Deus habet jus, ut illi non faciam in dubio injuriam. Tum præterea, quia in dubio juris, etiam teneor actum meum regulare prima regula, nempe voluntate divina, ut ipse auctor docet in eodem tom disp. 11. art. 2. num. 22. Sed dum sum in dubio an detur præceptum, possessio, quam ponunt in mea libertate, non mutat voluntatem divinam, nec ex eo possunt judicare actionem meam illi conformari, alias esset prima regula, ergo &c.

253 Tum denique; quia privilegium pos-

possessionis, ut prosit, requirit quod ipsa possessio sit habita bona fide, certa, & non turbata: ut est expressum in jure: cap. illud de præscript. l. naturaliter ff. eod. l. si fur de usucap. & docet Covarr. ad Regul Possessor 2.p. par. §. 7. Læssius de just. cap. 6. disp. 5. dub. 3. & 4. Sed possessio, quam probabilistæ moderni attribuunt libertati, non est pacifica, bona fide, nec imperturbata, nec certa; siquidem semper illi facta est resistentia, & ab antiquis Auctoribus fere omnibus, & rejecta ab omnibus oppugnantibus probabilismum modernum; immo & à pluribus ex principalioribus, & primioribus admittentibus probabilismum, ut videre est in Vazq. 1. 2. disp. 65. cap. 3. Ubi asserit: *Nullum hactenus ex Scriproribus Ecclesiasticis extare, qui oppositum afferat.* Quem sequuntur Azor. t. 1. lib. 2. c. 18. q. 4. & lib. 11. cap. 15. q. 2. Ludovic. de Torres opusc. de Conscientia dub. disp. 1. dub. 1. & seqq. Clavis Regia lib. cap. 13. num. 9. & 36. Montesinos, Manuel Rodr. & alii plures. Ergo excogitata possessio non prodest nostræ libertati extra materiam justitiæ; nam in hac materia adest peculiaris ratio. De quo loco cit. infra p. 2. ar. 4. 5. & 6.

254 Quarta: *Cum sunt partium jura obscura reo favendum est potius, quam actori* 11. *in* 6. Hanc regulam etiam moderni probabilistæ applicant suo modo regulandi. Dicunt enim quod quando aliquid exigitur; qui exigit est actor, & reus ille, à quo exigitur: cum ergo lex sit, quæ ab homine exigit aliquid adimplere, vel omittere, hinc fit, quod lex gerit munus actoris, & homo munus rei, ac proinde, in dubio, lege non probante, absolvitur homo ab obligatione. Sed quis non videt, quam longe sit regula ab ejusmodi intelligentia? Nam expresse loquitur in foro externo; & docet D. Antonin par. 1. tit. 20. cap. unic. Deinde dato quod loquatur etiam in foro interno, nihil intelligi potest pro parte libertatis. Nam etiam in foro externo non habet locum, quando actor habet in jure fundatam suam intentionem. v. g. Pone Monasterium non solvere decimas, vel sæcularem, seu aliam quamlibet personam: & exigitur solutio à Parocho illius loci. Quis tenetur probare? non Parochus, quia habet in jure fundatam suam intentionem, sed à Monasterio &c. Sit lex divina; & Dei voluntas, cum sit regula prima, exigit quod dum voluntas operatur, semper debeat dum dubitat de aliqua operatione, an sit licita, non discordare à divina voluntate, nisi probet ejusdem divinæ voluntatis permissionem: ac proinde in dubio tutior pars est eligenda, de quo infra à num. 440. & à num. 702.

235 Quinta. *In obscuris quod minimum est sequendum*. Intelligitur de malis pœnæ: nam mala culpæ numquam licitum est sectari, licet minima sint; ad quod pertinet illud: *Non sunt facienda mala, unde eveniant bona*. Potest vero intelligi regula de duobus quæ in se, & secundum se divisive mala sunt, & quandoque occurrunt, & alterum omnino est faciendum, sed ratione urgentis necessitatis excusatur agens; ut in casu supra apposito; dum respectu Sacerdotis habentis conscientiã peccati gravis, nec habentis copiam Confessoris: occurrunt præceptum confessionis, & omittere sacrum nequit absque scandalo, debet celebrare eliciendo contractiones actum, quod est eligere minus malum licet in re tunc malum non eligitur. De quo actum est supra à num. 49. Ubi proponuntur casus speciales.

256 Sexta: *In pœnis benignior est interpretatio facienda*. Quod etiam in foro pœnitentiali habet locum. Juxtu, illud Divi Chrysostomi: *Melius est habere reddere rationem Deo de nimia misericordia, quam de nimia severitate.* Est tamẽ intelligendum in sano sensu, ita ut imponatur pœnitentia pro qualitate criminum, & pro qualitate pœnitentium. De quo videndum Tridentinum sess. 14. cap. 18.

257 Septima: *dubia sunt in meliorem partem interpretanda: quia quilibet debet haberi bonus, donec contrarium probetur:* De quo locis, ubi agitur de judicio temerario.

Octava non minus utilis, quam universalis. *Quod tibi non vis alteri ne feceris*: Et *Quod tib vis fieri, alteri facere debes*. Quæ in toto hoc articulo dicta sunt, & quę in locis in ipso citatis decentur, deservire possunt resolutionibus casuũ particulariũ, qui occurrerint dubii in aliis materiis, ut in dubio voti, legis, excommunicationis &c.

DE REGULIS MORUM SECUNDA PARS.

De Conſcientia Probabili.

258 CONTROVERSIA, quā aggredimur, difficultatum numero, & magnitudine graviores in materia morali ſuperat; adeò abſtruſa eſt, diffuſa, & difficilis, ut ſtudium, & labor illi ſtricandæ, & ſi ingens, non ſufficiet: non quia in ſe, & ex ſe difficultatem continet; ſed quia nonnulla ſubtilia ingenia tot reflexionibus, ambagibus, quaſi laberinthis veritatem moralem involuerunt, ut jam tota arcanum, jam tota myſterium videatur. Et præſertim controverſia præſens tot obſcuritatibus, & modis peregrinis agitata eſt, quod ad illam diſcutiendam, & examinandam non parum indiget ſubtili, & attenta mentis acie. Hoc me deterrere merito poſſet. Fateor enim imbecillitatem propriam: immo fateor inſufficientiam, & ineptitudinem ad tam arduum opus. Sed divino adiutus auxilio ſupplici corde amplector illud Eccl. cap. 1. *Fili concupiſcens ſapientiam, accede ad illam, & Dominus præbebit eam tibi* Deus enim, qui hoc promittit, verax eſt, & eam præbet diligentibus ſe: & ideò cum Angelico Doctore invoco ipſam, ut illuminare dignetur oculos caliginoſos ipſo ſuo lumine; ſine quo nemo valet ad lumen veritatis uſquequaque pertingere. Amen. Et quia Dei adiutorio oportet cooperari, ſedulo curavi ad ſacros recurrere fontes Scripturæ Divinæ, Canonum, & SS. Patrum, ſimulque aliis Auctoribus gravibus lectionem, & ſtudium adhibere.

QUÆSTIO I.

Quid ſit Conſcientia probabilis? quid opinio, & de ejus diviſione.

QUIA prima parte hujus tractatus diximus conſcientiam noſtram eſſe regulam proximam humanorum actuum, illam diviſimus, incertam, & probabilem· eò quod numquam poteſt homo in ſuis operationibus habere omnimodam certitudinem; & ideo neceſſe eſt multoties inniti ad regulandam operationem moralem aliqua probabilitate, in qua conſcientia recta requiſita ad bene operandum fundetur: & tunc dicitur conſcientia probabilis.

ARTICULUS I.

Conſcientia probabilis quid ſit.

259 CONſcientia probabilis *conſiſtit in actu illo, quo intellectus practicus per diſcursū ex motivis probabilibus prudenter concludit, & dictat aliquid hic, & nunc eſſe faciendum, vel omittendum.* Hæc diffinitio, ſeu diſcriptio faciliter intelligi poteſt, cognita definitione conſcientiæ in communi, quam dedimus ſupra 1. par. q. 2. art. 1.

art. 1. Omnia enim quæ conveniunt illi diffinitioni, quæ est in communi, conveniunt conscientiæ probabili; & in hac additur illa differentia, quod hæc conscientia concludit, & dictat prudenter per discursum ex motivis probabilibus, ad distinctionem illius, quæ procedit ex principiis fidei divinæ, vel ex evidentibus, & scientificis.

Explicatur. Tibi Sacerdoti occurrit dubium, an tenearis recitare Matutinum ante sacri celebrationem. In hoc dubio synderesis dictat, non esse faciendum malũ: hæc est propositio major: circa minorem est difficultas; nimirum si hîc, & nunc poteris licite sine recitatione præmissa celebrare; facta diligentia, intellectui apparent multo magis urgentia motiva, quod licitè potes; licet cum aliqua formidine: quæ, quia gravis non est, contemnitur, & sic concludit intellectus practicus. *Hîc, & nunc mihi licitum, & honestum est sacrum celebrare, quamvis prius non recitem*. Præfata diffinitio, & explicatio est conformis doctrinæ Angelici Præceptoris 1. par. q. 79. art. 3. Ubi ait, *quod conscientia, nihil aliud quam applicatio scientiæ* (idest cognitionis) *ad aliquem actum*. Idem repetit 1.2. q. 19. art. 5. Quare licet præcedant alii multi actus, ut est ille synderesis proxime relatus, si non fit descensus ad actum particularem in individuo hîc, & nunc exercendum, vel omittendum, licet dicatur illos conscientia dictare, non sunt proprie conscientia, sed lato modo, & improprie.

260 Hinc fit non esse idem conscientiam probabilem, & actum opinativum etiam probabilem: quia regulariter talis actus non est de aliquo particulari hìc, & nunc agendo, vel ommittendo. V. g. judicas probabiliter, vel probabilius judicem teneri proferre sententiam etiam in causa criminali secundum allegata, & probata contra illum, quem scit ut persona particularis esse innocentem: opinaris peregrinos nòn teneri servare legem particularem loci, per quem transeunt; sed quia tales actus opinativi non versantur circa aliquid hic, & nunc exercendum, non constituunt conscientiam, nisi ex illis intellectus practicus concludat, & dictet in particulari, ut dictum est.

Dices: si conscientia est actus dictans, dirigens, & concludens: quomodo dicitur probabilis? Nam probabile est passivum, sicut, amabile, visibile &c. quod autem dictat, & dirigit activum est. Resp. Denominationem *probabilis*, si in rigore loquamur, principaliter convenit objecto, quatenus potest terminare intellectus approbationem, seu quatenus illam terminat; sicut intelligibile, quod per intellectionem actualem potest intelligi. Actus vero, seu conscientia potius deberet dici approbans, vel approbativa; sed quia terminatur ad objectum probabile, absolutè etiam probabilis appellatur: quia cum voces sint signum ad placitum; ex communi consensu vox, quæ ex se est passiva, applicata fuit ad significandũ id, quod actus, vel activum est. Cum igitur probabile idem sit, ac quod dignum est, ut approbetur: consequenter, dum conscientia concludit aliquid agendum, id approbat, juxta doctrinam D. Augustini, in artic. 5. in hac q. adducendam n. 299.

ARTICULUS II.

Qualiter ad formandam conscientiam per usum opinionum probabilium debet quisque in earum electione non festinanter, sed pedetentim gradiri. Utilis animadversio.

261 Cum agamus de conscientia probabili pro regulandis rectè actionibus nostris in Ordine morali; & hujusmodi conscientia non innitatur principiis omnino certis, sed probabilibus, aut opinionibus pariter probabilibus, operæ pretium visum est utilem animadversionem præmittere, ut lector benevolus dignetur hoc negotium tanti momenti, qualiter sit formanda conscientia recta, (qualis requiritur ad honestè operandum, & non operandum contra voluntatem divinam) qualiter, inquam, sit formanda conscientia ex probabilibus serio, attentè, & ex vero desiderio inveniendi veritatem, penset, scrutetur, & judicet. Quis dubitat hodie esse sub lite, intra magnum litigium, & contentionem modum opinandi, qui probabilismus

lisimus nuncupatur? juxta cujus viam certum, & nedum probabile existimatur, veritatem moralem plerumque non esse invenibilem, atque adeo sufficere veritatem inquirere in dubiis moralibus, ita ut satis sit invenire aliquam rationem de licito, quæ secundum se gravis appareat, licet pro parte contraria, nimirum pro lege, emineant majora fundamenta. Immo plerique putant, quod per solam non inventionem certæ legis, vel obligationis, jam actum est, ut quis facere possit, quod magis sibi libuerit. Occurrit cassus, vel difficillimus, in materia gravissima, evolvitur liber moralis, vel sit brevis summa, aut compendium, vel sit Auctor purè historicus Auctorum, in quo reperit allegatos, duos, tres, vel ad summum quatuor, faventes voluntati consulentis, aut operari volentis, quia dicit esse probabile, quod est licitum: Hoc sufficit, non est necesse ultrà investigare, an contrarium sit probabilius; an dentur plures, & graviores Auctores contradicentes; immo licet dentur plures, & gravissimi, nihil interest: jam repertum est *dici probabile*; unde jam omnes licitè, prudentissimè possunt illud amplecti, & sic honeste operari, & hoc certissimè, & evidenter; etiam si illorum opinionem judicet falsam.

262 O mirum! Quis dedit adeò grande privilegium paucis illis contra omnes, constituendi regulam certam, & infallibilem pro omnibus conscientiis creatis, & creabilibus, & hoc quâvis sit in rebus juris divini, vel etiam juris naturalis immutabilis? In dubium est in nostris operationibus nos debere attendere ad legem æternam, ad divinam voluntatem tanquam ad primam regulam, ut ipsi, (ut par est,) obtemperemus, & conscientiam nostram, utpote regulam secundam, illi conformemus. An per viam probabilismi modò relatam, legitimè, & honestè fiat, nostri negotii est investigare; & per quod probabile regulari possit conscientia nostra stabilire. Unusquisque etenim tenetur se regulare, & sic operari tam pro se, quam pro aliis, ut semper in suis actionibus procedat secundum rectum dictamem illius rationis, quæ est radius, & participatio æterni luminis, ut Psalmista ait: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*. Unde Angelicus Præceptor dat cunctis hanc regulam generalem, de verit. q.17. art.5. ad 4. *Unusquisque tenetur actus suos examinare ad conscientiam, quam à Deo habet; sive sit acquisita, sive sit infusa: omnis enim homo debet secundum rationem agere*.

263 Itaque certissimè tempus adveniet, & non tardabit; in quo dicatur nobis à superno judice nostro; redde rationem villicationis tuæ: & in quo, & quomodo judicabit? *Judicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate sua*. Ps. 95. In judicio veritas debet per testes constare. Qui ergo tunc testimonium ferent? Apostolus pluribus in locis id docuit 2. Cor. cap. 1. *Gloria nostra hæc est; testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis, & sinceritate Dei, & non in sapientia carnali conversati sumus in hoc mundo*. Penset ergo si hoc modo conversatur, qui minus probabile, sed gratum, & placitum libertati, & carni, & sanguini amplectitur, cum dictamen proprium ipsi ostendat magis accedere ad veritatem, illud esse contra divinam voluntatem: quam immutare nequeunt iteratæ reflexiones. Præterea 1. ad Cor. c.10. *Ut, quid enim libertas mea judicabitur ab aliena conscientia*? & Rom. 2. Agens de gentilibus; ait, *quod legem non habentes, sibi ipsi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium redente illis conscientia ipsorum*. Nonne non habebant plures sapientes in existimatione sua, per quos docebantur, quorum sententiam, & dictamen sectabantur, cur igitur non excusantur? quia ut dixit D.Th. *Unusquisque tenetur examinare actus suos ad conscientiam, quam à Deo habet*: non vero secundum conscientiam Dianæ, Machadii &c. nec illorum, qui amplectuntur æque falsum & verum, immo, & quod magis falsum, & magis malum apparet.

264 Etenim verissimum est quod docet D. Th. quodl. 8. art. 13. *Dicendum est ergo, quod quando sunt duæ opiniones contrariæ de eodem, oportet esse alteram veram, alteram falsam*. Quomodo igitur potest salvari amplectentem, quam judicat æque esse conformem, & difformem Divinæ Legi, vel potius judicat esse difformem, non se exponere periculo Divinam Legem vio-

M lan-

landi? Quod in progressu controversiæ diffuse probabitur. Interim pensitandum venit exemplum Angelici Magistri: qui, cum esset lumine divino adeò illustratus, dum accedebat ad scribendum de rebus moralibus, præsertim in quibus inter Doctores erant opiniones controversæ, sic cautè procedebat, ut non parvo timore afficeretur ad resolvendum ob periculum errandi, & peccandi. Quapropter ita scribit in proœmio opusc. 73. de Usuris. *Quoniam vero in dubiis, quorum veritas agnita salutaris est, & incognita periculum ingerit humanæ saluti, admodum utile est veritatem investigare: & temporibus nostris audivimus multas controversias inter Doctores, non solum in naturalibus quæstionibus, verum etiam in moralibus, in quibus periculum est diversa sentire, & opinari*. Quare supplici deprecatione recurrit ad increatam sapientiam: *Invoco ergo ipsam ne me errare permittat in periculum animæ meæ, & in laqueum aliorum; sed illuminare dignetur oculos caliginosos ipso suo lumine, sine quo nemo valet ad lumen veritatis usque pertingere. Amen.*

265 Non erat scrupulosus Doctor Sanctus, sapientissimus erat; cur ergo timet, si habet pro utraque parte Doctores in controversia, utrumque probabile? Trepidavit ne timore, ubi non erat timor? Sciebat enim quantum sit timendum se exponere periculo errandi in re gravi, & frangendi Legem Dei, immo se exponere huic periculo est illam violare. Id infra ostenditur: Nunc autem comprobari potest exemplo notabili, & formidabili cujusdam Philippi Cancellarii Parisiensis, quem damnatum referunt ob hanc causam. Post decretalium promulgationem, fuit habita solemnis disputatio inter Parisienses Magistros circa annum 1235. circa beneficiorum, aut præbendarum pluralitatem. Major pars defensavit esse illicitam, è contra alii negarunt. Hanc etiam quæstionem excitavit D. Th. quodl. 9. art. 15. & de ea loquens, ait: *Inveniuntur de ista questione Theologi Theologis, juristæ juristis contrarii*. Et quamvis amplexus fuerit tutiorem partem, utpote probabiliorem, non tamen contrariam reiicit ut improbabilem, aut temerariam, sed de ea loquitur, ut solet de opinionibus probabilibus. Unde licet ista, quàm docet D. Th. haberetur ut communior, & probabilior, alia tunc probabilis æstimabatur.

266 Inter illos, qui huic minus probabili faventi libertati adhæserunt, fuit præfatus Philippus non parum eruditus. Qui, cum esset morti proximus, admonitus, ut pluralitati, quam possidebat, renuntiaret, dixit; se velle experiri vim probabilitatis opinionum, & an pluralitas beneficiorũ ad damnationem sufficeret. Et sic obiit. Casum referunt Spondanus ad ann. 1238. B. Alb. Magn. de Sacrament. & ante illos Thomas de Cantiprato auditor ejusdem B. Alberti, & D. Thomæ condiscipulus, vir integræ fidei, lib. 1. de Apib. c. 19. §. 5. ubi sic ait.

Agonizantem in morte Guillelmus Parisiensis Episcopus paterna solicitudine visitavit, rogavitque eum (scilicet Philippum) ut opinioni cederet de pluralitate beneficiorum, & omnia sua beneficia, excepto uno, in manus Ecclesiæ resignaret... Renuit ille, experiri se velle dicens, utrum esset dàmnabilè beneficia plura tenere. Mortuus est ergo sic. Cum dictus Parisiensis Episcopus finitis Matutinis orare vellet, vidit inter se, & lumen quasi umbram hominis tetram nimis. Interrogavit quis esset? Rspondit apparens: ego sum cancellarius ille dudum miserrimus, damnatus sum æterna morte. Tunc Episcopus: heu charissime, quæ causa tuæ damnationis? Tria sunt, inquit: Prima est; quod recrescentes fructus annuos contra pauperes timide reservavi. Secunda, quod contra sententiam plurimorum de pluralitate beneficiorum quasi licitè tenendorum opinionem propriam defensavi. Et in hoc me periculo mortalis culpæ commisi &c. Hæc præcitatus Auctor. Hoc exemplo probatur, quàm cautè debemus procedere in electione opinionum, & qualiter non prodest ante Divinum Tribunal recursus ad opinionem minus probabilem contra legem, & pro libertate; & cum idem periculum detur dum solum est æque probabilis, eodem modo debet vitari..

267 Aliud simile refert N. Hyspanus Alphonsus de Villegas de fructu Sanctor. disc. 6. paulo ante finem ex eodem Auctore & lib. de Apibus. Narrat enim quemdam

dam Clericum ſcientia præſtantem nixum prædictæ opinioni poſſidere plura beneficia, cui morti proximo aſſiſtebat ipſemet Thomas de Cantip. illumque monuit, ut rejecta illa opinione, amplecteretur contrariam, retento unico Beneficio ſibi ſufficienti. At infirmus reſpondit: Orate pro me Deo, ut tribuat mihi voluntatem hoc exequendi: Et cùm hoc dixiſſet, ſtatim obiit. Apparuitque cuidam Monacho (qui de fine illius erat ſolicitus) ejulans terribiliter, & dicens, ob cauſam prędictam eſſe pęnis ęternis deſtinatum. Ex quibus infertur non evadere periculum violādi legem Dei, & æternę damnationis, qui ſequitur opinionem minus probabilem. Sed de hoc plura in ſequentibus.

ARTICULUS III.

Undè provenit in multis difficultas deſerendi viam regulandi Conſcientiam per principia probabiliſmi.

268 IN modo regulandi conſcientiam per probabilia, ſatis nota eſt duplex via hac tempeſtate valdè hinc indè agitata: nimirùm via probabilioriſtarum aſſerentium ſtandum pro lege, niſi pro libertate adſint motiva multo præſtantiora. Hæc reperitur in antiquis Doctoribus. Alia verò probabiliſtarum, quam ipſi benignę nomine deſignant. Hæc, ut infra videbitur, ortum habuit Sæculo 16. circa annum 1560. ex quo magnum incrementum faciliter habuit; licèt nunquam defuerint, qui illam oppugnarent; præſertim à tempore Alexandri VII. Et etiam ab anno 1640. Nam plures Viri doctiſſimi ſequentes antiquos fortiter contra probabiliſmum inſurrexerunt: & in dies numerus eorum augetur; maximè in Gallia, Flandria, Italia, & Germania, & in noſtra Hiſpania etiam plures non deſunt, & ſi tanti, ut alibi non ſint, ſed quilibet unus pro mille. Igitur nunc inveſtigandum; undè adeò faciliter incremētum ſumpſit illa via regulandi conſcientiam per quodcumque probabile (quę communiter probabiliſmus nuncupatur:) Et poſtea detur in pluribus tanta difficultas in deſerendo illam, & averſio im amplectendo aliam oppoſitam: Hoc non inutiliter aggreditur, ſed ut agnoſcatur, an ejuſmodi difficultas nitatur in aliqua valdè rationabili cauſa.

§. I.

Prima cauſa præfatæ difficultatis.

269 FAtemur apud defenſores præfatę viæ, ſeu probabiliſmi videri adeſſe pro defenſione, & non deſertione illius cauſam valdè rationabilem, piam, utilem animarum ſaluti, ſuavem, facilem: ubi intrat zelus, & bona intentio, eſſeque talem viam adeò tritam, & à tot Viris probitate, & ſapientia præſtantibus propugnatam. Econtrà, viam ipſis contrariam exiſtimant nimis ſtrictam, rigidam, difficilem, & quod majus eſt, animarum ſaluti periculoſam; in illa inducuntur perplexitates, adminiſtratio Sacramentorum difficilis redditur, minuitur numerus Miniſtrorum, & timor incutitur, efficiturque ut pauciores ſalventur. Quod profectò ſi ita eſſet, ut judicant, facillimè illis aſſentiremur: Sed hoc fuſius infra, præſertim in hac 2.part. qu.5. art.9. per totum. Affecti ergò hac inveterata conſuetudine, quid mirum, quod renuant, rejiciantque viam, quam rigidam appellant; undè vel ægrèferunt, quod ipſis contradicatur; & nonnulli adeò affixi ſunt ſuo probabiliſmo, ut ſi quis illis ſuadeat contrarium, nec auſcultare volunt.

Sanè, ſi ex me conjectare licet, ante annos duodecim vix ipſe placatè tuliſſem, quod quiſquam contradixiſſet: Sed poſtea attentè recogitans, & ſcrutans radicitùs fundamenta utriuſque viæ, coram Deo non vera, ſed apparentia tantùm mihi viſa ſunt fundamenta probabiliſmi; undè illum deſerere ſtatui, diſparuitque ante habita difficultas: Non inficior modum regulandi conſcientiam per ejus viam ad ſpeciem repręſentari utilem, & rationabilem, prudentem, & non parum commodum. At ſi radicitùs benè introſpiciatur, apparebit eſſe ſecundùm commodum propriæ libertatis, & ſecundùm prudentiam carnis, & ſanguinis.

270 Id videamus: Quænam via plus

commoda, & expetenda Confessariis, & Consultoribus, quam (juxta utramque opinionem oppositam sive æquè, sive magis, sive minus probabilem, licèt ipse opinetur contrarium, vel nihil opinetur) resolvere, absolvere pœnitentes, & dare responsa? Quæ major commoditas ad addiscendam Theologiam Moralem (etiam si in se difficillima sit) quam breviter capere hanc brevem lectionem. *Est probabile, ergò licitum*: Et sic cum brevi summa, seu collectanea opinionum moralium, quibus satis ętas pręsens abundat, jam est idoneus, licèt incipiens, & rudis ad Sacramenta ministranda, & resolvenda dubia moralia? Ulterius alia commoditas; quod Mercatores, & Sartores, Sutoresque, & aliorum generum Officiales, immò & fœminæ in suis Officinis possunt habere (& multoties habent) Summam moralem patrio idiomate, ubi legunt, & discunt opiniones probabiles, & illis quandoque seipsos dirigunt; & inveniendo: *Probabile est, talis auctor id tradit*; sibi suadent non indigere alio Magistro. Quid de illa commoditate sequendi opiniones contrarias, etiamsi minus probabiles? Omnibus placere possumus, quod valdè appetit humana fragilitas, circa restitutiones, solutiones, usuras, simonias, circa eleemosinam, jejunia, abstinentiam à carnibus, circa obedientiam, circa parvitates, & alia innumera.

271 Ergo cùm natura nostra sit valdè propensa ad exercendam, prout sibi libet, suam libertatem, & propriæ commoditati inclinatam, & fugiat difficilia, non mirum, quod ostensa via probabilissmi pulchra, adjuncto zelo, & intentione salutis animarum, & plures homines in vitam æternam introducendi, quod habuerit tale incrementnm; & quod sit difficile viam hanc derelinquere, & aliam difficiliorem arripere. Cœterùm, quàm immeritò huic illis contrariæ tanta difficultas attribuitur, & alia inconvenientia, quæ ponderant Probabilistæ, infra locis supracitatis ostendetur.

§. II.

Ipsa causa, ob quam via probabilissmi facilè amplectitur, & difficulter deseritur, est motivum urgens ad illam deserendam.

272 PRopenitur via probabilissmi comoda, suavis, & facilis ad regulandam nostram conscientiam, & sic comodius, suavius, & facilius est homini per illam tendere in Cœlum. Quod si ita est, quis illam non suscipiet? Sed quis ex hoc ipso efficaciter non colliget non esse viam tutam, nec illam, quam in Evangelio nobis ostendit Magistr Cœlestis? Matth. 7. *Quàm angusta porta, & arcta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam*: Ex quibus hanc consequentiam deducit D. Basilius in breviori quæst. 241. *Qui sapit ergò, & seriò animam suam salvare satagit, arctam viam capessat*. Ideo igitur pauci sunt, qui viam ducentem ad vitam inveniunt, & capessunt, quia non suavis, & facilis, sed dura, & difficilis; undè ajebat Psalmista: *Propter verba labiorũ tuorum ego custodivi vias duras*. Ps. 14.

273 Quid durius, & difficilius hominibus, quàm odisse animam suam? Quid commodius, suavius, & facilius, quàm ipsam amare? Et tamen Divinus Magister nobis intimat illam magnam, & miram sententiam: *Qui amat animam suam, perdet eam; & qui odit animam suam in hoc Mundo, in vitam aternam custodit eam*. Hæc est via Evangelica, quæ ducit ad vitam. Alibi expressius nobis ostendit viam, qua ipsius vestigia sequamur, & sic non aliter salvemur: Matth. ca. 16. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: Qui autem perdiderit animam suã propter me, inveniet eam*. Ubi S. Chrysost. *Quia Crux acerba est, & cruciat, hinc ad eam tollendam fideles animat, per ingens ejus præmium, & coronam gloriæ*. Acerba ergò, & crucians est via, quæ ducit ad vitam, quę si charitatis suavitate facilis non fiat; in vanum laborat doctrina illam facilitans, & suavizans; nam ut ait Vener. Beda apud Cor-

Cornel. à Lap. ibi: *Justitia laboriosa est, nisi amantibus*.

274 Quis ignorat virtutem esse in arduo, & Cœlum in summo? Et ita Simonides apud Clement. Alexandr. lib. 4. Strom. *Fertur* (ait) *virtus habitare in rupibus aditu difficilibus*. Vel ipsos Gentiles inter suas tenebras hoc non latebat: Ut Virgil. 6. Æneid. *Facilis descensus Averni: sed revocare gradum; superasq; evadere auras· Hoc opus hìc & labor est*. Non parum difficilis est illa D. Petri sententia: *Si justus vix salvabitur*. Epist. 1. cap. 4. Quomodo vix salvabitur? Si enim est justus, & moritur justus, certò saluabitur. Doctor Angelicus septem assignat causas; inter quas, ad rem nostram: quarta: *Quod nonnisi violenti rapiunt Cœlum*. Quinta: *Quòd arcta est via, qua ducit ad vitam, quodque virtutum ardua, duraque sint opera*. Septima: *Quòd judicium Dei subtile est, & rigidum*. Idipsum S. Mater Ecclesia unumquemque fidelium docet, qualiter Supernus Judex se geret in judicio: *Quandò Judex est venturus, cuncta strictè discussurus: quid sum miser tunc dicturus?* Doctor Jacobus de Paradiso Carthusianus lib. de peccatis narrat, Religiosum quemdam Socio suo post mortem apparuisse veste vili, mœstoque vultu, eique dixisse: *Nemo credet, nemo credet, nemo credet, quàm strictè judicat Deus, & quàm severè punit*.

275 Dices, videris assumere officium Concionatoris, quandò summis calamum pro rebus moralibus discutiendis. Optimè: numquid verba Sacræ Scripturæ, doctrina Christi, & SS. Patrum non sunt principia, ex quibus procedit nostra Theologia? Et si ex his non probat, non est propriè Theologia, neque verè, & propriè Theologus, qui docere intendit viam salutis sine ductu doctrinæ nobis cœlitùs traditæ. Nunc ergò quæsò prudentem, & timoratum, ut ex dictis benè perpensis judicet, quid inferendum? Si illa est via, per quam ducendæ sunt animæ, & dirigendæ ad vitam, quæ stricta est, immò valdè arcta; hoc enim denunciat illa ponderatio: *O' quàm angusta est porta, & arcta est via, quæ ducit ad vitam!* Et aliàs via probabilismi proponitur suavis, & commoda: Quomodò rectè ducit ad vitam? Deindè: si via, quam nos docuit Christus, est Crux acerba, crucians, naturæ nostræ dura, ardua, violenta, & valdè difficilis, ut constat ex verbis Christi D. juncta expositione S. Chrysost. & D. Thom. *Et laboriosa nisi amantibus*, ut ait Vener. Beda; Et aliàs via probabilismi dicitur commoda, & facilis: inferendum est esse viam, quam Christus docuit? Deindè: si in die illa tremenda, quandò judicandi sumus, Judex supernus erit in judicando strictus, strictè (magis quàm judicare possumus) nos est judicaturus: Eritque judicium subtile, & rigidum, ut constat ex auctoritatibus adductis; Et aliàs est certum, quòd non aliter sumus ex Christo D. judicandi, nisi juxta leges, viam, & doctrinam, quam tenemur amplecti, & sequi, dum viuimus: quid dicendum? Dum per fidem ambulamus, per quam viam debemus gressus nostros dirigere? Per illam, quam sui professores dicunt benignam, vel per aliam, quam nuncupant nimis strictam, & rigidam? Id prudenti, & timorati judicio relinquo.

276. Tandem habemus certam Theologiam, & necessario amplectendam deductam ex Evangelio, & Sanctis Patribus, *Sanctissimus Dominus Noster* (inquit decretum Alexandri VII. editum anno 1665) *audivit non sine magno animi sui mærore, complures opiniones Christianæ disciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum suscitari, partim noviter prodire, & summam illam luxurantium ingeniorum licentiam in dies magis increscere; per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus operandi irrepsit alienus omninò ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina: & quem si pro regula recta fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset Christianæ vitæ corruptela. Quare ne ullo unquam tempore, viam salutis, quam suprema veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam esse, definivit, in animarum perniciem dilatari, seu verius perverti contingeret; Idem Sanctissimus Dominus Noster ut oves sibi creditas ab ejusmodi spatiosa, lataque; per quam itur ad perditionem, via, pastorali solicitudine in rectam semitam revocaret &c.*

277. Plura possent notari non parum uti-

utilia in hoc salutifero proemio. Primo reprobat illum modum opinandi, quia alienum à simplicitate Evangelij, & doctrina Sanctorum Patrum: simplicitas Evangelij, *est*, *est*, *non*, *non*: & via probabilismi; *est*, *& non*: *potest*, *& non potest*; Utrumque oppositum probabile amplectitur. Via probabilismi, nec invenitur in evangelio, nec in aliquo ex Sanctis Patribus, nec hucusque est ostensum: & ita illi priores ipsum docentes, nullum Sanctorum Patrum adduxerunt pro se, nec antiquiorem auctorem ante annum 1560. Secundò. Vicarius Christi ad docendum nos, quam viam cavere debemus, & quam sequi, recurrit ad Evangelium denunciantem viam strictam; non ad illud; *mandata ejus gravia non sunt*, *jugum meum suave est*: non quia ita non est; sed quia sciebat facilitatem, & suavitatem illam per charitatis potentem virtutem haberi, non vero per viam probabilismi salvari. Ut infra ex Sacra Scriptura, Concilijs, & Sanctis Patribus ostendimus à num. 398.

278. Tandem ipse summus Pastor, & Innocentius XI. ejus sequens vestigia damnarunt 110. propositiones, seu opiniones morales, omnes pro libertate pugnantes, & ut probabiles à pluribus Catholicis auctoribus defensatas; si autem essent tutæ, & reddentes, seu cooperantes ad veram jugi Christi suavitatem, nõ damnarentur, ut perniciosæ animabus, nec per illas iretur ad perditionem, cujus causa damnatæ sunt: ergo videtur inferri, dirigere per probabile modo, quo dirigit via probabilismi, non esse tutum. De hoc autem decreto, ejusque propositionibus erit sermo infra quæst. 2.

279. Verum animadvertendum est; quod quando dicimus, viam regulandi conscientiam, quæ dicitur arcta, stricta, vel rigida, conformari cum via Evangelica; nolumus dicere, quod in casibus, seu quæstionibus particularibus occurrentibus, debeamus amplecti semper partem strictam, & difficilem. Hoc enim, nec sõniarunt probabilioristæ. Sed dicimus, dum casus occurrit, non sistendum in sola inventione opinionis probabilis, sed quærendam esse veritatem obiecti, ut est in se: ut si est quæstio, an possis pingere in die festo, vel tenearis jejunare tali die, aut in tali ætate, si facta diligentia, non apparent tibi vrgentiora fundamenta pro libertate, non potes operari contrà opinionem stantem pro parte legis; si verò dicta fundamenta sunt pro libertate, non teneris legem observare. Hoc dicimus, sive obiectum sit facile, aut difficile, sive strictum, sive suave. Undè ex eo quod dicatur via nostra arcta, vel difficilis, ineptè infertur non esse amplectendam. Sicut ineptè Theologizaret, viam Evangelicam non esse sectandam, quia ardua est, & arcta, & difficilis. Et propterea, quia ille modus opinandi (de quo in præfato decreto) non erat conformis viæ Evangelicæ, quippe arctæ, & difficili, rejicitur à Pontifice: & illæ 110. propositiones ab eodem, & Innocentio XI. damnatæ sunt ob eandem causam: quæ omnes erant faciles, & suaves, & consequenter approbarunt oppositas, quæ erant arduæ, & strictæ, & difficiles.

§. III.

Alia causa. ob quam multi adhærent via probabilismi, & illi oppositam aversantur.

280. Quanta sit vis consuetudinis in doctrinis, sicut in alijs rebus, & quam difficile eradicetur habitus audiendi, & sentiendi, ipsa experientia testatur; & Philosophus verè contestatur lib. 2. Metaph. circa finem *Auscultationes autem* (seu, *auditiones*, ut lectio antiqua vertit) *secundum consuetudinem accidunt*. *Quemadmodum enim consuevimus, ita judicamus dici debere: & quæ præter hæc non apparent similia; sed quia non consuevimus ignotiora, & magis peregrina. Quam verò vim consuetudo habeat, leges declarant, in quibus fabulosa, & puerilia plus possunt propter consuetudinem, quam si cognosceremus ea*. Vbi Divus Thomas lect. 5. *Dicit ergo primo, quod auditiones contingunt in hominibus, quæ sunt secundum consuetudines. Ea enim, quæ sunt consueta libentius audiuntur, & facilius recipiuntur. Dignum enim videtur nobis, ut ita dicatur de quocumque, sicut con-*

consuevimus audire: & si quæ dicantur nobis præterea non videntur nobis similia in veritate his, quæ consuevimus audire: Sed videntur nobis minùs nota, & magis extranea à ratione propter hoc, quod sunt inconsueta: Illud enim, quod est consuetum, est nobis magis notum. Cujus ratio est, quia cõsuetudo vertitur in naturam: *Undè, & habitus ex consuetudine generatur, qui inclinat per modum naturæ.* Et infra circa exemplum ex legibus adductum à Philosopho; ait: *Quicumque invenerunt eas aliquas, quibus hominum animi retraherentur à malis, & provocarentur ad bona secundum diversitatem gentium, & nationum, suis legibus tradiderunt, quamvis multa essent vana, & frivola, quæ homines à pueritia audientes, magis approbabant, quam veritatis cognitionem.* Hæc præclarissimus Aristotelis commentator.

281. En aliam causam, ob quam plures valdè affixi sunt viæ probabilismi, & viam ei contrariam fortiter aversantur: nimirum, vis incredibilis consuetudinis. Plures sunt lacte ejusmodi doctrinæ nutriti, & educati ab incunabulis studij Theologiæ moralis; ità audierunt, judicaruntque de licito per probabile. Undè tempore procedente, imbuti solum illa doctrina, habitus radicatus transijt in consuetudinem ita sentiendi, & judicandi, maximè accedente commoditate multiplici, quid mirum quod sit difficile ab illa sua via declinare, & aliam suscipere, quæ apud ipsos, & apud illos, à quibus edocti sunt, difficilis nimis, & rigida proclamatur? Et tandem, cũ existiment suam viam esse valde utilem pro rectè dirigendis animabus, & quod per illam faciliter pluresſalvantur. Quod licet in re difficillimè hoc verificetur, ingens, & timenda vis consuetudinis illis, ut certum suadet.

282. Ad rem venit audiendus Divus Gregor. Nazianzen. Orat. 1. Apolog. *Quo fervidiore* (ait) *fide præditi sunt, eò etiam acrius orationi aversantur, ac veritatis proditionem, non autem pietatem obedientiam esse interpretantur, prius omnia projecerint, quam opiniones, quas domo secum afferunt, & dogmatum, quibus enutriti sunt, consuetudinem.* Et subdit dignum animadversione. *Hic affectus de quo adhuc loquor, moderatiorum hominum est; qui etiamsi à veritate aberrent, tamen, quia ob religionis studium, & quod zelum quidem habeant, sed non secundum scientiam, hoc patiuntur, ex eorum fortasse numero erunt, qui non graviter condemnabuntur, nec multis vapulabunt.* Hæc Gregorius Theologus.

283. Non ergo sufficit zelus, nec intentio boni finis, si contra scientiam est, & non per legitima media. Homines sumus, possumus decipi, & maximè in rebus commodis juxta nostram libertatem, & inclinationem. Fere omnes illæ 110. propositiones habebantur tutæ in via probabilismi, ut illa de restrictione mentali, de adimpletione præcepti confessionis, & communionis per communionem, & confessionem sacrilegam, illa de judice &c. omnes probabilistæ, ut tutas debebant admittere, adhibitis reflexionibus suis, seu artificio probabilismi; & tamen summi Pastores, ut perniciosas animarum saluti proscripserunt: undè jàm erant perniciosæ; & tamen decepti sunt tot viri sapientes.

284. Præterea; praxis viæ probabilismi non esse tutam, sentiunt gravissimi, & sapientissimi auctores, plures Cardinales, plures Episcopi, innumeri alij magistri, & in Theologia morali non parum versati: Et hoc ita judicant nixi gravissimis fundamentis; Undè eorum sententiam non potest negari esse saltem multum probabilem: Quare incertam, & non securam necesse est manere ipsis contrariam: & consequenter imminere periculum in ejus praxi. Econtra; praxis sententiæ, seu via probabiliorismi in omnium sententia, etiam secundum probabilistas, est manifestè tuta. Sit exemplum inilla quæstione: An tenearis manifestare in confessione magnam quantitatem furti. Probabilista dicit, posse opinionem negativam amplecti, sive æque, sive magis, sive minus probabilis sit: & sic illam circumstantiam non manifestare: solumque dicere; furatus sum gravem materiam. Probabiliorista docet, si pro parte libertatis non habes opinionem multò magis probabilem, debes illam manifestare; aliàs te exponis periculo formali violandi legem.

In executione hujus doctrinæ, seu in tali manifestatione est evidens, quod tutò, & rectè operatur. Quibus bene perpensis non videtur prudenter agere, qui deflectit à parte secura.

285. Hoc discursu convictus Henricus IV. Rex Galliæ, ab hæresi Calviniana reversus est ad fidem Catholicam. Assuetus erat assentiri, & sectari illam hæresim, & cum circa hanc sectam vacillaret; ordinavit, ut coram se & Catholici, & Calvinistæ hoc negotium disceptarent. Hæretici vi argumentorum, licet convincti sunt, fateri noluerunt; tamen fassi sunt in fide Romanæ Ecclesiæ, sicut in sua, homines salvari. Catholici verò semper fixi insistebant, quod in sola ipsorum religione. Tnnc Rex hunc elicuit discursum: *In communi Catholicorum, & Calvinianorum sententia in Religione Catholica salvus esse possum: In Calviniana secundum eorum sequaces, salvus esse possum; Ex Catholicorum mente nequaquam: Ergo præferenda est religio ex omnium consensu tuta*. Prudentissima visa est omnibus judicibus ratiocinatio. Nonne imprudentissime egisset Rex si post habita Religione in omnium consensu tuta, elegisset à sola una parte assertam ut tutam elegisset? Non ergo pariter videtur prudenter agere, qui non eligit viam, vel regulam in omnium sensu tutam, & accipit aliam solum in sensu unius partis securam. Quid si revera probabilistæ decipiuntur (& credibile est ita esse) & Deus eorum regulam non approbat? Est ne facile credibile, quod Deus approbet actionem, quam in se existimas æquè, vel magis malam esse, quam bonam? Quid interest plurimos dicere esse certò honestum, si alij plurimi negant? Adhuc est dubium circa illud (quod dicitur certum,) quod certum sit. Audiendus Divus Augustinus Psalm. 35. dicens: *Quid enim dicit? Quam multi hoc faciunt? & quis hoc non facit? Et numquid omnes perditurus est Deus?* Et tamen Sanctus Doctor sentit hanc excusationem non valere apud Deum.

286 Idem S. Doctor nos docet ubi est securitas, & ubi non est. Homil. 12. *Ecce dat tibi securitatem procurator. Quid tibi prodest, si pater-familiæ non acceptet? Procurator sum servus sum: vis dicam tibi: vive quomodo vis, Dominus non te perdet. Securitatem tibi procurator dedit; nihil valet securitas procuratoris. Utinam tibi Dominus securitatem daret, & ego te solicitum facerem. Domini enim securitas valet, etiam si nolim. Mea vero nihil valet, si ille noluerit. Quæ est autem securitas, Fratres, vel mea, vel vestra, nisi ut Domini jussa intente diligenterque audiamus, & promissa fideliter expectemus.*

Multi viri sapientia, & pietate præstantes nutriti, & assueti erant probabilissimi via; sed illam radicitus cogitantes ab illa deflexerunt; uti fecerunt Eminentiss. Aguirre, Reverendidiss. Tyrsus, perdocti Elizalde, Camargo, & alii: in quo ingenii sui magnitudinem patefecerunt. Nam ut ait S. Augustinus Epist. 3. (id usurpans ex Julio) *Magni est ingenii se vocare mentem à sensibus, & cogitationem à consuetudine abducere*.

287 Dices: Licet nostri amplectuntur viam probabilismi, & hanc regulam: *esse licitum, hoc ipso quod probabile*; tamen regulariter in praxi consulunt, & sequuntur opinionem tutam pro lege, nisi detur major probabilitas pro libertate. Ita sane credo procedere viros probos, & timoratos, sed cur non discedunt ab illa regula, & via sumpta in communi? Videtur, quod veritas ex se ita splendet, ut occurrente casu in praxi, illam rectè percipiunt: & ipsa conscientia, utpote fidelis testis, testificatur, quid faciendum, arguit, accusat, & ligat, ut non sequis exponat periculo legem violandi. Expertus sum, & agnovi plures adhærentes sententiæ benignæ: & occurere v.g. adesse diem jejunii, vel Dominicam Quadragesimæ; & non ignorare opinionem, quo sexagenarius excusatur à jejunio, & die illa Dominica posse vesci lacticiniis, & licet interveniisset nonnulla necessitas utendi illis opinionibus, & habere qualitates, quas ipsæ requirunt, illos non audere in praxi illas opiniones sectari. Et tamen volunt manere cum libertate in communi, vel potius præcisive sentiendi quòd si *est probabile licitum erit*.

Sed esset animadvertendum, quod licet hujusmodi viri ita cautè quoad se segerant; tamen quia docent, scribunt, vel dicunt præfatam viam esse licitam, rectam,

&

& laudabilem, præbent non levem occasionem, ut alii non tam probi, & timorati, non ita segerant in praxi, & adhuc latrante conscientia, difformiter ad rectam operentur, & consulant. Et quanti isti erunt? Concludo ergo cum Magno Augustino, homil. 16. in fine: *Et idea, Fratres Charissimi, convertamus nos ad meliora, dum in nostra sunt potestate remedia. Curramus dum lucem habemus, ne prætereuntia salutis tempora prætereamus.*

ARTICULUS IV.

Quid sit opinio? & in quo consistat ejus formido?

288 DE opinione probabili agunt Metaphisici, & Scholastici. De quo videri possunt Nostri Salmanticen. de fide disp. 2. dub. 6. à num. 134. & N. Complutenses in logica disp. 20. quæst. 3. Et quamvis aliqui dicant, quod videtur in intelligibilis, & inexplicabilis natura opinionis, certissimum est nos opinari prudænter, & omnes tenent opinionem esse affirmationem, aut negotionem, differreque à dubitatione. Relictis hujusmodi speculationibus, hìc solum, quod pertinet ad præsens institutum attingetur.

§. I.

Explicatur breviter natura opinionis.

289 O*Pinio est assensus determinatus, seu adhæsio uni parti contradictionis cum formidine alterius*: Ita ex D.Th. 1. par. q. 79. art. 9. ad 4. manifeste colligitur, & 22.q.2.art.1. & ex Arist. 1.poster. cap. 26. Per, *assensum determinatum*, convenit difinitio cum fide divina, & cum scientia; & differt ab illis, per ly cum formidine; nam assensus fidei, & scientiæ est omnino certus. Quatenus *est assensus determinatus*, differt à dubio, & suspitione. Nam qui dubitat, nihil affirmat, nec negat de aliqua parte contradictionis; sed manet suspensus; vel quia nullum habet fundamentum pro una, nec pro alia; ut in dubio an astra sint paria. Et hoc vocatur dubium negativum, quod non est propriè tale, sed pura ignorantia, aut nescientia. Unde si interrogaretur quis, an astra sint paria, si proprie loquatur, non respondebit se dubitare, sed nescire, aut ignorare. Verè autem, & propriè dubitat, quando ex utraque parte motiva sunt æqualia, vel quasi; ex quorum mutua contradictione confunditur intellectus, & non audet, immo nec potest alterutri parti assensum præstare, & sic illum suspendit. Ut si alicui duo viri graves testentur aliquid existere, & alii duo ejusdem fidei asserunt id non existere. Hoc dubium positivum est unicè, & proprie dubium, ut docet D. Th. de verit. q. 14. art. 1. circa fin. de quo infra redibit sermo à n. 437. & n. 551.

290 Suspicio vero non est absolutus, & determinatus assensus alterius partis, sed est actus intellectus quodam modo inclinatus magis ad unam partem; vel si aliqualiter assentitur, contingit modo valde imperfecto. Propterea aliqua majora indicia requiruntur ad suspicandum ex parte illa, ad quam intellectus inclinatur, ut prudenter procedat; quam ad dubitandum. Et quia suspicio tali modo imperfecto, & debili attingit objectum, ut vix illi inhæreat, colligit Cajetanus, quem alii communiter sequuntur, quod suspicio temeraria etiam de re gravi non est peccatum mortale, nisi gravissimum crimen, ut si quis suspicaretur de aliquo viro probo (ductus levibus fundamentis) esse Hæreticum, vel de viro Catholico esse Judæum, vel non esse Christianum, de quo N. Curs. Salmant. tom. 3. tract. 13. de restit. cap. 4. num. 102. & seq.

291 Si autem roges, an differat, & per quid differat opinio à judicio temerario? Respondetur, quod si tale judicium est firmum absque formidine, certum est non convenire cum opinione, ut ex se constat. Si vero sit cum formidine potest dici opinio lato modo, & secundũ quid; non vero est opinio simpliciter: quia opinio simpliciter debet habere ex parte intellectus aliquam rationabilem causam, seu motivum: judicium autem temerariũ non sic se habet, sed procedit ex levibus indiciis, quæ ex pravo voluntatis affictu, vel passione gravia videntur: vel qui judicat malus est, & sic existimat alios; vel quia contemnit,

odit, aut irascitur contra aliquem, unde facile ex levibus signis, vel indiciis male judicat, vel opinatur, aut suspicatur de illo.

§. II.

Exponitur opinionis formido.

292 DUm quis opinatur, duo ipsi videntur. Unum est, rem ita se habere, alterum contrarium non repugnare. Primum respicit actum ipsum, & objectum. Secundum non repugnantiam ad oppositum: Vel ita assentitur uni parti, seu objecto probabili, quod simul includitur formaliter, vel virtualiter in assensu illo, talem partem, vel objectum posse aliter se habere. Judico probabiliter votum factum cum intentione se obligandi leviter tantum, non obligare sub peccato mortali, etiã si materia in se gravis sit: sed taliter judico, quod etiã mihi videtur, vel explicite, vel implicitè, quod *non repugnat me falli*, & in hoc cõsistit opinionis formido. Non enim existimo *me fortè falli*, alias enim non adhererem objecto assensu firmo, & absolute; *Sed forsitan possum falli*. Itaque salvatur actus cum potentia; ut quando sedeo, habeo potentiam ad non sedendum: Sic datur assensus ad actum, aut ad objectum cum assensu formali, vel virtuali ad posse aliter se habere.

293 Quare amplectenda non est explicatio illa formidinis opinionis per particulam, *fortè*: quasi opinans diceret: *Non teneor absque culpa Theologica gravi restituere materiam gravem, quam levi culpa in illius interitum influxi, sed fortè fallor, aut forsitan non ita est*. Hujusmodi namque explicatio est implicatoria; Nam juxta D. Th. & Arist. §. præced. in princ. relatos, & secundum veritatem: qui opinatur, assentitur affirmando, aut negando absolutè, & determinatè unam partem contradictionis; Sed hoc ipso non potest dicere simul: *forte non ita est, sed oppositum*; hoc enim esset simul dicere: *forte est, & forte non est*; quod non est affirmare unam partem contradictionis, & alteram negare; sed simul utramque virtualiter affirmare, vel dubitare de utraq; & à sensum suspendere.

294 Formido igitur in assensu opinativo est quasi carentia, aut negatio majoris firmitatatis; non autem motus, velut fuga ab ea parte, cui assentitur: quia aliàs intellectus in opinione haberet motus contrarios. Id explicatur in actibus voluntatis. Petrus minus diligit amicum, quam Deum: id *minus* non est quasi fuga ab amico, sed modus minus perfectus proveniens ex qualitate rei amatæ; ideoque adhæsio respectu amici non est tam firma, sicut respectu Dei. Sic in assensibus, seu adhæsionibus intellectus respectu objecti per fidem divinam cogniti, aut per scientiam, firmissimus est: in opinionibus verò debilis, seu minus firmus (prout intellectui apparent fundamenta) proportionatus.

295 Cæterum occurrit hìc non levis difficultas. Quomodo possit quis absolute affirmare, aut negare rem opinabilem? Primo enim obstat; quia talis affirmatio esset mendacium; & ideo nemo potest illam absolutè juramento confirmare. Deinde, D. Thomas explicans Philosophum. lib. 3. de anima tex. 153. sic docet, quid sit opinari: *Circa intelligibilia cum aliquid intelligimus, asserimus sic esse. Cum autem opinamur, dicemus sic videri, vel apparere nobis*. Hoc autem quid aliud videtur, quam affirmare dubitando, ac dicere *fortè ita non est?* Non ergo absolute poterit affirmari res opinabilis.

Respondetur, animadvertendo; quod sæpè est valde difficile explicare per voces, quod homo habet in mente: ac proinde multoties caremus verbis externis illorum verborum internorum, quibus in suis conceptibus utitur intellectus. Et hoc contingit in conceptu, seu assensu, quo opinamur; quod propriè, & strictè non est verbum *est*, sed quid minus. Dum dicimus opinativè: *hoc est licitum*: ly, *est*, affirmat, seu est assertivum, sed modo inferiori, quam dum de rebus scitis, aut clarè cognitis determinatè, & firmiter pronunciamus. Et propterea Angelicus Doctor optime explicavit opinari, per, *nobis videri, & apparere*. Quia dum opinamur, cum sit per media, quæ possunt se aliter habere, si in toto rigore, & stricte loquamur, non audemus omnino absolute dicere, quod res in se ita sit, vel non sit, sed cum limitatione, *ita nobis videri*.

Qua-

296 Quare opinari rem eſſe, idem eſt ac dicere, videri nobis rem ita eſſe; & hoc modo aſſerimus verum; dum opinando affirmamus: Siquidem dicimus nobis videri, quod revera ſentimus, & judicamus. Quare nullum in hoc intervenit mendacium; & ſic hoc modo, & limitatione juramẽto confirmare non eſſet perjurium. Voces namque ſignificant juxta formam, qua homines communiter utuntur. Quid magis commune inter homines, dum voce, vel ſcripto exprimunt judicia, quam id facere, per *eſt*, vel, *non eſt*, ſeu per aſſertionem abſolutam. Cæterum reſpectu juramenti receptum eſt, ea, quæ homo affirmat, vel negat abſolute, ſcire certe, & abſque formidine; cum res ſit adeo gravis adducere Deum inteſtem: unde nequit affirmari abſolute ſub juramento id, quod opinatur. - Sed oppones contra expoſitionem formidinis traditam: Experientia conſtare plures adhęrere opinionibus nonnullis ita firmiter, ſicut alii rebus ſcitis; quod etiam teſtatur Ariſt. 7. Ethicor. cap. 3. Ergo vel ſalvatur opinio abſque formidine, quod eſt deſtruere naturam opinionis, vel non aptè expoſitum eſt, in quo formido conſtat.

297 Reſpondetur, quod licet aliquibus ita ſibi videatur aſſentiri rei opinabili; ac rei per ſcientiam cognitę, tamen ex vi motivi, per quod proceditur, non excluditur exercite poſſibilitas partis contrariæ. Poteſt enim opinio pertingere ad moralem certitudinem, non vero ad certitudinem Metaphiſicam, ita quod aſſentiens judicet oppoſitum repugnare. Si namque ita judicaret, non diceretur habere opinionem, ſed potius errorem, ſeu ignorantiam pravę diſpoſitionis. Poteſt tamem contingere opinantem non advertere ad partem contrariam actualiter, nec illam exercitè excludere, ſed ſufficit, quod poſſit facile advertere, ſe non eſſe omnino certum de objecto.

298 Ex dictis deducitur, qualiter & quare Hæretici, & Mahumetani, aliique extra Eccleſiam Catholicam infęliciter vagantes, adeo fixè adhærent ſuis Erroribus: id enim provenit exprava diſpoſitione, & ignorantia non inculpabili, licet non habeant actualem formidinem in opinionibus, & erroribus ſuis. Et inter Catholicos etiam plures nonnullis propriis opinionibus adeo ſibi videntur firmiter adhærere, ut dicant eſſe, quod ſentiunt, *evidens*, *omnino certum*; licet ſit opinabile, & apud alios *falſum* exiſtimetur. Provenit ex conſueto, ut art. præc. §. 3. dictum eſt, vel etiam ex paſſione aliqua, vel inclinatione. Pro quo eſt notandum, quod tradit Philoſophus. lib. 3. de anima cap. 3. tex. 153. juxta verſionem Argyrophyli: *Licet namq; cumlibet fingere, quid quid volumus: atque ante oculos ponere perinde, atque ii faciunt, qui in artificioſæ memoriæ comparatis, atq; diſpoſitis lucis imagines fingunt, atque ſimulacra collocant: Opinari autem non in nobis eſt: Neceſsè enim aut falſum, aut verum dicere.* Itaque opinari eſt ponderare, & ſe qui rationum monumenta, à quibus moveatur, & determinetur intellectus ad hoc, vel illud opinandum, ſeu exiſtimandum verum, vel falſum: Sed quia voluntas habet vim ingentem admovendum intellectum, ſæpè contingit ob conſuetudinem, inclinationem, aut paſſionem &c. intellectum à voluntate moveri, & applicari, ut fixe adhæreat objecto, & de illo judicet non juxta merita, & exigentiam illius: & hoc eſt fingere: quia volumus; non opinari cum ſufficienti ratione.

ARTICULUS V.

Quid ſit opinio probabilis.

299 Probabile eſt idem, ac eſſe dignum, ſeu credi dignũ approbatione intellectus, & ita dum intellectus aliquid opinatur, conſequenter id approbat per aſſenſum juxta doctrinam D. Auguſtini de utilit. credendi cap. 11. *Quis enim id quod credit non probat? Aut quomodo eſt illud, quod ſequuntur, ſi non probatur probabile.* Difficultas ergo ſtat, in quo conſiſtat eſſe probabilem opinionem, & ita intellectus illam approbet, non ut cumque, ſed prudenter, ut ex illa poſſit formari, vel concludi recta Regula Moris. Hinc oritur diverſitas definiendi, ſeu explicandi opinionem vere probabilem. Quilibet enim curat explicare ſecundum id, quod proprius intellectus ſentit, judicat, arbitratur, approbat. Hinc emergunt in dies plurimæ novæ opi-

opiniones, quæ licet à princicio approbatione difficiles visæ sint, postea accedentibus patronis, jam probabiles dicuntur, maxime ab illis, qui sua benignitate student libertati favere. Cur autem denominetur opinio probabilis, cum hæc denominatio denotet quid passivum, & opinio sit actus? Respondetur, ly probabilis, etiam sumi active, & sic nominari; quia terminatur ad objectum probabile; sicut de probabili conscientia dictum est supr. art. 1. in fin.

§. I.

Aliquæ definitiones expenduntur.

300 PRima sit: *Opinio probabilis est assensus fallibilis, sed cum gravi fundamento*. Ita N. Laurent. à S. Theresia in suo Specileg. t. 3. controv. 8. n. 3. & alii; estque satis communis inter probabilistas. Sed est difficultas circa modum, quo sumendum sit illud *grave fundamentum*, cui debet niti opinio, ut sit probabilis. Si enim tale fundamentum apparet opinanti pensatis omnibus, quæ ipsi occurrunt, & se habent ex utraque parte contradictionis, consentirent anti probabilistæ; quia tunc non manet approbabilis illi opinanti opinio contraria. Si vero tale fundamentum intelligant solitariè, & secundum se consideratum, abstrahendo à fundamentis sententiæ contrariæ, dicunt non posse dici rationabiliter grave; nisi sit majus, quàm alia partis contrariæ. Et quia in dicto sensu de fundamento solitariè sumpto videtur intelligi ab Auctoribus hujus definitionis, remanet dubium an sit legitima. Quia præsens controversia circa hoc versatur, & quod controvertitur, non debet supponi.

301 Secunda sic se habet: *Opinio moralis probabilis est conclusio incerta prudenti fundamento innixa*. Ita Cardenas de probabilit. tr. 1. disp. 1. nu. 16. Hæc parum differt à præcedenti, & eamdem difficultatem continet. Nam hoc fundamentum non intelligitur apparere intellectui omnibus pensatis, ut proximè dictum est, sed solitarie absque comparatione respectu fundamenti partis oppositæ: quomodo prudens dici potest? Nam juxtà Divum Thomam 22. q. 49. art. 7. *Prudenita est circa singularia operabilia, in quibus multa concurrunt. Contingit aliquid secundum se consideratum esse bonum, & conveniens fini; quod tamen ex aliquibus concurrentibus redditur malum, vel non opportunum ad finem*. Quare, si ex parte una apparent æqualia, vel majora fundamenta, seu motiva, non apparet intellectui causa rationabilis, ut inclinet ad partem minus tutam, nisi ex propria voluntate, & sic non erit fundamentum prudens, nec assensus. Et quia tradentes prædictam definitionem propugnant posse intellectum prudenter assentiri parti, in qua minus fundamenti apparet, quam in opposita, idcirco à contrariis in sensu à probabilistis prætenso non admittitur: alias enim in eptè adeò gravis controversia exagitaretur.

302 Tertiam extensius alii apposuerunt: *Quod sit, judicium absolutum de aliquo objecto, sed incertum, nixum motivo prudenti, cui homo irreprahensibiliter assensum præbet*. Ita Terillus de Consc. prob. q. 2. n. 41. Hæc difinitio quo ad voces à nullo reiiceretur; sed quo ad sensum, & modum illam applicandi, & intelligendi, prout intelligitur ab ejus Auctoribus, continet ipsammet difficultatem, quæ in controversiam adducitur. Quod ut perspicuè appareat, videamus, quid intelligant per motivum prudens, cui homo irrepræhensibiliter assensum præbet? Intelligunt aliquam rationem, seù motivum commune utrique parti contradictionis, & etiam parti minus probabili. Itaque licet motiva unius, & alterius partis æqualia appareant, & sic indifferentia ad veritatem, & falsitatem, immo quamvis motivum pro parte libertatis sit minus, & hæc pars appareat magis falsa quam vera; jam irrepræhensibiliter assentitur.

303 Explicatur exemplo. An senex sexagenarius teneatur jejunare: ex parte affirmativa, & negativa apparent motiva æqualia intellectui, vel majora, quod tenetur: potest homo respuere motiva (ajunt) se tenentia ex parte legis, & amplecti motivum se tenens ex parte libertatis, quamvis hoc appareat magis falsum, quam verum: quia præfati Auctores sentiunt, utrumque esse prudens, & grave; & quod magis acce-

accedit ad veritatem, & quod accedit magis ad falſitatem: & in hoc ſenſu intelligunt motivum gravè, & prudens in diſinitionibus. Quare irrepræhenſibiliter poteſt amplecti utrumque, & non jejunando meritorie operari. Sed eſt petitio principii; & hoc eſt, quod reſtat inveſtigandum, & non ſupponendum: nimirum: quomodo, qui vult reſolvere dubium, ut operetur de facto, poteſt judicare rectè eſſe prudens motivum, quod judicat eſſe magis falſum, quam verum, cum videat motivum contrarium magis accedere ad veritatem? Quomodo poteſt intellectus determinate aſſentiri huic extremo, ut vero, dùm exiſtimat eſſe magis falſum quam verum, & illud approbare? Cæterum præfati Auctores formant adductas definitiones, quæ ſi intelligantur reſpectu agentis, ſeù volentis operari, & rectè opinantis, legitimæ ſunt: quia, (ſi reſpectu illius motivum eſt prudens,) opinio ipſi erit probabilis: Sed quando Auctores illi; in ſyllogiſmo pro minori apponunt: *Sed opinio minus probabilis eſt vere probabilis: quia hoc ipſo habet motivum prudens*: decipiuntur: quia reſpectu talis agentis, cui apparet urgentius motivum contrarium, opinio minus probabilis non eſt vere, & ſubjectiuè probabilis, nec illius motiuum; licet aliis probabile, & prudens viſum fuerit. De quo fuſius infra.

§. II.

Definitio Divi Thomæ explicat naturam opinionis probabilis.

304 CUm Angelicus Doctor adeò diligens fuerit in tradenda doctrina neceſſaria, & convenienti tum ad fidem, tum ad mores, videtur non ommiſſurum nobis exponere, in quo conſiſtat opinio probabilis. Profecto non ommiſit: nam cum opinionem explicauit per aſſenſum determinatū uni parti contradictionis &c. ut art. 4. viſum eſt; non aliam proprie, & ſimpliciter definiuit, niſi opinionem probabilem; quia hæc eſt propriè, & ſimpliciter opinio, & non alia: ita plures Thomiſtæ, præſertim Mag. Martinez de Prado t. 1. moral. c. 1. q. 2.

[Ex doctrina iſta (inquit) Theologorum communi, quæ ex vocum proprietate, & communi acceptione conſtat, habemus, quod in rigore loquendo, non differunt opinio ſimpliciter, & opinio probabilis: quia ſi intellectus non habet probabile argumētum, quo in unam partem inclinet, non dicitur opinari, ſed falli, vel habere ſolam credulitatem, vel dubitationem. Si autem motiuum habet, ut inclinet, jam habet fundamentum probabile, & ſic in rigore opinio ſimpliciter, & opinio probabilis idem ſunt.] Hæc per doctus Magiſter. Quare in ſpeculatiuis illa erit opinio probabilis, quæ in linea ſpeculatiua intellectus aſſentitur determinatè uni parti contradictionis cum formidine alterius, & in practicis, ſeu moralibus, dum eodem modo aſſentitur prudenter, erit opinio probabilis. Cum enim definitio breuis, & compendioſa quantum poſſibile ſit, debeat formari, id aptiſſimè fecit Magiſter Angelicus.

305 Sed quia definitio regulariter indiget explicatione, id fecit S. Doctor q. 14. de Veritat. art. 1. *Quando intellectus non inclinat magis in unam partem contradictionis, quam in aliam, vel propter defectum moventium, ut in problematibus, vel propter apertam æqualitatem eorum; & iſta eſt dubitantis diſpoſitio: qui fluctuat inter duas partes contradictionis*. Ita explicat S. Doctor naturam dubii propriè ſumpti. Et ſubjungit. *Quandoque intellectus inclinat magis in unam partem contradictionis, quam in aliam; ſed tamen illud inclinans non ſufficienter movet intellectum ad hoc, ut determinet ipſum ad unam partem totaliter: unde accipit quidem unam partem; ſed tamen ſemper dubitat de oppoſita*. Ubi D.Th. diffusè explicat qualiter ſe habeat intellectus, dùm opinatur, & quid requiritur ad opinandum: nimirum: dum intellectui apparet major veriſimilitudo, & motiuum magis inclinans ex una parte ad aſſenſum, illam accepit intellectus, ſed quia in tali motiuo non apparet connexio infallibilis cum veritate, non omnino determinatur, ſed manet cum formidine. Hæc requirit D. Th. ut vere, & propriè dicatur opinari, ſeu ut detur opinio. Hæc vera Doctrina Angelici Doctoris ſatis erat ad reſoluendam, & terminandam hanc controuerſiam,

de

de licita sequela opinionis probabilis. Ex qua constat qualiter juxta doctrinam Thomisticam eadem sit difinitio opinionis in communi, & explicatio opinionis probabilis.

306 Sed objicies: Si requiritur major verisimilitudo, & grauius fundamentum, nunquam dabitur opinio minus probabilis; quia ideo est minus probabilis, quia caret grauiori motiuo: immo nec dabitur opinio æque probabilis cum alia; ubi etiam non adest grauius fundamentum: Sequela est contra torrentem omnium Auctorum: ergo & assignata explicatio.

Pro explicatione est notandum, quod probabilitas dupliciter summitur. Primo subjectiuè, & formaliter: secundo objectiuè. Primo contingit, dum intellectus pensatis utriusque partis fundamentis inclinatur ad unam, & illi assentitur, & tunc subjectiuè, & formaliter assensus ille, seu opinio est in intellectu ipsius opinantis. Secundo probabilitas dicitur esse in opinione, non quæ causatur, seu efficitur ab intellectu, nec existit in illo, sed quia videt illam opinionem doceri, & defendi ab aliis Auctoribus; & sic solum est in tali intellectu objectiuè, sicut aliæ res, quas cognoscit: V. g. dubitas an tenearis confiteri circumstantiam notabiliter aggrauantem: quia apparet tibi grauius motiuum pro obligatione, huic parti assentiris: & simul cognoscis partem contrariam defendi à pluribus, & esse probabilem. Prima opinio est subjectiuè in mente tua, alia vero solum objectiuè.

307 Dum ergo D. Th. definiuit opinionem probabilem, summit opinionem probabilem subjectiuè: quæ solum est forma, ratione cujus quis opinatur, seù est in statu opinantis: & de qua verificatur, quòd per illam assentitur intellectus propriè, & formaliter uni parti contradictionis &c. Alia vero probabilitas objectiua, vel opinio, quæ est in mente aliorum, non est per quam tu assentiris, & opinaris: ut in exemplo adducto: nec per hoc, quod respectu aliorum sit probabilis, hoc ipso est apud omnes licitus usus illius, (ut deinceps probabitur) sicut non ob hoc quod objectum aliquod sit proximè visibile Petro habenti potentiam bene dispositam, & expeditam, per hoc sit omnibus visibile non habentibus illam dispositionem: ita per hoc quod sit aliquibus tale objectum probabile, ineptè arguitur esse aliis probabile habentibus aliam diuersam, seù contrariam dispositionem. Unde existimanti aliquam opinionem esse minus probabilem; non est talis opinio subjectivè probabilis. Absolute tamen ut opinio dicatur probabilis modo usitato, sufficit quod sit talis in intellectu aliquorum sapientum citra temeritatem, aut imprudentiæ notam, quamuis respectu aliorum sit improbabilis subjectiuè, vel relatiuè, quia ob oppositum majus fundamentum illam approbare non possunt, & idem respectu æqualis motivi, & constat ex definitione D. Thomæ. Ex quibus constat qualiter opinio æque, vel minus probabilis non compræhendatur in definitione Diui Thomæ.

308 Quare anteprobabilistæ constanter negant esse legitimas definitiones supra §. 1. adductas in sensu à suis Auctoribus intellectas; si autem in vero sensu summantur, optimæ sunt. Quare ad excludendum artificium probabilismi recentiorum, & refellendas reflexiones, quæ post ortum probabilismi inventæ sunt, illum non admittentes alias assignant. Præsertim illa, quam efformat Reuerendissimus Tyrsus Gonzalez, rectè rem explicat, ita: *Opinio probabilis est illa, quæ concipitur ob rationem, vel rationes talem præseferentes, ut ob illas vir prudens sine ulla præcipitatione, & passione judicet rem esse veram, licet agnoscat non repugnare, quod sit falsa*. Hæc ille; de usu opin. prob. disert. 1. n. 40.

309 Itaque secundum hunc Auctorem, & alios ejusdem sententiæ, illa opinio tantum est vere probabilis, & judicium prudens in materia morali, quam intellectus approbare potest per assensum directum fundatum in motiuo, quod absque passione, aut culpa, sit unice verisimile, taleque existimetur omnibus inspectis; vel (si appareat aliud motivum ex alia parte contraria) sit prædictum motivum, in quo fundatur opinio absolutè, verosimilius manifestè, & percibiliter, ita ut exiguam fundet formidinem, atque ideo prudenter possit contemni, ut in hoc casu. Peccasti grauiter: dubitas an tenearis statim, ac commode po-

potes confiteri: inuenis aliquos Auctores non abſque fundamento affirmantes: ex alia parte vides D. Thomam docentem non ita te eſſe obligatum, nixum graui fundamento: & abſque paſſione exiſtimas ſententiam D. Tho. eſſe manifeſtè probabiliorem, & cum exceſſu non exiguo: prudenter igitur potes concludere te non teneri. Secus ſi exiſtimares motiua ſententiæ ex parte negatiua eſſe tantum æqualia, & minus, ſi eſſent leuiora.

310 Negabunt profeſſores probabiliſmi datam definitionem, ſeu explicationem: non demiramur; quia illam non ſuqponimus, ut innegabilem, & irrefragabilem ex terminis, ſed illam efficaciter probandam ſuſcipimus. Miramur tamen, quod nonnulli hujus controuerſiæ ſenſum pene intelligentes, ſic ſoleant argumentari: *Licitum eſt ſequi opinionem vere probabilem: ſed opinio benigna minus probabilis eſt verè probabilis, ut ex terminis conſtat*: ergo &c. Dum illis minor negatur, ſtupent; & ſcandalizantur, volentes ſibi eſſe concedendam ſine ulteriori probatione propoſitionem illam, quæ continet ſententiam, de qua eſt controuerſia, & quam refellit, & impugnat ſententia contraria.

311 Et ut appareat, quàm diverſè exponebant antiqui Conceptum *Probabile*, ac his temporibus à pluribus accipitur, & traditur, videndus Ariſtoteles, qui pluribus in locis id expoſuit; præſertim libro Rethoricorum cap. 2. ad Theod. *Probabile namque eſt* (inquit) *quod ſemper ſolet fieri; Verùm non ſimpliciter, ut quidam definiunt, quòd cùm de iis ſit, quæ aliter ſe poſſunt habere, ſic ſe habet ad illud, ad quod eſt probabile, ſicut univerſale ad particulare: hujuſmodi eſt; ut ſi quis febricitare hominem dicat, ex eò, quòd crebrò reſpiret, cùm tamen poſſibile ſit, quod febre non agitetur.* Hanc veram deffinitionem ubiquè ſequitur D.Thomas, ut inferius conſtabit.

Alter Philoſophus ſapientia, & probitate inſignis opinionem, ſeu ſententiam probabilem ſic definit (nimirùm Severinus Boetius lib. 1. differentiarum topicarum.) *Probabiles ergò illis eæ ſententiæ ex conſenſu communi dicebantur, quibus ſponte, atque ultrò conſenſus adjungebatur, ſive facilè animus auditoris conſentiret, & acquieſceret, ut nulla probatione egerent. Et harum multa genera erant: Primùm ſive quod dictum manifeſtò aliter eſſe non poſſit. Secundò, ſive quia experientia conſtabat, quod ſemper, vel ferè ſemper fieri ſolerent.*

Tertiò, ſive quia de condicto ſupponerentur, vel communi hominum ſenſu, vel communi ſapientium traditione, vel horum ſapientium plurium approbatione; vel maximè notorum, atque publicè commendatorum auctoritate; vel prorſus eruditorum in unaquaque diſciplina, & arte reſpectivè atteſtatione; vel quia ſic viderentur ſermonem inter ſe mutuo conferentibus, qui in illa conſentirent. Quid cum hac doctrina hujus ſapientiſſimi Viri facilitas aliquorum efficiendi ſibi ad libitum probabilem quamcumque opinionem.

312 Sed reſtat quædam objectio contra modum intelligendi deffinitionem Divi Thomæ à nobis ſupra aſſignatum: Nam opinio communiter dividitur in opinionem probabilem, & improbabilem, tamquam genus in ſuas ſpecies: Sed natura rei conſtituta in ſpecie non rectè explicatur, ſeu deffinitur per ſolam deffinitionem generis: Ut ſi vis explicare hominis eſſentiam, ineptè diceres ſolum: homo eſt animal ſenſibile: ergò per illam deffinitionem in communi, & genericam opinionis, non rectè explicata eſt natura opinionis probabilis.

Reſp. Neg. majorem: Dato quod ab aliquibus ita dividatur, ineptè fit diviſio: tum quia opinio probabilis eſt actus intellectus importans aſſenſum; improbabilis verò importat diſſenſum, quia hoc ipſo quod improbabile eſt falſum, & ut falſum exiſtimatur ab intellectu, eſt impoſſibile de illo opinari, hoc eſt, adhærere illi: nam, cùm objectum intellectus ſit verum, ſaltem ut apprehenſum, nequit aſſentiri objecto, quod certò judicat eſſe falſum: ſicut voluntas nequit attingere, quod ſibi proponitur ut malum: Tum deinde, quia dum judicamus aliquam opinionem eſſe improbabilem, tunc talis opinio eſt objectum, non cui adhæremus, ſed quod fugimus, quia adhæremus parti contrariæ ut certæ; ſicut dum voluntas odio habet malum, non adhæret illi, ſed illud fugit, quia bono contrario adhæret. Quare diuiſio opinionis in probabilem, & improbabilem eſt veluti

luti dividere actum voluntatis, in actum, seu attingentiam boni, & attingentiam mali: Sed malum non attingit adhærendo, seu assentiendo, sed per modum fugæ; ita intellectus respectu falsi; sic enim apparet illi opinio improbabilis.

ARTICVLUS VI.

Quotuplex sit opinio probabilis.

313 CElebris est divisio opinionis probabilis in probabilem tantùm speculativè, & probabilem speculativè simul & practicè. Primam Auctores intelligunt, quæ judicat de objecto secundùm se, & absque circumstantiis, vel omnibus, vel saltem aliquibus, ut est illa, quæ asserit valere Baptismum sub forma: ***Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque***: Hęc enim ad praxim deduci nequit ob periculum efficiendi Sacramentum nullum. Similiter dum quis opinatur in nemore esse feram, tamen licitè non potest in illam jaculare, nè fortè hominem occidat.

Probabilis verò simul speculativè, & practicè nuncupatur, quæ attentis omnibus circumstantiis hìc, & nunc occurrentibus, & motivis benè perpensis, judicat esse licitum objectum, licèt cum formidine oppositæ partis. Cùm enim ad operandum requiratur judicium practicum, & operari sit cum circumstantiis, ideo hujusmodi opinio etiam practicè dicitur probabilis. Ut in illa quæstione: An qui prætermisso digniori eligit dignum ad dignitatem Ecclesiasticam, teneatur ad restitutionem; Omnibus pensatis, judicatur communiter non teneri. Et secundùm hanc communem explicationem, opinio probabilis tantùm speculativè in materia morali, absolutè dicitur improbabilis. Econtrà speculatiuè, & practicè probabiles absolutè tales dicuntur; & dum subjectiuè sunt in opinante, in communi modo sentiendi, earum usus ipsi licitus est, & honestus.

314 Rursus alii pro majori intelligentia dividunt opinionem practicam, in probabilem practicè materialiter, & probabilem practicè formaliter; tum quia opiniones in materia morali pertinent ad illam partem Theologiæ, quæ est practica, & ita aliquo modo versantur circa operationes. Tum deinde quia hoc ipso quod Aures defendunt aliquam opinionem, quę verè, & prudenter sibi videtur probabilis, judicant ad praxim posse reduci: undè opiniones morales probabiles ob has causas possunt absolutè dici practicè probabiles. Cœterùm non ex hoc, vel ex cò, quòd in aliquorum sententia opinio aliqua sit reducibilis ad praxim; eò ipsò apud omnes sequitur ita esse sentiendum, & omnibus esse licitum ejus usum. Licèt enim hoc doceant plerique probabilistæ; in sententia verò antiqua, & probabilioristarum vero sensu, dum quis non cognoscit pro parte minus tuta dari graviora motiva, non est licitum deduci ad praxim hanc partem, seu opinionem minus tutam: Undè hæc talis opinio non est probabilis practicè formaliter, (ut §. præcedenti tetigimus) sed solùm practicè materialiter. v.g. Dubitas, an possis Officium Divinum variare; si pro parte affirmativa non apparent tibi urgentiora motiua pro licito, teneris conformari cum dispositione Breviarii; quia opinio illa affirmatiua non est tibi probabilis practicè formaliter: licèt aliàs contraria absolutè dicatur probabilis practicè; sed solùm materialiter: De quo erit sermo in sequentibus diffusè.

315 Prætereа diuiditur opinio in probabilem ab intrinseco, & probabilem ab extrinseco. Ab intrinseco dicitur, quandò in ea concluditur à ratione; & ita in ly *ab intrinseco*, omne rationis genus compręhenditur; quæ autem rationes eam reddant probabilem, jam art. præcedenti de hoc nonnihil dictum est. Ab extrinseco dicitur probabilis, quandò auctoritate Sapientum in tali materia probatur.

316 Alia etiam diuisio communis opinionis probabilis circumfertur in tutiorem, & minus tutam. Et licèt hæ voces modo comparativo communiter sint usitatæ, in acceptione Auctorum sumuntur in modo positiuo. Undè ly *tutior* accipitur aduersatiuè: & sic pars tutior dicitur tuta; & minus tuta illa, quæ tuta non est. Pars tutior nuncupatur, in qua nullum peccatum esse potest, nec ulla legis transgressio, nec matesialis. Pars verò minus tuta est illa, in qua

qua tranſgreſſio formalis, aut materialis eſſe poteſt. Ut in opinante, an ex ſimplici promiſſione acceptata oriatur obligatio ex juſtitia? Illam adimplere eſt pars tutior, etiamſi minus probabilis eſſet: non adimplere minus tuta: De quo fusè infra à numer. 438.

317 Sed ecce occurrunt ſententiæ benignæ defenſores conantes hanc diviſionem modo explicato refutare, dicentes nullam eſſe opinionem, etiamſi minus probabilem in ſenſu ſuo, quæ minus tuta reipſa ſit, hoc eſt, quæ tuta non ſit; omnemque eſſe tutiſſimam docent, etiam faventem libertati, & non minus quàm oppoſitam, quæ ſtat pro lege; eò quòd excludat omne peccandi periculum imputabiliter. Et quæ major ſecuritas, quàm excludere omne peccandi periculum? Et licèt talis opinio pro libertate, præſertim cùm eſt minus probabilis, conjungatur frequenter cum legis violatione: At hæc nec eſt aliquod malum, neque à Deo aliquid aufert, nec nobis in aliquo lędit. Quid autem de hoc ſit ſentiendum? videre poteſt prudens, & ſuæ conſcientiæ, & propriæ ſalutis ſtudioſus; & an faciliter ſit contemnenda violatio materialis legis, vel potius formidanda, & ſedulò vitanda, maximè cum ſit difficile (cùm non careat omni notitia legis) componere, quod non tranſeat tunc in violationem formalem. Sed de hoc etiam tractabitur in progreſſu hujus operis.

Sed ultra procedunt alii dicentes omnē opinionem probabilem, etiam minus eximētem ab obligatione legis eſse tutiorem, quia liberat à peccato, & quia facilis eſt, & facilè admittitur; ſecus alia, quæ ſtat pro lege: v.g. amplectendo opinionem excuſantem ab obligatione attentionis internę liberaris ab omni peccato etiam veniali, quod non eſt facile in ſententia contraria. Das conſilium homini avaro, quod non reſtituat ſequendo minus probabilem, liberas eum à peccato, nam ſi reſponderes affirmativè, non reſtitueret, & mortaliter peccaret; & ſic de aliis caſibus occurrentibus. Quapropter magnum ſubſidium habent fideles in hoc modo regulandi conſcientias, ut liberentur à noxa peccati.

318 Sed undè ſumpta eſt hujuſmodi doctrina? Ex quo loco Scripturæ; ex quo Concilio, vel Textu canonico, aut Sanctę Eccleſiæ Doctore? & hoc in re tanti momenti? Ex illis fontibus potius apparet contraria, ut infra videbitur. Undè illa ſumpta eſt, niſi ex quibuſdam ratiocinationibus ſubtilitate humani ingenii excogitatis, quibus non adeò facilè eſt aſsentiendum in negotio unico, & ſuper omnia noſtrę ſalutis æternæ?

Cur Chriſti Vicarii, ut oves ſibi creditas à via ſpatioſa, lataque, per quam itur ad perditionem, revocarent, damnarunt tot propoſitiones animabus pernicioſas, quæ erant opiniones benignæ, practicè probabiles in via probabiliſmi? Si erant tutiſſimæ, immò & tutiores, quàm rigidæ illis contrariæ, liberabantque à noxa peccati, quomodo erant ſcandaloſæ parantes laqueum pedibus noſtris? Difficillimum quidem eſt aſtruere opiniones probabiles, modo, quo traditur in via probabiliſmi, eſse tutiſſimas, & etiam tutiores, dum militant contra legem. Sed de hoc, & quid dicendum de exemplo hominis avari, & de recitante ſine interna attentione dicemus art. ſeq.

ARTICULUS VII.

Quo pacto accipienda ſit noviſſima diviſio opinionis, ſeu ſententiæ in benignam, & rigidam.

319. Poſtquam plures non mediocris auctoritatis, & eruditionis fortiter inſurrexerunt in novum probabiliſmum; hujus profeſſores, ut diſtinguerent viam, & opinionem ipſorum, ab opinione, & via probabilioriſtarum, excogitaverunt quamdam diviſionem, nimirum: in viam, ſeù ſententiam rigidam, & in viam, ſeù ſententiam benignam. Rigidam nūcuparunt partem ſibi adverſantem, & ſuam benignam: & conſequenter refellentes ſuam ſententiam appellare inceperunt rigidos, vel rigoriſtas; probabiliſmi verò poſſeſſores, auctores benignos; & modò etiam apud illos ita eſt ſtylus. Quos non trahet ad ſe ſonus adeò ſpectabilium epithetorum, ſpecioſiſſimorumque titulorum: *Sententia benigna*: *auctores benigni?* Et econtra, alij partis contrarij tituli abſoni:

soni : *Sententia rigida* : *authores rigidi*, quos non arcebit? Cum ergo incipientes studium morale, & similiter minus, vel semidocti, hæc audierint, ad quam partem inclinabit animum fragilis natura nostra? Sed circumspiciendum est, an inclinatio sit juxta illam, quam cum David docet nos Spiritus Sanctns : *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum* : & cum ipso petere : *Inclina cor meum Deus testimonia tua &c.* Psalm. 118. Non renuimus fateri esse benignam recentiorum sententiam; sed qua benignitate oportet scire : similiterque contrariam illi esse rigidam; sed quo rigore expedit recognoscere.

§. I.

Posito brevi notabili, resolutio ponitur, & probatur.

320. Notandum, quod dupliciter summitur sententia benigna, prout sic nuncupatur à probabilistis. Primo pro illa opinione, quæ favet libertati: ut an tenearis jejunare, dum jam sis sexagenarius; an detur obligatio attentionis internæ in officio divino : Sententiam extrahentem ab obligatione dicunt benignam, sivè sit probabilior, sivè minus, sivè æquè probabilis; at obligationem propugnantem, rigidam appellant. Secundo pro sententia reflexa (circa quam versatur tota nostra controversia) nimirum; quæ asserit omnem opinionem probabilem, etiam minus, esse rectam regulam moris; hæc universalis sententia etiam, & magis principaliter dicitur benigna : & sibi contraria rigida.

Deinde notandum, quod benignitas talis erit, qualis fuerit juxta prudentiam, & finē, quem intendit. Duplicem prudentiam distinguit Apostolus ad Romanos cap. 8. aliam carnis, & aliam Spiritus: quam exponit ibi Divus Thom. *Dicitur autem prudentia Spiritus, quando aliquis præsupposito fine spiritualis boni consiliatur, & judicat, & præcipit, quæ ordinantur convenienter ad hunc finem. Undè talis prudentia est vita, idest causa vitæ, gratiæ, & gloriæ.* Prudentia autem, quæ non ità se habet, erit prudentia carnis. Undè etiam benignitas, quæ conformatur prudentiæ spiritus, & per hanc regulatur, erit vera spiritus benignitas; aliter vero erit benignitas secundum Carnem.

321. Conclusio : Sententia, vel opinio, quæ contempta opinione stante pro lege amplectitur eam, quæ est æque, vel minus probabilis pro libertate, est benigna secundum prudentiam carnis. Econtra: Sententia docens in tali eventu esse standum pro lege, est rigida secundum carnis prndentiam, & benigna secundum prudentiam spiritus : & quia hæc in via Evangelica est vera benignitas, sententia, quæ rigida nuncupatur, est vera benignitate benigna.

Probatur Conclusio primo. Sententia, seu opinio tali modo debet benigna dici, qualis est finis, quem intendit is, qui illam amplectitur : sed dum quis amplectitur sententiam minus probabilem, relicta probabiliori pro lege, non intendifinem secundum prudentiam spiritus: Ergo talis sententia non est benigna secundum prudentiam spiritus : Ergo cum non detur medium aliud, erit benigna secundum prudentiam carnis. Maj. constat ex D. Th. citato, & ex communi sensu Theologorum : actiones enim regulantur ex fine. Minor prob. Qui contempta probabiliori militante pro lege, amplectitur in praxi minus probabilem pro libertate, quem finem habet in ea deliberatione præter bonum aliquod temporale, aut commodum terrenum? Quid aliud hoc consilium movere potest? Profecto non amor veritatis : nam in parte contraria existimat probabilius existere, & magis esse cum veritate coniunctam. Non amor Dei, aut charitas : nam hujus impulsu amans non prætermittit id, in quo nullum periculum est faciendi contra Divinam voluntatem:in hypotesi autē nostra probabilius judicat id, quod eligit esse divinæ voluntati contrarium. Non movet studium virtutis, & salutis spiritualis animæ : hoc enim fugit id, in quo probabilius apparet species peccati. Ergo talis electio, & sententia non est prudentia spiritus, nec hac ratione benigna. Hæc ratio infra in hoc art. exemplis ostenditur.

322. Prob. 2. Opinio nequit verè, & secundum spiritum dici benigna, de qua certum non constat liberari à periculo peccandi formaliter: sed opinionem minus probabilem pro libertate, occurente opposita probabiliori, non constat certum omnino liberare operantem à periculo peccandi formaliter: ergo nequit benigna secundum spiritum nuncupari. Maj. est certa; non enim alia ratione illam appellãt benignã auctores benigni. Min. vero prob. nã, quod sequendo opinionem hujusmodi operans liberetur à peccato, vel à periculo peccandi formaliter, non est per se evidens, nec principium primum, nec communi hominum testimonio nititur, cum plurimi doceant contrarium, nec à principijs evidentibus infertur, nec à Deo revelatum est, nec à Sanctis Ecclesiæ Doctoribus traditum, ad summum erit probabile: probabile autem sæpe est falsum, si æquè probabile, est indifferens ad verum, & falsum, si minus magis accedit ad falsitatem. Ergo non est omninò certum ejusmodi opinionem à periculo peccandi formaliter liberare.

323. Nec valet recursus ad aliam sententiam benignam reflexam: *Qui operatur probabiliter, operatur prudenter &c.* Nam contra hanc idem fit argumentum. Nam hoc principium, ut accipitur à benignis, non est omnino certum, & evidens, quidquid ipsi dicant: immo falsum est (ut toto hoc opere ostenditur). Deindè ad summum erit probabile, & consequenter sententia benigna reflexa: videlicet: *Qui sequitur opinionem minus probabilem liberatur à peccato*: erit ad summum probabilis: nequit ergo certò, & evidenter liberare à peccato, seu periculo formali peccandi. Prob. assumpum. Nam implicat aliquod principium esse omnino certum, & evidens (& idem de opinione) quando ejus oppositum est probabile: Oppositum autem nequit negari esse probabile, immo tamquam certum id docent plurimi sapientia, & probitate præstantes, inter quos plures Cardinales, Episcopi, & alij Prælati: & tale principium, seu propositionem benignam reflexam prohibuere Cardinales, & Episcopi, & alij Prælati perdocti Regni præclarissimi Galliæ in sua Congregatione, seu assemblea anno 1700. Tantorum igitur Prælatorum, & Scriptorum sententia nequit sine temeritate, nota improbabilitatis affici: nisi dicatur solos faventes libertati humanæ, & non legi efficere probabile: quod ab auctoribus benignis valde alienum est, qui grandem auctorum numerum non exigunt, ut quid evadat probabile: Non igitur est omnino certum liberari à peccati periculo formali operantem cum opinione minus probabili. Sed de hoc inf. tot. quæst. 2. 3. & 4.

324. Prob. 3. Summi Christi Vicarij Alexander VII., Innocentius XI., & Alexander VIII. per sua decreta damnarunt 143. propositiones: omnes damnatæ fuerunt; quia non erant benignæ benignitate Spiritus, sed benignitate secundum carnem: Omnes, præter unam, aut alteram favebant libertati. Si aliqua libertati non favebat, ante damnationem non erat probabilis, nisi ab aliquo auctore singulari sensu potius dormitante, quam intelligente.

Præfatæ propositiones, seu sententiæ damnatæ in via probabilismi juxta illud suum principium: *qui operatur probabiliter, operatur prudenter*: habebant conditiones requisitas à probabilistis; ut essent, & dicerentur benignæ: & tamen non erant benignæ vera, sed perniciosa benignitate, alias non damnarentur rectè à Summ. Pontificibus: signum ergo est principium illud reflexum, seu opinionem de licito usus opinionis, etiam minus probabilis non esse benignam secundum prudentiam Spiritus. De hoc argumento infra quæstione seq.

325. Prob. 4. Hæc sententia benigna de usu licito opinionis, æquè, vel minus probabilis initium habuit circa annum 1570. ut articulo sequenti videbitur. Per tot secula antecedentia animarum rectores, & directores, non per hanc viam animas dirigebant: Numquid in hoc negotio tanti momenti caruisse via verè benigna, dicendum est? Sancti Patres, & Ecclesiæ Sanctæ Doctores benignissimi fuerunt. Scriptura sacra, & eorum scripta erant libri morales, quibus conscientiæ regulabantur: Sed ubi in sacra scriptura ejusmodi benignitas reperitur? Ubi in Sacris Do-

ctoribus? Testes sint opera Sanctorum Gregorij M. Ambrosij Augustini, Chrisostomi &c. Quam caute procedunt! Quantum ponderant, & stricte docent potius resistendum libertati nostræ, abnegandam propriã voluntatem, opera carnis fugienda: & super omnia fugiendum periculum faciendi aliquid contra Divinam voluntatem, & non fidendum nostris cogitationibus, & discursibus. Quid eorum doctrina cum libertate opinandi huius tempestatis in pluribus scriptoribus exarata? De doctrina Sanctorum PP. circa hanc controversiam sermo erit infr. q. sequenti.

§. I I.

Exemplis, & doctrina D. Thomæ comprobatur, qualis sit sententia vera benigna.

326. EXemplis, aut casibus singularibus fit magis perspicua doctrina in communi. Et in primis sit casus, quo pro se utuntur, nonnulli ex benignis: Dum quis dat consilium, vel ipse sibi sumit, amplexandi opinionem deobligantem recitantem officium Divinum ab attentione interna. Hæc appellatur opinio benigna. Inprimis, ut dictum est, finis talis electionis non facile erit secundum prudentiam spiritus. Deindè quem fructum in spiritu lucratur quis in praxi hujus opinionis? Respondetur verbis S. Chrysostomi homil. 30. in cap. 11. Genesis: in medio: *Si lingua quidem proferam verba, mens autèm foris sit sua tractans negotia, & imaginans, quæ in foro agantur, nulla nobis utilitas est, fortassis autem, & major condemnatio*. Hic est fructus praxis hujus sententiæ benignæ.

Deindè, qui recitat cum attentione interna multas accipit illustrationes, & inspirationes, per quas redditur fortior ad vitanda gravia peccata, & exercendas virtutes, ultrà meritum orationis, siquidem verbum Dei ore prolatum gladius est spiritus vivus, & efficax, pertingens usque ad divisionem animæ, & spiritus: ut docet Apostolus ad Hæbr. c. 4.Ettereà, qui attentè recitat, recipit augmentum gratiæ, quæ etiàm ipsum fortiorem reddit ad vitanda peccata mortalia, & augmentum gloriæ (quod est supra omne id, quod intellectus potest excogitare, æstimabile,) in æternitate recipiet. His omnibus privatur, qui utitur tali opinione, quæ sunt bona spiritus præstantissima. Quomodò igitur dici potest vera benignitate benigna?

327. Secundo sit exemplum in avaro, qui opinione minus probabili liberatur a restitutione, dicunt rectè tunc consultorem respondere posse illi, quod non restituat juxta opinionem minus probabilem, eò, quod timet contrariæ non adhæsurum, & peccaturum; & ita liberat eum à peccato. Cæterum ultra supra ponderata, ob quæ non est benigna talis opinio, nec responsio; additur: Quod consultor debet præsumere, quod gratia Dei adiutus avarus adhærebit opinioni strictæ: quod autem habeat difficultatem in hoc, fortè vinceret illam ex avaritia ortam, & seipsum; & mediante Dei gratia, consequta victoria, sine dubio conferret illi superabundantem gratiam, (ut solet in victoria gravium tentationum) ut vinceret in alijs casibus similes difficultates, quæ frequenter hujusmodi hominibus occurrunt: Undè ex adhæsione opinioni strictiori majorem fortitudinem accipiet contra avaritiam. Undè efficiet, ut non sit de numero illorum; de quibus ipsa veritas testatur: *Quam difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt. Facilius est enim Camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei*. Luc. cap. 18. Quare consulens, & ipse operans benignius sibi providebit non adhærendo opinioni pro libertate, sed contrariæ, quæ secundum spiritum verè benigna erit.

328. Tertiò; in illa opinione pro libertate, quam dicunt liberare hominem ab obligationibus præcepti confessionis, & communionis, in hoc eventu: Petrus tenebatur tẽpore Paschatis confiteri, & communionem recipere; sed hęc præcepta violavit: inquiritur an teneatur transacto illo tempore illa adimplere. Opinio pro libertate judicat non teneri usque ad tempus Paschæ futuræ; & sic est benigna.

Quis non videt, quam gravem occasionem dat hominibus hæc opinio, ut securè toto illo anno à receptione Sacramentorum abstineant, & per spatium duo-

duorum annorum remaneant Sacramentis destituti? Quis non videt ingens periculum multiplicandi peccata remanendo tàm longo tempore sine Sacramentis, & in statu infelicissimo peccati mortalis? Quarè Caramuel inter tot authores benignos benignissimus in Theol. fundament. num. 1835. ita ait: [Omnium sententia est, periculum maximum hærere in peccato mortali: nam abyssus abyssum invocat, & qui longo tempore jacet, durescit, & discit prius non sentire sua vulnera: & postmodum paulatim contemnere: ita ut ad Atheismum nulla videatur via pronior, quam longo tempore manere in peccato mortali]: quid benignitas vera cum hac opinione?

329. Quartò idem assumptum roboratur in opinionibus laxis excusantibus à jejunio, quanta facilitas in hoc habetur experientia docet. Sed difficile est ibi adesse veram benignitatem, & prudentiam Spiritus. Secus per praxim opinionis strictæ. Nam certum est jejunium præstare contra peccata fortitudinem, vitia comprimere, mentem levare ad æterna, virtutes largiri, augmentum gratiæ, & præmia gloriæ. His privari propter carnis commodum leve, longe est à prudentia, & benignitate Spiritus. Sed quid dicendum de nonnullis opinionibus à jejunio eximentibus? Alijs ommissis; veniat illa, quæ à jejunio liberat illum, qui ex intentione se jejunio eximendi, & multoties indie manducandi, se fatigat nimis, vel ad pillam ludendo, vel eundo ad venandum, & quod magis est, si se fatigat in sequendo meretricem, cum qua peccare intendit. Nonne ista opinio non sequitur ductum amoris proprij cæcum? Contraria stricta potius sequitur ductum Divinæ Charitatis: Undè quænam harum erit absolutè, & verè pia?

330. Ulterius probatur ex doctrina D. Thom. primo; 2. 2. quæst. 147. art. 3. quærit: An jejunium sit sub præcepto? Et tertium argumentum (quod fortè est hæreticorum) proponit: *Videtur quod non sit sub præcepto, eo quod secundum D. Augustinum, ab ipsa Dei sapientia, homine assumpto, in libertatem vocati sumus: sed videtur minui per observantiam jejunii: ergò videtur quod non debuit per Ecclesiam jejunium sub præcepto institui. Respondet S. Doctor, quod jejunia (idem dicit de aliis statutis) non sunt contra libertatem populi fidelis; sed magis sunt utilia ad impediendum servitutem peccati, quæ repugnat libertati spirituali; de qua dicitur ad Galat. 5. Vos enim, fratres, in libertatem vocati estis, tãtum ne libertatem detis in occasionem carnis.*

Probabilismus valde propugnat jura libertatis: ideò si non datur lex certa, jam libertas prævalet. Hæc autẽ defensio libertatis non videtur conformari cum doctrina Apostoli, & Angelici. Doctoris. Nam leges, quæ limitant libertatem humanam circa licite operandum, non sunt vere contra libertatem populi fidelis, sed potius tollunt quod repugnat veræ libertati, ad quã vocati sumus a Christo: Ergo pariter doctrina, & opiniones, quæ magis legi conformantur, sunt conformes veræ libertati spirituali, & illi benignæ: Secus quæ favent alteri libertati; ad quam non sumus a Christo D. assumpti.

331. Confirmatur: ideò sententia benigna talis dicitur, quia tollit periculum, & occasionem peccati, e contra ipsi contraria: sed hæc ratio non probat, immo videtur absurda: ergo &c. Prob. min. nam ex hac ratione sequitur esse securius, & benignius non habere leges, & non esse Deum benignum, & beneficum, (& idem de suis Ministris) dum dedit populo suo, seu suis fidelibus leges, & præcepta: nam certum est excusari, & vitari pericula, & occasiones peccandi, si non essent leges; ergo ex eo, quod sumat homo occasionem peccandi non bene infertur esse rigidum, & non benignum obligare ad aliqua. Itaque licet posita lege detur aliqua contingentia, vel ex fragilitate, aut malitia hominum labendi in mortale, quam affert, v. g. obligatio jeiunij, apposita vero in altera lance hac contingentia (ut in plurimum) erit parva, attentis auxilijs, (quæ Deus jejunantibus, & leges observantibus confert), & vtilitatibus, bonisque spiritualibus lucrantur. Idipsum dicendum de opinionibus strictis, seu legibus faventibus: & maximè valdè iuvat eorum praxis ad vitanda peccata mortalia, & pro auxilijs divinis promerendis; quod non ita evenit in praxi laxarum opinionum, seu

quæ

quæ abusivè benignæ dicuntur.

332 Secundo probatur ex D. Thomæ doctrina: qui in Epist. ad Gal. lect. 6. explicat, quid est benignitas: *dicitur* (ait) *Quasi bona igneitas*: idem ait in Psal. 51. Et 1. 2. quæst. 70. art. 3. explicans fructus Spiritus: inquit: *Benigni illi dicuntur, quos bonus ignis amoris, vel charitatis fervere facit ad benefaciendum*. Ex quo infertur, quod id dicitur vere benignum, quod facit hominē bono igne amoris, vel Charitatis fervere, vel in ordine ad Deū, vel in ordine ad benefaciendū proximis. Nunc sic: Laxę opiniones regulariter non ita sunt, quas appellat benignas probabilismus: quin potius operationes illarū vi elicitę, fouent propriū amorem, commodum proprium, & non Spiritus Sancti fructum, rarò enim faciunt feruere amorem charitatis, sed potius causant tepiditatem, ut in praxi opinionum circa quæstiones de usuris, de non restituendo, de non jejunando, de simonia, & aliis hujusmodi se tenentibus ex parte libertatis: ergo non sunt vera benignitate benignæ, sed secundum carnem.

333 Tandem sequitur aliud, & non leue inconueniens ex praxi opinionum se tenentium ex parte libertatis, quas contra anteprobabilistas defendit probabilismus: nimirum, imminet periculum, & non rarò, amplectendi objecta, quæ operantibus licita videntur, quia ipsis probabilia apparent, & imputabiliter falluntur, ut enim nos admonet D. Greg. in Ezechiel. hom. 4. post med. *Privato nos amore diligentes, clausis nobis oculis in nostra deceptione blandimur .... Scimus, quia vehementer claudit oculum cordis amor privatus*. Quare si daremus, esse licitum usum opinionum minus probabilium libertati fauentium, adhuc vera benignitate non debent dici benignæ, ut constat ex casibus supra adductis: quia privant multis bonis Spiritualibus, & earum usus affert secum periculum non raro labendi in peccatum. Sicut jurare, malum non est absolute, immo est actus Religionis: Et tamen Christus D. ait in Euang. Math. cap. 5. *Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per Cælum &c. Sit autem sermo vester est, est: non, non*: Unde D. August. Serm. 28. *Falsa juratio exitiosa, vera juratio periculosa, nulla secura*. Eoquod qui assuescit jurare difficile est non transire limites liciti juramenti. Multò magis difficile est uti prædictis opinionibus, & non prætergredi lineam veræ probabilitatis. Lento igitur gressu in hoc negotio, seu materiis est gradiendum, magis quam plures existimant. Ex quibus manet sufficienter roborata secunda pars conclusionis.

§. III.

Objectioni fit satis, cujus occasione magis explicatur doctrina bujus articuli.

334 Oppones contra traditam doctrinam. Ex illa enim, si aliquid probat, infertur opiniones etiam probabiliores, immo & probabilissimas non esse benignas vera benignitate, & secundum prudentiam spiritus, & consequenter erunt tales secundum benignitatem, & prudentiam carnis: Sed hoc non admittent antibrobabilistæ, utpote absurdum in omnium sententia: Ergo data doctrina non debet sustineri. Prob. sequela: Ideo opiniones pro libertate admissæ à probabilismo non sunt parte vera benignitate benignæ, quia per illas intenditur commodum temporale, & per praxim illarum anima privatur auxiliis diuinis, bonis spiritualibus prætiosis &c. Sed hoc ipsum continget in opinionibus probabilioribus stantibus pro libertate; ut ex se constare videtur. Ergo &c.

Explicatur exemplis: Supponamus esse probabilius hominem non teneri elicere actum amoris Dei uno quoque die festo: Neque teneri confiteri statim post commissum peccatum graue; sed posse differre per tempus usque ad designatum per Ecclesiæ præceptum. Ut quid non elicitur talis actus amoris in illa hypothesi? non propter finem charitatis, aut alicujus virtutis &c. Quibus bonis, auxiliis, & gratiis privatur, non eliciens? Deinde in secundo casu: Ultra bona, quæ differens confessionem non accipit; ex tali opinione etiam datur occasio abstinendi per annum à receptione Sacramentorum, persistendi tanto tempore in peccati mortalis infęlicissimo statu, & periculo multiplicandi alia peccata. Vel

igitur hujusmodi opiniones dicendæ sunt veræ benignæ, vel non? Si primum: ergo rationes supra adductæ non probant opiniones admissas à probabilismo non esse verè benignas. Si secundum, ergo istæ duæ opiniones sunt benignæ secundum prudentiam carnis, quæ secundum Apostolum *mors est*: quod dicet nemo, nisi qui velit obligare semper ad sectandum opiniones pro lege stantes. Quare dicendum, hujusmodi propositiones, seu opiniones esse benignas, quia per illas intenditur vitare peccatum: hoc ipsum dicunt probabilistæ de æquè, & minus probabilibus pro libertate: ergo etiam verè benignæ sunt.

Confirmatur, quia ex prædicta doctrina etiam seqeitur debere nos semper eligere, quod perfectius est, & etiam obligari ad non omittendum opera super erogationis: nam qui non jejunat die, qua non tenetur, non audit missam, ut si Sacerdos non celebrat &c. privantur, vel non lucrantur illa bona piætiosa, quæ non lucrantur eadem omittentes ex opinione minus probabili: si ergo quia non percipiuntur hæc bona, opinionum minus probabilium usus non est licitus, etiam usus non faciendi perfectiora, erit illicitus, & idem de ommissione super erogationum.

335 Respondetur: in primis hanc objectionem nihil probare contra fundamenta statuta §. 1. num. 322. & seqq. nam sententia æquè, aut minus probabilis pro libertate non est certò secura, nec liberat à peccato, sed exponit operantem periculo peccandi formaliter, immo actu peccat; ut ibi probatur: ergo est juxta prudentiam carnis, quæ mors est. Secus dum est probabilior notabiliter, licet sit laxa, seu pro libertate, quia cum excuset à peccato, diverso modo dicitur benigna, quàm æquè, vel minus probabilis.

Dices: cum recentioribus passim inculcantibus ex Philosopho illud axioma: *Multa sunt falsa veris ptobabiliora*: ergo si ex vi opinionis minus probabilis non salvatur, quod operans liberatur à peccato, & ita benigna verè non est, nec per probabiliorem liberatur, nec erit verè benigna, cum certò secura non sit.

336 Respondetur esse falsum tale axioma astrui ab Aristotele: nec locum produnt, ubi sit, nec aliquando indicabunt: est igitur sumptum ex trito vulgi. Philosophus enim dixit probabile dici, quod videtur sapientibus, non quod videtur errantibus. Potius 6. Ethic. cap. 2. docet nullam electionem hònestam esse posse, nisi judicio vero reguletur. Et consequenter cum apud ipsum probabile sufficiat ad electionem honestam, sentit probabile non dici nisi dicatur verum. Dato quod id axioma sit Philosophi, intelligi debet, ita quod multa, quæ apud nos sunt probabiliora in se falsa sunt: in se vero, nec probabilia sunt. Etiam hoc modo posset dici in eodem sensu: multa falsa certis sunt veriora: quia multoties falsa apud nos putantur certò vera. Unde nihil producitur in favorem recentiorum: nam multa proprobabiliora licet in se falsa sint respectu minus, & æquè probabilium; (quæ ut plurimum, vel æquè sunt falsa) erunt paucissima. Unde cum regulariter probabilius notabiliter verum sit, est certum certitudine morali esse securum, & sic certò liberat à peccato; ut infra ostendetur quæst. 5. art. 1. & 2. quod in opinionibus minus, aut æquè probabilibus non reperitur.

Quatenus autem videtur esse contra primum fundamentum §. 1. positum, & contra exempla §. 2. ut clarius illi fiat satis, est primo notandum; quod dum occurrunt duo opiniones oppositæ; *oportet unam esse veram, & alteram falsam*: ut D. Th. docet quodl. 8. art. 13. Quare hoc ipso quod habeas opinionem, aliquod objectum ita esse, judicas partem contrariam, seu opinionem oppositam esse falsam. Quod etiam latè tradit Aristoteles de interpretatione lib. 1. cap. 6. dicens: *affirmationem unius esse negationem alterius, ut si affirmas: Socrates est albus, negas, & judicas falsum non esse album*.

337 Secudo notandum ex D. Th. 2.2. quæst. 55. art. 2. quod prudentia vera, & simpliciter talis dicitur illa, quæ regulat actus virtutum in ordine ad finem totius vitæ: qui est bonum morale: Hæc est prudentia, de qua dicit Apostolus ad Rom. cap. 8. quod: *est vita, & pax*: quod etiam exponit D. Th. relatus supra §. 1. Alia est prudentia carnis; quæ versatur in ordine ad commoda, & delectabilia secundum carnem:

nem : Et hoc dupliciter fieri contingit. Primo dum aliquis afficitur inordinate ad aliquid, quod est peccatum mortale, & sic avertitur à Deo, ut ab ultimo fine. Et tunc dicitur ab Apostolo; *Prudentia carnis mors est*: Secundo contingit quandoque, quod aliquis afficiatur ad id, quod est peccatum tantum veniale, & sic adhibet studium ad illud consequendum, quod etiam pertinet ad prudentiam carnis: Et sic non est simpliciter mors, licet dici possit esse mortem dispositive. Hæc ex D. Th. d. q. 55. art. 2.

Tertio est notandum, quod circa res morales, & conscientiæ obligationes non est in potestate opinantium illas addere, vel minuere, juxta illud Deuteron. cap. 12. *Quæ præcepi tibi hoc tantum facias, nec addas quidquam, nec diminuas*: Neque ex eo, quod aliquid sit perfectius bonum, oportet judicare aliter nisi secundum veritatem, vel secundum quod magis ad veritatem accedit. Ut enim docet Angelicus Doctor 2. 2. q. 60. art. 4. ad 2. *in judicio de rebus in quo judicamus de rebus..... attenditur solum bonum judicantis, si vere judicet; vel malum, si falsò. Quia verum est bonum intellectus, falsum est malum ipsius: ut dicitur 6. Ethic. Et ideo unusquisque debet niti ad hoc, ut de rebus judicet prout sunt.*

338 His suppositis; ad objectionem respondetur negando majorem, seu sequelam; ad probationem negatur min. Nam juxta doctrinam, & viam probabilioristarũ, qui assentitur opinioni magis probabili pro libertate, ideo ita facit, quia invenit veritatem, seu quia apparet ei objectum ad veritatem magis accedere, non quia ibi est commodum, aut facilitas, siquidẽ licet non esset commudum, sed difficile, eodem modo assentiretur: quia quod quærit est veritas, & quamvis id, quod se tenet ex parte legis, videat esse perfectius, imprudenter judicaret esse verum, addendo obligationem, contradicta in notabili 2. & hoc ipso quod opinatur pro libertate, judicat falsam partem oppositam, juxta notabile 1. Si autem utitur opinione ad proprium commodum, sine ordine ad finem (de quo notabili 2.) hoc solum provenit ex fragilitate, vel malitia opinantis, non ex vi modi opinandi.

339 Non sic contingit regulariter in electione opinionum æquè, vel minus probabilium pro libertate: Tum quia in earum electione non ettenditur ad veritatem objecti in se, seu prout apparet intellectui: Siquidem æquè probabile apparet indifferens tam falsum, quam verum, minus probabile magis accedere ad falsitatem: quare motivum sic judicandi, & assentiendi non est veritas, & bonitas moralis objecti; nec est secundum veram prudentiam, & charitatem, quæ non solum movent ad vitandum periculum peccandi formaliter, sed etiam materialiter. Tum deinde, quia ut in ipsis libris apparet, plerique probabilistæ consiliantur esse amplectendas, utpote securiores, dictas opiniones pro libertate, & quia faciles, & commodæ. Si enim scrutarentur corda, & revelarentur, prout suo tempore fiet: tunc viderentur fines eligentium in praxi, & consulentium illas, qui regulariter in tali praxi intenduntur.

340 Ad exempla adducta num. 334. ex opinionibus probabilioribus pro libertate, ex quibus deducitur illud dilẽma: An sint benignæ juxta prudentiam spiritus? vel secundum prudentiam carnis? dicimus, quod assentiendo illis quatenus accedunt magis ad veritatem, & ne addatur contra verba Deuteronomii, electio est secundum prudentiam spiritus: usus vero, & praxis etiam talis erit, si bonus intendatur finis; si vero voluntarie deficiat, hæc intentio, erit secundum prudentiàm carnis, quatenus ibi aderit peccatum veniale juxta dicta notabili 2. & pariter erunt benignæ juxta directionem prudentiæ, si bonus intendatur finis. Quod autem in praxi quis non lucretur illa bona, & perfectionem, quam acciperet in praxi opinionis minus probabilis pro lege, est per accidens, & idem dicendum dum opera majoris perfectionis aut supererogationis non exercentur. Non enim ea non lucratur ex intentione non assentiendi ejusmodi opinioni; sed ex alia voluntate, quæ libera est, & non adstricta. Et profecto, qui viam arripit antiprobabilismi, aliis operibus, quod ibi non lucraretur, compensabit; & Deus illi plurima conferet auxilia. Non sic in amplexante quodcumque probabile juxta viam oppositam.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

De delectu opinionis practicè, & verè probabilis sufficientis ad rectè operandum juxtà doctrinam canonicam, SS. Patrum, & præstantiorem Theologorum auctoritatem.

Quæstionis sensus, & eligitur vera Sententia.

341 Ex dictis quæstione præcedenti satis constare potest quęstionis sensus: v.g. in hoc casu: Sacerdos timens Deum, sedulò studet adimplendo muneri suo; & quia in recitatione Divini Officii patitur multas diversiones, dubitat, an graviter peccet, dum absque attentione interna voluntaria illud recitat. Revolvit Auctores, comperit pro una, & altera parte plures; sed re benè inspecta, attentis omnibus, existimat dari fortiora fundamenta, pro parte asserente dari obligationē gravem recitandi cum interna attentione: Consulit probabilistam, qui etiam assentitur illi opinioni, ut probabiliori: Nihilominus Sacerdoti respondet posse amplecti contrariam opinionem minus probabilem, & medio artificio probabilismi elicere ultimum judicium omninò certum, quòd sine illa attentione rectè operabitur (etiam si judicet falsam illam opinionem minus probabilem) vel per aliud judicium ex principiis reflexis; vel suspendendo judicium, quod fecerat de opinione probabiliori; aut avertendo considerationem ab ejus rationibus, & auctoritatibus; itaut solùm intendat in solam probabilitatem opinionis contrariæ. Igitur pręsentis controuersiæ sensus est: an ille Sacerdos possit adductæ responsioni licitè conformari? Asserit sententia benigna: Negat sententia moderata, seu probabilioristarum, requirentium omnino ad usum licitum opinionis minus tutæ, seu quæ non stat pro lege, debere esse probabiliorem, & cum excessu, itaut sit subjectiuè in operante, & ut parùm formidinis illi relinquat. Quæstionem apposuimus, dum opinio minus tuta est minus probabilis: tum quia sub his terminis illam communiter ponunt probabilistę; tum etiam, quia dum sunt opiniones æquè probabiles, eisdem principiis quæstio resolvitur; & sic etiam in sequentibus id facere curabimus.

342 Hanc secundam sententiam eligimus defensandam ut veram, & contrariæ praxim, & usum ut illicitum sentimus. Et quia præcipuum asylum, & robur ad quod benignæ sententiæ professores confugiunt, est auctoritas Theologorum, ob eorum multitudinem, ideo prius videre oportet, in qua parte sit præstantior Theologorum auctoritas; & deindè videbitur quid dicendum de auctoritate canonica, & SS. Patrum in hac parte, qui magis sunt verè, & propriè Theologi.

ARTICULUS I.

Ex qua parte adsit præstantior Theologorum auctoritas, an ex parte moderatæ, an verò ex parte probabilismi sententiæ.

§. I.

Auctoritas Theologorum pro prima sententia.

343 IN primis, extra dubium videtur Theologos antiquos ad usque annum circiter 1570. semper concorditer tenuisse non esse licitum usum opinionis minus tutæ, nisi ab operante probabilior existimaretur. Pro quo, præter eorum opera sic testantia, habemus testes plures vel ex ipsis sẽtentię benignę defensoribus. Primus sit Tyrillus, qui inter illos maximè laborauit, & valdè diffusè probabilismum curavit propugnare, & sententiam contrariam oppugnare, undè facilem exceptionem non patitur. Hic in tract. de Conscientia probabili quæst. 22. exquisita eruditione fideliter refert, & describit omnes Auctores antiquos, qui hanc nostram quæstionem tractarunt post annum 1235., quia antea non reperitur aliquis Theologus moralis, qui illam tractaverit, aut quæstionem vel dubium mouerit in propriis terminis; sed consentiebant in eo, quod verior erat sequenda. In quo planè contradicunt probabilismo. A prædicto igitur tempore refert præfatus Auctor, non solùm Auctores in particulari, qui de ipsa egerunt; sed etiam verba refert, quibus quęstionem resolvunt. Nullus autem inuenitur, qui docuerit licitum esse opinionem minus tutam amplecti, nisi existimetur verior, certior, aut probabilior; huic unanimiter consentiebant verbis expressis, vel æquiualentibus. Hæc exactè, & diffusè docet hic celebris Probabilista, & concludit: *Itaq; & tunc, & antea semper verum fuerat, quod suo tempore observavit Sylvester verbo opinio, scilicet nullam fuisse opinionum varietatem in materia præsenti*. Hæc ibi: Ex quibus habetur per tot sæcula directionem animarum ordinatam fuisse non per sententiam benignam, sed amplectendo quod tutius, quoties urgentiora fundamenta pro libertate voluntatis non apparerent.

344 Secundò idipsum testatur perdoctus Azor. Auctorum diligentissimus scrutator, scripsit anno 1600. cùm docuisset to.1. lib.2. cap.16. vers. *His igitur positis*, quod licitum nobis est uti opinione minus tuta, dum est probabilior, & certior; inquit: *Item quandò opiniones sunt æquè probabiles, jure possumus minus tutam in agendo præferre, immò etiam, si quæ minus tuta est, minus probabilis habeatur, ut statim dicam. Hoc licèt Auctores non tradiderint, ratione tamen efficaciter concluditur*. Ubi ly *hoc*, intelligit de utroque modo probabilitatis, siue dum æquè, siue dum minus tuta est minus probabilis. Siquidem eadem ratione utrumque probat; nimirùm illa vulgari: *Quia id benè agitur, quod prudenter agitur*; &: *Quandocumque opinio est probabilis temeritatis, vel imprudentiæ crimen effugimus, si eam sequamus*: quæ sunt principia, quibus fabrica probabilismi cõstructa est: Undè constat, qualiter antea sententia benigna non erat in praxi.

345 Tertiò, idem attestatur Franciscus Amicus inter probabilistas non paruus propugnator; ejus opera prodierunt ad annum 1640. to.3. disp.15. num.75. ait: *Gravior difficultas inter Doctores est, an possimus non solùm operari ex opinione probabiliori, sed etiam ex probabili minus tuta. Negant ferè omnes antiqui: sed nobis cum recentioribus dicendum est*. Ubi notandum, quòd licèt dicat, *ferè omnes*, id dicit, non quia aliquis inveniatur, qui id neget, sed quia non omnes hanc difficultatem tractarunt.

346 Quartò: Adest vehemens, & peremptoria præsumptio, quod idipsum senserunt, & sentiunt, Auctores graviores, principaliores, & doctiores, qui primi docuerunt sententiam benignam, & idem reperitur ferè in omnibus illam deinceps amplexantibus. Medina scripsit ad annum 1560:, qui communiter primus pro illa citatur, nullum ante se allegat; Vazquez in 1.2. disp.62. cap. 1. cùm pro contraria citasset plures antiquos, inter quos D.Thomam, & D.Antoninum solùm pro sua c. 3. num. 15. citat Barthol. de Medina; dicit tamen, quòd antequam Medina illam Typis

pis vulgasset, erat jam in Scholis communis; dicit, *in Scholis*, quia in illis (non verò in libris) incœpisset doceri per aliquos Viros doctos; & ut communi dicatur cap. 2. num. 2. ait sufficere, ut talis sit, sex, aut septem Auctores.

347 Sanchez pariter, qui, ut ejus scripta indicant Auctorum habuit valdè generalem notitiam; tractans hanc quæstionem tom. 1. Sum. lib. 1. c. 9. à num. 13. pro contraria sibi sententia etiam plures veteres allegavit, & dum benignę accessit, nullum antiquiorem pro se allegavit, quàm Medinam, & Mercado, qui ad idem tempus scripsere, deindè Vazquez, Valentiam, Suarez, Enriquez, Azor, &c. usque ad 17. Non aliter Diana, probabilismi coagmentator, & perpetuus sectator amplissimus, dum 2. par. tract. 13. resolut. 1. versat hanc controuersiam, pro aduersa sententia refert Anton. Perez in Laur. Salm. Gabriel Commitol, Sylvestr. Cajet. Conrad. & Sotum: pro sua refert Sanchez, & apud ipsum alios 17., & deindè plures alios recentiores; & qui tot Actores evolvit, signum est, nullum inuenisse antiquiorem illis, quos attulit Sanchez. Idem videre est ferè in omnibus probabilistis, præter nonnullos, quibus inconveniens apparet uniformitas antiquorum.

Idipsum testatur perdoctus Corduba, scripsit ad annum 1571. lib. 2. qu. 3. propos. 1. asserit: *quod quandò opinio est tuta, & probabilior necessariò est tenenda*; addit: *Et in hoc omnes Doctores consentiunt*. In secunda propositione docet, *quod si opinio minus tuta est probabilior, licitum est eam sequi*. In tertia tradit, *quod quandò opiniones sunt, vel creduntur æquè probabiles, tutius est tenendum*; & hoc probat: *quia tunc manet quis dubius, & temerè, & sine ulla ratione, sed voluntariè, ex sua affectione adhæret illi.* Et probat ex pluribus Textibus canonicis, & illa regula: *In dubiis tutior pars est eligenda, &c. Has tres conclusiones*, ait, *esse secundùm Conradum, Adrianum, & Majorem*; & pro parte contraria nullum refert Auctorem, quod signum est, tunc & usque ad illud tempus omnes in illis convenire.

348 Sed non ommittendus Antonius Maria Coratius, qui habetur t. 18. tractatuum Doctorum à fol. 235. qui impræssi sunt Venetiis anno 1584. Agens latissime de opinione communi inquirit: *An opinio communis sit attendenda*. Pro parte affirmatiua affert fere centum Doctores, vel plures, tum ex Theologis moralibus, tum ex juristis; & ibi n. 17. ait: *Etiam in foro conscientiæ servanda est; nam hanc sententiam summistæ approbant*. Et n. 20. assignat rationem; ob quam ita docent tot Doctores; *quia communis vera præsumitur, & opinio verior servanda est*. Pro parte negatiua nonnullos refert, nimirum quandoque posse eligi minus communem: quorum ratio erat: *quia multoties hæc est probabilior, & verior*. Unde tot Auctores, seu omnes consentiebant in obligatione sequendi probabiliorem, & veriorem; & cum dictus Auctor tantum laborauerit in Auctoribus colligendis pro hac re, nullum reperit qui contrarium sentiret, nec doceret sufficere esse probabile ad licitè operandum, usque ad id tempus, in quo scribebat.

349 Ex Auctoribus nostræ sententiæ superfluum est aliquem referre, cum omnes in prædictis conveniant: cæterum audiendus saltem Eminentiss. Cardinalis Aguirre, qui t. 1. in præfatione ad tomos Hyspaniæ n. 36., ubi cum efficaciter stabilisset nostram sententiam; concludit: *Quare abstinendum erit ab opinione benigniore, & adhærendum tutiori sive stanti pro præcepto. Et prosequitur: Hæc videtur fuisse praxis assidua SS. Patrum, Pontificum, ac Theologorum doctrina, & pietate insignium à tempore nascentis Ecclesiæ, usque ad finem fere sæculi præcedentis, quo cœpit reputari securus usus opinionis benignæ probabilis in concursu opinionis austerioris æquæ probabilis, aut probabilioris per reflexiones antiquis ignotas. Sequebantur enim veteres illi, quod intra sinum Ecclesiæ Catholicæ post rem mature examinatam, oratione, ac studio competenti, videbatur verum, aut moraliter certum. Et licet ipsi SS. Patres, aut Doctores celebres aliter, circa varias quæstiones morum censerent, unusquisque tamen pius, ac prudens id agebat, vel consulebat aliis, quod post debitum examen judicabat verum, aut saltem longe conformius Canonibus Sacris, rationi, & æquitati. Nec enim amplius exigi putabant ab homine mortali, infirmo, & ignoran-*

rantiis obnoxio: alioqui sequebantur tutiorem partem. Exempla possent in hoc loco produci plurima, ni quæstionem hanc gravissimam potius excurrendo libandam, quam ex instituto dirimendam. Hæc Emin. Aguirre nobis proponens motiua, quibus inductus est ad opinionem benignam deserendam, quam antea fuerat sequutus.

§. II.

De statu hujus opinionis antiquæ, & moderatæ post ortum probabilismi.

350 MAgnum habuit progressum probabilismus paulo post quã exortus est, ejusque sectatores ubique illum stabilire magnopere curarunt; *Adeò* (ut ait Extrix in exanime ration. p.1.rat.2. n. 3.) *ut non est in venire locum, quo eum munierint ejus patroni ferę occupati struendis laberinthis principiorum reflexorum, ut doceant esse licitum nobis, quod ipsi judicamus, aut judicare possumus, ac debemus sentire esse illicitum nobis*. Nihilominus non defuerunt plures id impugnantes, & contrariam sententiam patrocinantes. Nam SS. Patres (de quibus articulis seq.) & Auctores antiqui clamare scriptis suis numquam cessabant. Deinde alii, qui, orta sententia benigna, scripserunt. Barthol. Rebel. t. 1. de just. & jure q. 5. qui scripsit ad annum 1608. Comitol. ad annum 1609. lib. 5. q. 5. Cardinales Bellarminus, & Toletus, etiam eodem tempore: & tempore Urbani VIII. quatuor Galliarum Archiepiscopi, & duodecim Episcopi Epistolam doctissimam scripsere ad Sum. illum Pontificem, qua lamentantur laxitatem morum grassantem ob illum opinandi modum, ut occurreret remedio opportuno, ut refert Card. Aguirre in Synopsi Conciliorum Hyspaniæ in pro logo: qui longa serie refert nominatim ibi ferè ad triginta, omnes doctissimos Cardinales, aut Archiepiscopos, aut Episcopos, aut grauissimos Auctores, qui verbis, & scriptis prædictum modum opinandi sententiæ benignæ eruditione, & præstantia represserunt, & sententiam antiquam propugnarunt. Idemque asserit de aliis pluribus viris doctissimis fere ex omnibus Religionibus, Congregationibus, Uniuersitatibus, & nationibus fidem Catholicam profitentibus.

351 Præcipuè clarissimus Ordo S. Dominici, à tempore Alexandri VII. Vexillum extulit, cum enim solicitus hic Pastor, hortatus fuisset Magistros hujus Ordinis tunc in suo Capitulo Generali Congregatos, ut reprimerent modum opinandi laxum in rebus moralibus, sequentes Divi Thomæ, & SS. Patrum doctrinam, ita doctissimi Patres executi sunt, per Martinez de Prado, Mercorum, Vinc. Baronium, Gonet, Labat, Contenson., Pichinardum, Natalem Alexandrum, & nunc nouissime per Vvigandt, Petrucium, Luccionum, Marium Dianam, & alios plurimos, qui tractatibus, & tomis integris sententiam benignam refellunt, & moderatum stabiliunt.

252 Per doctus Camargo in proloquio ad t. 1. de regul. honest. §. 6. asserit, quod (ultra Auctores qui ante inuentum probabilismum sententiam hanc concorditer sunt sequuti,) decem saltem, & ultra centum numerare Auctores, jam licet; quorum (ait) apud me nomina distinctè, ac sigillatim notata habeo, qui post natum modernum probabilismum, veram, & antiquam sententiam constanter, & acerrimè propugnarunt: in quibus plures sunt S. R. E. Emin. Cardinales, ac Præsules piissimi, & sapientissimi, quorum vel quilibet pro pluribus est. Cæteri vero omnes aut Doctores S. Theologiæ, aut ejusdem per plures annos in famosioribus Accademiis noti, ac celebres professores, qui controuersiam istam non leuiter, sed serio, & diligenter examinarunt. Et id quidem (quod magnopere notandum est,) postquam eorum non pauci novo probabilismo à primis annis essent nutriti, & per longum tempus assueti, ut ipsi ingenue fatentur, cujus certè generis nemo invenietur apud probabilistas..... Accedit multo majoris auctoritatis pondus ex iteratis Summ. Pontificum insinuationibus: ex Constitutionibus Sac. Religionum: ex Universitatibus quibusdam statutis: ex sinodis Diœcesanis, & Provincialibus, in quibus approbatur sententia nostra, & unicè doceri præcipitur; benigna autem sententia penitus re probatur. Hæc Camargo.

353 Præ-

353 Præterea; quanta sit Emin. DD. Cardinalium auctoritas, & sapientia nemo catholicus ignorat: quantum vero auctoritatis habeat apud hos clarissimos Patres sententia nostra, experientia, & eruditio Emin. de Aguirre fideliter contestatur Prologo ad Tomos Conciliorum Hyspaniæ. Postquam pro sua, & nostra sententia adduxerat Cardinales Bellarminum, & Pallavicinum, sic ait num. 24. *Verum prolixus essem, si omnes Dominos Cardinales Probabilismi illius laxi inimicos, & tutiorum, aut saltem probabiliorum sententiarum tenaces tam factis, quam scriptis jam vita functos nominare vellem. Inter tam multos eorumdem, qui usque modo Sanctitate, & doctrina insigni floruerunt, vix credo invenietur aliquis, qui aliter senserit, aut docuerit. Immo ex his, qui modo superstites sunt, tam intra, quam extra Urbem, præstanti pietate, & eruditione conspicui, ac toti Orbi Christiano noti, quorum judicia, ac sententiæ mihi frequenter colloquio, ac variis congressibus innotescunt, Nemo est, quantum capio, qui tam theorica, quam in praxi, non censeat sequendam omnino esse sententiam tutiorem, vel saltem lege veriorem, ac probabiliorem. Atque in sacris hisce Congregationibus quotidie occurrunt innumeræ causæ, quarum decisio ex Sacris Conciliorum Canonibus pendet. Ubi autem variæ occurrunt Auctorum sententiæ, illa omnino præfertur, quæ omnibus hinc inde consideratis, tutior videtur, aut juri, & æquitati conformior.* Lege interea Emin. & Reverendiss. D. Cardinalem Lauræam t. 4. in lib. 3. sent. disp. 14. n. 254. & t. 2. art. 4. per totum.

Nimirum hic fuit semper spiritus Ecclesiæ, tam in Pontificibus Romanis, Cardinalibus, Episcopis, quotquot Canones Conciliorum ediderunt, quam qui pietatis, & doctrinæ laude illos usque modo imitati sunt. Undè ab initio fere Pontificatus laudati Alexandri VII. mirum est, quo zelo, qua traditione, & constantia quam plurimi Episcopi præstantissimi nominis, partim vita functi, partim superstites Probabilismum luxuriantem repressérint. Hæc ille.

354. Quibus omnibus accedit insigne suffragium universæ Ecclesiæ Gallicanæ, quod magni faciendum est, cum habitum sit a tot Sapientibus Viris Ecclesiarum Præsulibus, earumque veris Patribus, & Magistris, ad quos pertinet ovibus Christi suæ curæ commissis sanæ doctrinæ pabula per regulas benè vivendi præbere. Undè Conciliorum decreta, etiàm provincialium, vel nationalium semper magnæ auctoritatis habita sunt. Itaque in Comitiis generalibus anno 1700. celebratis plura salubria decreta, & regulas ediderunt. Et cum in proœmio spem suam, & votum præmisissent, ut aliquando Summi Christi Vicarii tandèm perficiant opus salubre purgandi Theologiam moralem, inferiores Pastores onere isto, & cura levantes: Sic inquiunt: *Dum expectamus forè, ut tantùm opus more majorum, & canonico ordine perficiant. Nos interim Cardinales, Archiepiscopi, & Episcopi in unum congregati, ne dirum virus serperet* (*titulus sic se habet*)

Regulæ certæ, àc veræ de probabilium usu populis fidelibus, & animarum Rectoribus profixæ in comitiis generalibus Cleri Gallicani ann. 1700.

355. *Absit verò, ut probemus eorum errorem, qui negant licere sequi opinionem, vel inter probabiles probbbilissimam. Sed ad rectum usum probabilium has regulas à jure præscriptas agnoscimus.*

Primum est, ut indubiis de salutis negotio, ubi æqualia utrinque animo sese offerunt rationum monumenta, sequamur id, quod tutius, sivè quod est in eo casu unicè tutum: nec id cosilili, sed præcepti loco habeamus, dicente scriptura: Qui amat periculum, in illo peribit. Hæc est prima regula.

Altera: ut circa probabiles de Christiana doctrina sententias, sequamur id, quod Viennense Concilium œcumænicum circà infusas tam parvulis, quàm adultis in Baptismo virtutes decrevit his verbis: Nos hanc opinionem tanquàm probabiliorem, & dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum theologiæ magis consonam, & concordem duximus eligendam. Quod Concilii judicium, eò magis ad dirigendos mores pertinere constat, quo magis ex ipsis fidelium Sanctitas, ac salus pendet.

356. *Ex hac igitur regula fit consequens. Primum, ut in rebus Theologicis ad fidei, & morum dogmata spectantibus,*

Theo-

Theologicos quidem etiàm modernos audiamus, si tamèn consonas SS. Patribus tradant sententias. Deindè ut si ab eisdem recedant, harum opinionum inhibeatur cursus, ne dum earum aliqua habeatur, aut ulla eis tribuatur auctoritas: Denique, ut nemini liceat eligere, eam sententiam, quàm non veritati magis consentaneam, duxerit.

357. *Quod ergò in praxi eam nobis liceat sequi sententiam, quam nec ipsi ut probabiliorem iligendam judicemus, hoc novum, hoc inauditum, hoc certis, àc notis auctoribus postremò demùm sæculo proditum, & ab eisdem pro morum regula positum, repugnat huic affato (Vincentio Lirinensi commonitorio* 1. cap. 3.) *celebrato: (Quod ubique, quod semper, quod ab omnibus.) nec habere potest Christianæ regulæ securitatem.*

Hoc initium malorum esse, atque omnium antedictarum corruptelarum caput; hoc in censuris Apologiæ casuistarum ab antecessoribus nostris viris fortibus, ac religiosis censoriè notatum, hoc sæpè repræhensum, hodieque repræhendi nullo incusante, imò bonis probantibus, diffiteri nemo potest. Estote prudentes sicut serpentes, qui protectò, quod præcipuum est, capite sibi consulunt: Nec quispiã in dubio salutis ad actum prosileat; nisi ipso dubio, non ad nutum voluntatis, aut ex cupiditatis instinctu, sed ex recta ratione deposito; dicente scriptura: Rationabile obsequium vestrum: & iterum: Sapiens timet, & declinat à malo; stultus transilit, & confidit. Postremò audiatur Apostolicum illum: Omne quod non est ex fide, idest ex conscientia, peccatum est. Denique: Testimonium redente conscientia ipsorum: non aliorum utique, sed ipsorum, & sua.

Admonitio, & Conclusio.

358. *Admonemus autem compræsbyteros nostros, sivè Sæculares, sivè Regulares, quicumque Episcoporum auctoritate, vel verbum Dei prædicant, vel Sacramenta administrant: Ne ullo unquam tempore viam salutis, quam suprema veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam esse diffinivit in animarum perniciem dilatari, seu verius perverti sinant, plebemque Christianam ab ejusmodi spatiosa, lataque, per quam itur ad perditionem, via, in rectam semitam evocent. Quæ Christi verba ab Alexandro VII. in præfatione Decreti 24. Septembr. 1665. inculcata, altè animis insidere optamus, & oramus, speramusque in Domino fore, ut quicumque hactenus laxiores illas sententias, nulla certa ratione, sed alij alios sequuti docuerunt, docere ipsas desinant; quippè, quas & Episcopi, ipsique Romani Pontifices reprahendant; hæretici vero immeritò, illis quidem, sed tamen pro more suo Ecclesiæ imputent, atque invidiæ vertant; filij quoque sæculi vanas rideant. Quare inanem illam Deoque, & hominibus exosam sophisticam, aliquando adversante auctore S. Hieronymo in Mich. cap. 3. ad illa verba: Hæc dicit Dominus: ad recta se conferant; ut qui prius populum blandimentis decipiebant, posteà verò annuntiando deterreant, & ad rectam revocent viam; & qui causa erroris fuerant, incipiant mederi vulneribus, quæ intulerunt, & esse occasio Sanctitatis.* Hactenùs Clerus clarissimus universæ Ecclesiæ Gallicanæ, seu ejus Sapientissimi, & vigilantissimi Præsules.

Quantum auctoritatis sententiæ nostræ adaugeatur hoc adeò celebri testimonio, nemo non videt: non facile poterit pro se sententia benigna simile proferre, nec alicuius ordinis, congregationis, vel Accademiæ, prout in aliquibus similem statutum, stabilitum est.

§. III.

Sententiæ benignæ auctoritas, & ejus dilatatio.

359. GRandem auctorum numerum pro sententia benigna supputant ejus sectatores. Auctoritas pro illa ferè tota reducitur ad multitudinem scriptorum privatorum, qui à tempore, quo in lucem prodiit, pro illa scripserunt. Aliqui referunt 60, alij addunt alios 100. alij moderniones vsque ad 200. ex quibus plures si recte inspiciantur, clarè in suo loco contrarium docent, sed quia alibi dubiè, vel subscure loquuti sunt, prædicto illos aggregant numero. Itaque, dubium non est, quod breui tempore ramos suos mul-

multum extendit. Hinc insurgunt fortitèr probabilistæ adversus opugnantes, & reprimentes sententiæ suæ extensionem. Hinc summunt principale fundamentum refugium, & asylum apud ipsos firmissimum, ut putent esse viam suam impugnabilem. *Tanta, inquiunt, est multitudo pietatis ac doctrinæ eorum, qui illam ut veram doctrinam defendunt, quod sine temeritate de ejus securitate nemo audeat dubitare. Fere omnes huic modo tradendi doctrinam moralem consentiunt, uno, vel altero excepto, qui nititur turbare simplices, & pacatas conscientias. Quomodò credi potest tot viros doctos, & pios Deum errare permisisse; aut Ecclesiam suam deseruisse, labique in errorem practicum, ac defacto coniunctum cum transgressione legum sequendo sententiam benignam? non ergo est credibile, quod per tot tempora falleretur.*

360. *Hoc igitur (prosequuntur) nobis sufficit, nec indigemus attendere argumentis, seu potius sophismatibus, quibus nonnulli volunt doctrinam nostram salubrem impetere. Parum ergo, vel nibil de illis est curandum, sed clausis auribus sunt despicienda. Tanta ergo, & tam copiosa auctoritas sufficit nobis.* Sic non pauci (non vero omnes) sentiunt, loquunturque, & plerique, qui fundamenta probabilismi non capiunt; nec vel ipsos probabilismi terminos recte percipiunt. Quibus addi potest modus, quo nostram sententiam describunt, & nominant, de quo quæst. præced. articulo 7. num. 309. His modis ampliatur auctoritas sententiæ benignæ; unde quid mirum quod inexperti, qui auctores huius sententiæ vel non aperiunt, sed omnino ignorant, non difficulter assentiantur; Credentes ita esse, sicut a pluribus, qui sapientissimi habentur, narratur. Nihilhominus aliqua breviter hîc proponemus circa hanc plausibilem auctoritatem, forte aliquis aperiet oculos, ut videat, quam longe distat adeò prædicata auctoritas infacto a verbis, quibus extollitur.

§. IV.

Fit comparatio auctoritatis utrusque partis.

361. Posita ex vtraque parte summatim probatione ab auctoritate in hac lite seu causa, restat discutere, quænam illarum prævaleat, & vincat. Hoc dependet ex collatione vtriusque auctoritatis; quænam certius, & efficacius suæ partis intentionem probet? Probabilistæ constanter dicunt auctoritatem suorum alteram vincere, quippe excedentem in numero. Quod indubium videtur juxta textum in cap. licet causam de probationibus: Ubi Pontifex ait: *Ex præmissis igitur evidentèr apparet, quod Ecclesia per testes numero plures, quibus potius lux veritatis assistit, qui etiàm aptiora negotio, & vero proximiora in suis testimoniis expresserunt, sufficienter ostendit &c.* Et præsertim cum sint tot viri pijssimi, sapientissimique, & cõsequẽtèr in hac parte testes omni exceptione majores. Ergo auctoritas pro sententia benigna est major, & jure præferenda.

362. Exadverso Probabilioristæ contendunt suorum auctoritatem superare. Dicunt ergo in primis non esse verum excessum auctorum benignorum supra defendentes sententiam moderatam: siquidem, & habent pro se omnes antiquos, & copiosum defensorum numerum post ortum probabilismum maximè à tempore Alexandri VII. hoc adusque tempus. Cæterum quia explorare hujusmodi rem, esset nimis in longum ire, ommittunt, quod sint plures auctores ex parte Probabilismi. Nihilominus ex eo immeritò infertur debere prævalere eorum assertionem seu auctoritatem. Quia ut docemur ex textu in cap. in nostra de testibus: *Ad multitudinem tantum respicere non oportet, sed ad testium qualitatem, & ad ipsorum deposita, quibus potius lux veritatis assistit, ex quibus motum animi sui convenit judicem informare.* Deindè notandum qualitèr ex textu jam citato ex dicto capite: *Licet,* standum sit testium excessui, vel pluralitati, & quibus lux veritatis assistit: nimirum: *qui etiam aptiora negotio, & vero proximiora expresserunt.*

363

363. Itaque in testimonio sumpto ex auctoritate duo attendenda maximè sunt: & qualitas testificantium; & dum aptiora, & vero proximiora exprimunt. Et Primùm circa qualitatem stantium ex parte sententiæ benignæ, probabilioristæ nonnullas exceptiones proponunt. I. Circa allegantes tot auctores pios, & doctissimos, negatur multos ex illis revera amplecti sententiam benignam. Nam quamvis afferant posse licitè uti sententia minus probabili, ita intelligunt, ut licet apud alios sit minus probabilis, apud operantem sit practicè probabilis, ita ut prudenter possit assentiri tali opinioni, ad quod requiritur, quòd apud ipsum operantem appareant urgentiora fundamenta: aliàs irrationabiliter procederent dicti auctores, ut rectè docet Reverendissimus Tyrsus disert. 2. & exemplificat in Suarez, Joanne à Sancto Thoma, & alijs: & propter alia inconvenientia de quibus agitur infra quæst. 4. artic. 1. §. 6. & art. 2. §. 2. circa fin. & art. 6. §. 7. circa fin. & qualiter non esset juxta veram prudentiam quæs. 3. art. 2. & 3. per tot. si ità non loquerentur.

364. II. Multi eorum, & ferè omnes majoris notæ, qui allegantur pro ejusmodi sententia, quæstionem hanc, quæ tanti momenti est, levissimè tractarunt; sed quasi alijs subscribentes absque discussione, & non ex professo alijs suffragati sunt. Ex alijs verò multi pariter subscripserunt, sed quamvis vellent quæstionem discutere, id facere nequirent. Qui verò illam diligenter tractarunt, & utriusque partis fundamenta discusserunt, numerum brevissimum efficiunt, ut cuilibet auctorum notitiam habentem innotescere potest. Non ita respectu partis oppositæ, cum hujus generis auctores exactè, diligentissimè suam sententiam, & quæstionem tractantes; multo plures sunt, ut constat ex §. 1. & qui magnas bibliothecas videre velit, comperire potest.

Quarè si diligentèr scrutari quis velit Auctores omnes, qui pro sententia benigna vere circumferuntur, inveniet, quod major pars est illorum, qui (ut Navarrus, Vasquez, Sanchez, & alii communitèr notant) alios sequuntur instar ovium, & avium. Quantum autèm ponderis afferat secum talium auctoritas, pro veritate aliqua roboranda, prædicta similitudine notatur.

365. Et ut hoc judicio nostro non devolvatur, adhibemus testem (omissis aliis pluribus) ex parte benignæ sententiæ constantissimum, & ideò ipsi non facile objici potest exceptio ob propensionem validam ergà probabilissimum: Is est Tyrillus, qui in præfatione ad tractatum de conscientia probabili, qui prodiit in lucem ad annum 1669. Ità testatur. *Fuerunt enim vero ex recentioribus non pauci, qui levissimis ratiunculis ducti antiquorum Theologorum in opinando severitatem non modo clam carpere, sed palàm ausi sunt suis scriptis condemnare: Quod enim priores doctores, ac severiores Theologi unanimi sententia damnabant, ut malum, recentiores isti ausu sanè temerario pro bono, & honesto vendicare non erubuerunt. Cum enim plus æquo famæ, vanæque de sua doctrina æxistimationis essent cupidi, mirum est quo ardore, atque animi contentione ad scripta sua typis mandanda incumbuerint. Universalis hic scribendi pruritus in nulla materia, quàm in re morali lamentabilius grassatus est. Innumerabiles sunt, qui a triginta annis (vulgatum est hoc opus Terylli anno 1669.) Summis casuum, rerumque moralium tractatibus bibliothecas impleverunt. Quid autem facerent, ut ad famam, quam nuncupabantur, pervenirent? Ergò ad nova promovenda animosiores effecti in opiniones laxiores oculos, àc animum conjcerunt, gnari eas præ omnibus rudiori legentium vulgo mirum placituras.* Hactenùs Teryllus verissime, & non minùs prudentèr. Et notandum qualem numerum hujus generis assignat. Innumerabiles sunt, inquit. Et tamèn illos, & & quemlibet merum summistam, aùt lingua vulgari compilatorem, vel historicum ipse Teryllus refert, & similitèr idipsum faciunt alii benigni probabilistæ,nèc unum ex illis est reperiri,quē omittant, quin in elenchum authorum sententiæ benignæ non referatur. Quantum autèm auctoritatis recipiat benigna sententia ex hujus qualitatis auctoribus, qui innumerabiles sunt, videat prudens,& cordatus, qui fert judicium de vera doctri-

ctrina, quid auctoritatis ex talibus comparetur.

366 III. Accedit decretum Alex. VII. supra num. 276. adductum, ubi modum opinandi luxurantium ingeniorum notat: nam loco viæ salutis ab his aperiebatur lata, & spatiosa, quæ ducit ad perditionem. Certum est in hoc decreto neutiquam doctrinam, quæ extra Ecclesiam traditur, notari, & reorobari; sed aliquorum Theologorum Moralium Cahtolicorum; & licet censura sit in genere, aliqualiter tangere modum sententiæ benignæ, plures non levis auctoritatis autumant, de quo art. 7. à n. 449.

Et urgentius ex dicto decreto colligitur minui non parum auctoritatem aliquorum etiam gravium Auctorum in puncto hoc sententiæ benignæ. Nam plures ex principiis illius intulerunt multas conclusiones morales, quæ jam ab Ecclesia proscriptæ sunt. v. g. Qui operatur sequendo opinionem probabilem prudenter operatur, & non peccat: Sed est probabile Judicem posse judicare secundum opinionem minus probabilem: ergo prudenter agit, & non peccat secundum illam judicando. Idem inferebant, dum erat probabilis valor Sacramenti, & sic de aliis similibus. Tunc sic. Ex principio vero nequit deduci falsa conclusio: Ergo qui existimabant illam conclusionem ex illo principio deduci veram, si hoc animadverterent, certum est tale principim relicturos, nec sententiam benignam, in illo principaliter nixam amplexuros.

367 IV. Quod adeò longe, lateque sit propagata multitudo sectantium benignam sententiam, non affert multum roboris, & ponderis pro illa. Nonnullæ causæ assignatæ sunt supra q. 1. art. 3. Nec mirum, tot viros, & si pios, & eruditos illam esse amplexatos. Nam primùm tradi incæpit à privatis Magistris magni nominis; eorum discipuli eam ab his acceperunt, vel ab Scriptoribus incipientes receperunt, quos videbant non modica fama fulgere; deinde dicti discipuli jam Magistri facti aliis suis discipulis eam tradiderunt, & hi aliis, & deinceps; & sic propagationem habuit ob auctoritatem illam docentium. Ad quam non parum conduxit commoditas ejusmodi opinandi: *unusquisque enim faciliter credit quod appetit*, ut ait D. Thomas 2. 2. q. 60. art. 3. Quantum commodi afferat conditioni, & fragilitati humanæ naturæ iste opinandi modus, etiam dictum est supradicto art. 3. num. 270. Deinde plausibilis acceptio doctrinæ favens humanæ libertati, & fama, & existimatio illam decentium apud vulgum, ut supra ajebat rectè Terillus. Præteræa titulis adeò claris, quibus hæc sententia à suis vestitur, unde fit, ut multis arrideat; & è contra epiteti rigidi, quibus contraria publicatur, efficiunt, ut non ita placeat. Ut etiam dicto art. 3. indicatum est.

368 V. Multi ex prædictis viris timoratis, & sapientibus, dum adscribendum accesserunt sententiam benignam, sunt amplexati nimia humilitate (si humilitas dici debet, quæ nimia est) cum existimassent quasi temerarium suspectam falsitatis habere doctrinam Doctorum, quos magni faciebant, illis adhæserunt. Præsertim, quia benignitati attendebant; ipsisque hujusmodi via videbatur consentanea. Deinde quia, licet rem diligenter considerassent, credendum est resolvisse speculative, in abstracto, & in ordine ad intellectum, quatenus talis doctrina ut probabilis posset defendi, non vero attendentes in ordine ad voluntatem, & in praxi ultimate: Ut infra q. 4. art. 1. à num. 679. dicemus. Cujus signum est, quia viri verè pii, cordati & sapientes, dum in particulari occurreret casus, vel ad hìc, & nunc operandum, & vel ad sic operandum, tribuendum consilium, quod probabilius, vel quod tutius, dum materia gravis esset, sectabantur: & similiter dum scribendo occurrebant dubia particularia, etiam probabiliora sibi resolvunt, ut in eorũ scriptis comperitur; de quo infra q. 4. art. 1. §. 6. Quod signum est, quod ipsum modum opinandi sententiæ benignæ deserebant, seu ejus licentiam in casibus particularibus.

§. V.

Prosequitur assumptum, & judicium cordato relinquitur.

369 VI. PRæterea animadvertendum illud requisitum, secundum quod in supra adductis textibus deciditur: esse inspiciendum circa testimonium proferentes. In cap. licet de probat. dicitur: *Qui aptiora negotio, & vero proximiora in suis testimoniis expræsserint.* Quinam in hac nostra controversia sic se habeant? Ponamus exemplum. Occurrit dubium in casu speciali: An cessante fine legis in particulari, cesset ejus obligatio? Et suppono sententiam negativam esse probabiliorem. Quid respondet probabilista? Posse uti contraria sententia affirmativa licitè, & honestè. Negat probabiliorista. Cujus testimonium est vero proximius? Quis dubitare potest? Nam ideò sententia dicitur minus probabilis, quia ipsa minus, & contraria magis accedit ad veritatē; & hęc aptior est animæ, quippe in illa nullū est peccandi periculū. In illo vero ca. *in nostra* de testibus, non esse attendendum tantum ad numerum, seu multitudinem, sed ad qualitatem illorum; *quibus potius lux veritatis assistit, ex quibus motum animi sui convenit judicem informare*: Nonne lux veritatis non assistit asserenti probabiliorem sententiam esse sequandam? ergo auctoribus id asserentibus in vi auctoritatis est attendendum, & non aliis.

370 Nec quid valet dicere; textus loqui de testibus, non de auctoribus, de facto, non de jure. Nam contra. Quia eadem est ratio: ideo ita deciditur circa testes, quia circa eorum dicta, & ex illis debet inquiri veritas: unde standum illis est, quorum dicta ad illam magis accedunt: Sed hoc etiam debet inquiri in Doctorum auctoritate: ergo etiam illis standum est, qui magis ad illam accedunt. Deinde si in rebus temporalibus, ut in causa prædii, aut Equi, vel Asini, tenetur Judex attendere auctoritati, in qua potius lux veritatis assistit, quanto magis id tenetur inspicere, & attendere Judex fori interni, seu intellectus in rebus tanti momenti, quales sunt Dei præcepta, & animæ salus? Tandem, quia ipsum jus Civile, & Canonicum idem decidunt de Auctoribus, quod de testibus. Nam in l. 1. §. Sed neque C. de veteri jure enucleando, sic dicitur: *Sed neque ex multitudine auctorum, quod melius, & æquius est, judicare debet, cum possit forsitan, & deterioris sententia, & multos, & majores in aliqua parte superare*: Et in jure Canonico expressus textus in Cap. Capellanus de feriis. Quæ doctrina communis est; ut docet Sanchez de matrim. lib. 3. disp. 44. n. 2: Navarr. in Manual cap. 27. num. 289. Panormitanus in cap. 1. de Constit. Vers. *Secundo casu principali*. Mascard. de prob. Concl. 1143. num. 3. & 5. & alii ab ipsis relati.

371 Quod autem supra §. 1. Terillus, & alii Probabilistæ magnificiunt, dicentès: Credibile non esse Deum permisisse tot viros pios, & sapientes errasse, & per tot tempus Ecclesiam falli deseruisse, retorquetur in ipsos. Quoniam ante ortam sententiam benignam fuit unanimis Theologorum consensus in nostra sententia tradenda, ut fatetur ipse Terillus, & alii, & probatum manet supra §. 1. Ergo magis incredibile est per fere 15. sæcula Deum permisisse errare tot Auctores, inter quos & SS. Patres, & deseruisse suam Ecclesiam falli imponendo obligationem amplectendi nostram sententiam, quæ jugum importabile ab ipsis probabilistis nuncupatur. Quanta vero certitudo habeat sententia ex hoc capite, nimirum ex concordi sensu Theologorum docet Cano de locis lib. 8. cap. 4. concl. 3. *Tertia conclusio, ait: Concordem omnium Theologorum Schola de fide, aut de moribus sententiam contradicere, si hæresis non est, at hæresi proximum est. Nemo qui in Catholicis habeatur omnes sine discrimine Theologos explosit* Hæc ibi. Non intendo propter hoc similem censuram affigere sententiæ benignæ: Sed id adduco, ut inferatur quanta auctoritas adhibeatur sententiæ Probabilioristarum ex illo concordi consensu antiquorum Auctorum.

372 Demum adhuc orto, & extenso probabilismo, non omnes dirigebant suas, aut aliorum conscientias per sententiam benignam utendo in praxi, ut licitis opinionibus æquè, vel minus probabilibus, & minus tutis; sed multo plures, maxime timorati, & de sua æterna salute soliciti,

viam

viam sententiæ moderatæ amplectebantur. Siquidem attendebant ad SS. Patrum doctrinam: incumbebant studio, & lectioni librorum spiritualium. Præ manibus habebatur S. Theresia, B. Joannes à Cruce, Thaule†us, Blosius, V.Ludovic. Granaten. V. Ludovic. à Ponte, & alii plurimi, qui docent viam Evangelicam, quam Magister Cœlestis Ecclesiæ S. tradidit. Quis dubitat hos esse veros Theologos, cum doctrinam hauserint ex fontibus S.Scripturæ, & SS. Patrum. Deinde permanebant, & legebantur Theologi antiqui D.Thomas D. Bonaventura, S. Antoninus, Viguerius, Sylvester, Tabiena, & alii plures: & etiam alii probabilismum rejicientes. Etiam fideles legebant in Auctoribus probabilistis, qualiter in casibus particularibus, quod probabilius docebant, idque sequebantur in praxi, licet viderent, aut sentirent in genere non esse falsam sententiam benignam, sed illam tamquam in abstracto, & speculativè accipiebant; & ipsi Doctores pii, & eruditi illam in genere docentes, in praxi postea illam deserebant, ut dictum est.

373 Tandem augetur amplius, efficacius, & firmius auctoritas sententiæ temperatæ ex testimoniis Sac. Scripturæ, jure Canonico, Decretis Pontificum, & SS. Patrum: & deinde pondere rationum ex Theologia, & Philosophia non parum efficacium, ut deinceps apparebit.

Visis ergo ex una, & altera parte Auctoribus, eorum qualitate, & causæ defensione; poterit vir prudens, sapiens, & timoratus, librato pondere auctoritatis concludere, in qua lance majus est, diffinire: & an probabilistarum auctoritas æquet, aut possit comparari auctoritati stantium pro antiqua, & reformata sententia. Et loquimur de auctoritate communi. Nam alia major accrescit, de qua modò articulis seqq.

ARTICULUS II.

Utrum in materiis moralibus ad Sacram Scripturam sit recurrendum.

374 NOlumus proprio debili ingenio, & industriæ fidere in re tanti momenti, qualis est ostendere viam pro directione animarum; sed recurrere oportet ad verum, & indefectibile Magisterium, ut ipso illuminati, à vera Cœli semita non deviemus. Audiendus venit hic mitissimus, & illuminatissimus Ecclesiæ Doctor S. Bonaventura, qui in prologo sui Confessionalis ita inquit: *Cum secundum B. Gregorium, cura pastoralis sit ars artium regimen animarum, & occultatiora sint vulnera cogitationum, quam viscerum: horrendum profectò est, videre quosdam Sacerdotes nostri temporis, qui Sacram Scripturam, in qua præfati regiminis ars traditur, & jura Canonica, & scripta Doctorum, in quibus plenissimè declaratur; vel per torporem legere negligunt, vel per ignorantiam nesciunt: Et tamen cordis medicos audiendis confessionibus se profiteri impudenter non metuunt: quando, qui pigmentorum vim nesciunt, videri carnis medici erubescunt. Tali ergo odibili ignorantiæ, per obedientiam compulsus, subscripta in forma simplici, sicut potui subvenire.* Hæc S. Bonav. qui ut Ecclesiæ lumen nobis ab ipsa Ecclesia proponitur. Si de solo Sacerdote particulari sic loquitur; Quid diceret de Scriptore, seu Doctore, qui pro animarum directione universaliter scribit, & docet, sine aliquo recursu ad doctrinam sacram; ut in plerisque Auctoribus patet?

In ipsa Scriptura docemur quatenus possumus, & debemus invenire lucem, & veritatem pro recta adimplectione nostrarum obligationum. Josue. cap. 1. *Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus, ac noctibus, ut custodias, & facias omnia, quæ scripta sunt in eo. Tunc diriges tuam viam, & intelliges eam. Non declines à verbis hujus legis ad dexteram, vel ad sinistram, ut intelligas cuncta, quæ agis.* Hæc non pro solis fidelibus illius populi dicta sunt, sed potius pro fidelibus Ecclesiæ Evangelicæ. Quis

dubitat majorem lucem nobis in scriptura novi Testamenti præstitam esse.

375 Apostolus ad Rom. 15. *Quæcumque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam, & consolationem scripturarum spem habeamus.* Idem omnibus nobis alloquitur scribens ad Thimot. cap. 3. *Tu verò permane in his, quæ didicisti, & credita sunt tibi, à quo didiceris: & quod ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Iesu. Omnis Scriptura diuinitus inspirata utilis ad docendum, & arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* Quid clariùs? Poterit nè dici, quòd Apostolus fallitur?

Certissimum ergò debet haberi rectam doctrinam morum, veræque justitiæ hauriri posse, & sumendam etiam ex Sacra Scriptura diuinitùs inspirata. Deinde iterat eidem Discipulo cap. 4. *Dum venio, attende lectioni*, & iterum inculcat ibi: *attende tibi, & doctrinæ*: Sanè Sacræ Scripturæ: ecce qualiter tunc tradebatur, & addiscebatur doctrina moralis. Certum est Divos Paulum, & Thimotheum morum doctrinam non ignorasse: Si ergò tunc ex Scripturis docendi erant, cur nunc præter illas simus nunc docendi, si ejusdem Fidei, & Religionis sumus?

376 Firmat dictamen nostrum Magnus Doctor D. Chrysost. in Epist. 2. ad Cor. homil. 13. *Non igitur multorum opiniones habeamus, sed res ipsas* (idest rei veritatem) *inquiramus: Quomodo autem non absurdum propter pecunias aliis non credere, sed ipsas numerare, & supputare: pro rebus autem amplioribus sententiam sequi simpliciter? Præsertim cum habeamus exactissimam trutinam, & gnomonem, & regulam, Divinarum, inquam, legum assertionem. Et ideò obsecro, & oro omnes vos, ut relinquatis quidnam huic, vel illi videatur, de quo his à Scripturis hæc omnia inquirite.* Hæc Sanctus Doct. Quid cum hac doctrina, modus implendi libros rerũ moralium, non aliter, quàm referre quid huic, vel illi videatur, & hoc solum contenti, jam tibi datur, ut quod tibi placuerit, securè] amplectaris? Circa pecunias, circa quaslibet merces securius inquirimus, non quamlibet opinionem, & assertum sequimur, res ipsas inquirimus, & intantùm aliis credimus, inquantùm in nobis eorum veritas explorata est, & si datur dissensio, ulterius investigamus: Et circa legem Dei, circa animæ æternam salutem, aliorum sententiam sequimur simpliciter! Hoc absurdum judicat D. Chrysost. vultque, & orat id, ut rem absurdam relinquamus, sed exactissimam regulam requiramus à Sacris Scripturis.

377 Exemplum ad vivum habemus in Magno Augustino, qui dum fluctuans inter aduersas dubitationum undas: *Avidissimè* (inquit lib. 7. Conf. cap. 20.) *arripui venerabilem stylum spiritus tui* (hoc est Sacram Scripturam) *& præcæteris Apostolum Paulum, & perierunt illæ quæstiones.* O'quot quæstiones morales perirent, si avidissimè arriperetur liber iste diuinus, & crederetur in eo, & per eum, nobis ostensam esse vitam christianam, & ad Cœlum rectam viam! Alia occasione idem Magnus Pater, dum veritatem jam inuenisset, & inter se contendens spiritus volebat conuerti, caro autem amarissima contradictione renuebat: *Et ecce* (ait lib. 8. cap. 12.) *audio vocem de vicina domo cum cantu dicente, & crebrò repetentis, quasi pueri, aut puellæ nescio: Tolle lege, tolle lege.* Et infra: *Repressoque impetu lachrymarum surrexi, arreptoque codice legi in silentio capitulum, quo primum conjecti sunt oculi mei: Non in commessationibus, & eberetatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentione, & æmulatione, sed induimini D. Iesum Christum. Nec ultra volui legere, nec opus erat: statim quippe cum fine hujusce sententiæ quasi luce securitatis infusa cordi meo omnis dubitationis tenebræ difugerunt.* Hęc D. Augustinus. Hoc uno utramque & religionis, & morum verissimam doctrinam plenissimè adeptus est. O' quot quæstionum resolutiones morales percipiuntur hoc uno Apostoli contextu, si verè, si sincerè, si practicè accipiantur! Idemque de aliis experiremur ita legentes Libros Sapientiales, & Prophetarum, Evangelistarumque, Epistolas quoque D. Pauli, & alias canonicas. Certè magna ex parte cessaret strepitus tot opinionum. O' si audiremus illas voces, quas ad me, ad te, & ad omnes conscientia clamitat, quas Angelus Dei unicuique suggerit:

rit: *Tolle lege, tolle lege!* Quid est legendum, si quidpiam est legendum, nisi liber Dei? *Erratis*, dixit *Christus D.* ad quosdam: *Erratis*, dicit ad nos, *nescientes Scripturas*, Matth. c.22.

378 Aliæ plurimæ sine termino possent adduci auctoritates ex his sacris Libris, & SS. Patrum doctrinis, probantes utilitatem maximam, & necessitatem recurrendi ad Scripturam Divinam pro docenda, & addiscenda morum doctrina. Undè nisi ex hoc perenni, & immenso fonte hauserunt, quæ tradiderunt Doctores Sancti Cyprianus, Basilius, Chrysostomus, Ambrosius, Gregorius, Hieronymus, Angelicus Doctor, & Seraphicus Bonaventura, & cœteri hujusmodi, ut palam videre est in eorum scriptis? Quibus regulis tunc dirigebantur conscientiæ; quibus libris vacabant Confessarii, & etiam illi sine numero Monachi, qui adeo sanctitate floruere? Profectò huic unico Dei libro studebant, ut narratur in eorum historiis. Hic enim est ille liber, de quo loquitur David, & cujus studio vacabat, & quem nobis Spiritus S. confert: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis*. Psalm. 118. ubi D.Augustinus: *Quod itaque hìc*, ait, *lucerna, &c. verbum est, quod Scripturis sanctis omnibus continetur*.

379 Ratio, seu causa hujus necessitatis provenit ex insufficientia naturæ nostræ ad inuestigandas veritates, & dirigendas per viam salutis conscientias nostras. Quod probat Mag. Angelic. 1. p. quæst. 1. art.1. auctoritate Apostoli 2. ad Thim. 3. supra adducta; nempè: *Esse necessariam ad humanam salutem doctrinam reuelatam: quia homo ordinatur ad Deum, sicut ad quemdam finem, qui comprehensionem rationis excedit secundùm illud Isa.4. Oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti diligentibus te*. Præterea inferius inquit: *Quia veritas de Deo per rationem inuestigata à paucis, & per longum tempus, & cum admistione multorum errorum homini proueniret; à cujus tamen veritatis cognitione dependet tota hominis salus*. Itaque S. Doctor docet necessariam fuisse doctrinam Scripturæ Sacræ, non solùm ad nos docendum veritates ordinis supernaturalis, sed etiam ordinis naturalis ad nostram salutem veram assequendam.

380 Eamdem necessitatem probat idē S.Doctor 2.2. qu.2. artic. 3. *Tum ut citius homo ad veritatis diuinæ cognitionem perueniat: tum etiam propter certitudinem. Ratio enim humana in rebus divinis est multum deficiens: Cujus signum est, quia Philosophi de rebus humanis naturali inuestigatione perscrutantes, in multis errauerunt, & sibi ipsis contradixerunt. Ut ergò esset indubitata*, & *certa cognitio apud homines de Deo, oportuit, quòd diuina eis per modum fidei traderentur, quasi à Deo dicta, qui mentiri non potest*.

381 Ulterius cùm hominis finis sit supernaturalis, consequenter media debent esse proportionata ad ejus cōsequutionem; hæc autem media proponuntur non à virtutibus naturalibus, sed à supernaturalibus, quarum medium taxatur ratione superiori: Quarum necessitatem probat D. Thom. sapientissimè ordine scientifico 1.2. quęst.63. art.4. *Dupliciter habitus distinguuntur specie, uno modo secundùm speciales, & formales rationes objectorum*. Et infra: *Manifestum est autem, quod alterius rationis est modus, qui imponitur in hujusmodi concupiscentiis secundùm regulam rationis humanæ, & secundùm regulam diuinam: puta in sumptione ciborum ratione humana modus statuitur, ut non noceat valetudini corporis, nè impediat rationis actum: Secundùm regulam legis diuinæ requiritur, quòd homo castiget corpus suum, & in seruitutem redigat per abstinentiam cibi, & potus, & aliorum hujusmodi: Unde manifestum est, quod temperantia infusa, & acquisita differunt specie; & eadem ratio est de aliis virtutibus. Alio modo habitus distinguuntur specie secundùm ea, ad quæ ordinantur. Non enim est eadem specie sanitas hominis, & equi, propter diuersas naturas, ad quam ordinantur: Et eodem modo dicit Philos. 3.Polit., quòd diuersæ sunt virtutes Ciuium secundùm quod benè se habent ad diuersas politias: Et per hunc etiam modum differunt specie virtutes morales infusæ, per quas homines se habent ad hoc, quod sint ciues Sanctorum, & domestici Dei, & aliæ virtutes acquisitæ, per quas benè se habet homo ad res humanas*. Hęc Sanctus Doctor.

382 Si ergò directio animarum debet fieri per media conformia fini supernaturali,

li, quæ taxantur à virtutibus ſupernaturalibus, infertur reſolutiones morales, quibus animæ diriguntur, debere fieri per ſupernaturales rationes, quę in Sacra Scriptura traduntur.

Inſuper in quæſtionibus moralibus ſępiùs agitur de dubiis circa cicumſtantias *quis*, *quid*, *cur*, *&c.* circa quas inquirit D.Thomas 1.2. qu.7. art.2. an earum conſideratio ad Theologum pertineat. Et reſp. quod ſic: *Quia Theologus conſiderat actus humanos ſecundùm quod per eos homo ad beatitudinem ordinatur* (nempe veram.) *Omne autem, quod ordinatur ad finem, oportet eſſe proportionatum fini: actus autem proportionantur fini ſecundùm commenſurationem quandam, quę fit per debitas circunſtantias. Undè cõſideratio circunſtantiarum ad Theologum pertinet.* Et undè Theologus, ut talis, debet in reſolvendo procedere, niſi ex principiis revelatis, quæ in Sacra Scriptura habentur? Si verò ex aliis procedit, nempè ratione humana, & naturali, non ut Theologus, ſed ut Philoſophus, & Metaphyſicus procederet. Non ob hoc excludimus principia ordinis naturalis, dicimus autem, quod non ex his ſolis, ſed præcipuè ex ratione ſuperiori.

Dices: Ubi in S. Scriptura reperiemus reſolutiones, aut reſponſiones circa caſus particulares, & quæſtiones, quæ in libris excitantur, & paſsim occurrunt? Deinde videmus ferè omnes ſcribentes licet ſapientiſsimos Theologos, Scriptura S. non uti. Cur ergo vis modum nunc adeò inuſitatum pro reſolutionibus moralibus introducere?

383 Reſp. in primis tuam objectionem eſſe contra ipſam Scripturam, contra expreſſam doctrinam SS. Patrum, quam adduximus: contra ſtylum, quem perſæcula multa obſervavit Eccleſia; nec enim Divina providentia defuit in mediis utilibus, & neceſſariis pro directione animarum; quamvis tunc non aderant libri ejuſmodi ad Sacram Scripturam non recurrentes: ejuſdem religionis profeſſores ſumus. Quare ergo non debeamus ad Sacros libros eodem modo recurrere? Quibus magis credendum, SS. illis Patribus, vel probabiliſtis modernis?

Deinde Reſp. nos nullatenus velle, nec dicere non eſſe libros ſalutares Theologorum legendos, ſed attendendam eſſe ſacram doctrinam, in qua inveniemus principia generalia, regulas utiliſsimas, quibus intellectus illuminatus, & voluntas accenſa, (juxta illud: *ignitum eloquium tuum vehementer*,) facilè inde procederet ad diſcernendum in libris veram à falſa doctrinam; & ad inferendum qualiter in particularibus dubiis nos debeamus gerere juxta Dei voluntatem: ut antiquitus moris erat: & in SS. Patribus videmus obſervatum.

384 Ad id quod additur, nempe quod; *tanti hoc faciunt*: reſp. hoc eſſe effugium commune modernorum, quod multoties in progreſſu controverſiæ ſeſe offeret. Sed ſemper dicimus cum D. Aug. Pſ. 35. *Quid enim dicit? Quam multi hoc faciunt? & quis hoc non facit? numquid omnes prędituris eſt Deus?* Et tamen S. Doctor hanc excuſationem reiicit. Et lib. de vera Relig. c. 23. rationem rectè interpretandi, & reſolvendi expreſsit, & doctrinam præfigendam, & ſervandam practice omnibus interpretantibus, & docentibus legem Dei: *Non afferamus ſtateras doloſas* (quales regulariter ſunt humani diſcurſus) *ubi appendamus, quod volumus, & quomodo volumus proprio arbitrio noſtro dicentes: hoc grave, hoc leve eſt. Sed afferamus divinam ſtateram de Scripturis Sanctis, tamquam de Theſauris dominicis, & in illa quid ſit gravius, appendamus; ſed à Domino appenſa recognoſcamus.* Hoc plane eſt volentium cognoſcere legem, reliquum eſt legem judicantium. Contendat ergo cum D. Auguſt. qui ſentit pro caſibus conſcientiæ, non eſſe ad Sacros libros recurrendum. Ego autem cum ipſo Sanctiſsimo Doctore ſentire, & dicere potius videar: *Conjugar autem illis Domine in te, & delecter cum illis in te, qui veritate tua paſcuntur, & accedamus ſimul ad verba libri tui, & quæramus in eis voluntatem famuli tui, cujus calamo ea diſpenſaſti.* Sic lib. 12. Confeſs. c. 23.

385 Nonne ad hoc ipſum nos excitant verba Alexandri VII. San. Memoriæ; dum in prœmio ſui decreti, non ſine magno animi ſui mœrore intendit à mentibus fidelium arcere *illam ſummam luxuriantium ingeniorum licentiam in diem magis excreſcen-*

scentem, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus, modus opinandi irrepsit alienus omnino ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, & quem si prorecta regula fideles in praxi si quærentur, ingens eruptura esset Christianæ vitæ corruptela? Si ergo in summa casuum Conscientiæ nec vestigium alicujus auctoritatis ex Evangelio, aliove loco Scripturæ Divinæ, aut SS. Patrum reperitur exaratum, quomodo nobis constabit conformari in suis resolutionibus ad simplicitatem Evangelii, & SS. Patrum doctrinam? Quantum conducat Sacrum Evangelium ad hauriendas fidei, & morum veritates, & regulas, docet Conc. Trident. sess. 4. *Quod* (Evangelium) *Jesus Christus Dei Filius proprio ore primum promulgavit, deinde per suos Apostolos, tanquam fontem omnis, & salutaris veritatis, & morum disciplinæ.*

ARTICULUS III.

Utrum opinio stans pro libertate, & contra legem, quando est æque tantum, vel minus probabilis, sit regula honestatis moralis secundum doctrinam Scripturæ Sacræ.

§. I.

386 NOn esse Regulam honestatis moralis ejusmodi opinionem videtur manifestum attenta doctrina Sacræ Scripturæ.

Prob. 1. Eccli. cap. 37. v. 20. *Ante omnia verbum verax præcedat te, & ante omnem actum consilium stabile.* Sed in primis nequit esse verbum, seu ratio, aut judicium prudens in eo, qui utitur opinione æque probabili contra legem; quando quidem talis opinio est indifferens, ut sit fallax: & multo minùs, dum opinio pro libertate est minus probabilis, cum magis accedat ad falsitatem. Deinde quomodo potest consilium esse stabile, dum intellectus nititur æquali fundamento ad existimandum objectum non esse magis licitum, quam illicitum; vel majus fundamentum habet esse illicitum, & contra legem Dei? Consilium enim stabile est, quod firmis nititur rationibus, & veritate fulcitur.

387 Huic sapienti axiomati innixa fuit illa celebris responsio Doctoris Angelici: qui dum esset in extremo vitæ rogatus à Monachis Cistercienfibus Fossæ novæ: *Quomodo hac vita sint errore, & lapsu transigi possit?* Respondit: *Si in qualibet actione, quis ita agat, ut rationem redere possit, cur eam faciat? sic enim non sinet se transversum agi à cupiditate passione, casu, aliave re, quæ eum in errorem inducat.* Ita refert Cornel. à Lapide in hunc Eccli. locum. Hanc rationem, hoc Verbum verax actionum singularium, eamque exactam ab unoquoque Christus exiget in terribili illo, & decretorio ultimi judicii die. An autem strictus judex tunc sit admissurus ut Verbum verax, rationemque legitimam, Consilium ve stabile, opinionem æque vel minus probabilem contra suam legem, adhuc est sub lite, nec à probabilistis hucusque est ostensum, nec earum viam approbatam reperimus in Sacris libris, nec traditum ab aliquo ex Sanctis Patribus: sed potius contrarium indicant, & non obscure.

388 Secundo Prob. ex eodem Ecclesiastico c. 3. v. 27. *Qui amat periculum peribit in illo.* Qui locus de periculo peccandi passim à Scriptoribus Ecclesiasticis accipitur, ut inutile, & molestum esset eorum testimonia recensere, præsertim cum res ipsa loquatur. Quod autem habens opinionem licet æque probabilem pro una, & altera parte de honestate operationis, amplectendo minus tutam, se exponat periculo peccandi, videbatur ad eo clarum, quod, usque dum ortus est probabilismus, firmiter asserebatur. Si quis vellet percutere hominem de quo æque probabiliter existimaret suum esse Patrem, quis dubitat, quod contemneret Patrem, & esset impietatis peccatum, ob periculum. Sic in nostra hypotesi, Deum, & Divinam voluntatem contemnit, & offendit, qui innixus tali opinioni minus tutam amplecteretur.

389 Dices tale periculum esse materiale, & remotum, quia ratione probabilitatis, maxime adhibitis quibusdam reflexionibus, fit moraliter certa illa operatio, quæ alias erat minus tuta. Sed contra: nam de reflexionibus his, quam inutiles sint

sint, infra late dicitur. Deinde, quia talis operationis incertitudo circa honestatem, certa nequit reddi nisi per veritatis inventionem, quam intellectus debet quærere, dum dubitat, vel dum est incertus; sed supponimus manere circa honestatem intrinsecam operationis opinionis incertitudinem; ergo semper remanet periculum frangendi divinam voluntatem: v. g. dubitas, seu opinaris magis, vel æque probabiliter in illis tribus contractibus societatis contineri usuram. Quid interest tua reflexio, si manet eadem difficultas? Si non extrahitur illa actio ab hoc, quod sit contra voluntatem divinam, quid prodest tua reflexio?

Igitur tua probabilitate non amovetur periculum. *Erramus* (inquit Tertullianus) *numquam, & nusquam excusatur, quem Deus damnat. Nusquam, & nunquam licet, quod semper ubique non licet. Hæc est veritatis integritas, & quæ ei debetur disciplinę plenitudo, & ęqualitas timoris, & fides obsequii, non mutare sententiam, nec variare judicium. Non potest aliud esse, quod verè quidem est bonum, seu malum, omnia autem penes veritatem Dei fixa sunt.* Si enim re ipsa, & coram divina veritate per tuas reflexiones honestas, vel in honestas operationis non variatur, & hoc non ignoras, quid refert apud judicem omnia scrutantem, quod facias tuas reflexiones, circa quarum veritatem major datur difficultas, quam circa ipsam operationem, quam per ipsas niteris honestare?

§. II.

Aliis Sacrę Scripturę locis eadem conclusio fulcitur.

390 Ex Psalm 118. v.4. *Tu mandasti, mandata tua custodiri nimis.* Quid sibi vult hoc vocabulum *nimis?* Forte Propheta, cum sciret ab hominibus maximam curam apponere in aliis negotiis; non minorem, sed majorem apponendam in custodiendis mandatis Dei voluit significare. Alii ly *nimis* vertunt, *accuratissime*: alii, *vehementer*: alii aliter. Sed omnium idem fere sensus est: quia cum finis, ad quem creati sumus, præstantissimus sit, ita diligentissimè est quærendus. Si ergo in rebus ad hoc corruptibile corpus spectantibus, quæ incomparabiliter ignobiliores sunt, tutiora, & probabiliora minùs tutis, & minùs probabilibus ante ferimus, & aliter imprudentes circa illa reputaremur, multo magis in his, quæ ad Deum, & ad animæ æternam salutem pertinent, hæc regula servanda est. Atque ita illa vox, *tu mandasti*, indicat eam diligentiam non ex consilio, sed ex præcepto requiri. Itaque aperte patet Prophetam in his Verbis illam sententiam refellere, secundum quam minor cautio desideratur, ne Lex Divina dissolvatur, quam ne suscipiatur rei etiam vilissimæ jactura.

In eodem Ps. 118. v. 138. docemur; qualiter debemus obedire mandatis, & docere veritatem: *Mandasti justitiam, & testimonia tua, & veritatem tuam nimis.* Ubi Hug. Card. *Mandasti judicium omnibus judicantibus, testimonia credentibus, veritatem docentibus: diabolus vero mandat contraria, injustitiam, voluptatem, & falsitatem.* Quomodo componitur cum hoc mandato adeò stricto circa veritatem docendo, & amplectendo opinionem, seu assensum, qui est ad falsitatem indifferens, & ad veritatem, & etiam si ad falsitatem magis accedat?

391 Probatur 4. ex Deuteron. c. 17. *Si difficile, & ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem, & sanguinem; causam, & causam; lepram, & lepram. Et judicium intra portas tuas videris verba variari; & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniesque ad Sacerdotes, quęresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem, & facies quodcumque dixerint, qui pręsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus: sequerisque sententiam eorum; nec declinabis ad dexteram, nec ad sinistram.* Ex quibus, si sincerè sumantur, invictum sumitur argumentum adversus sententiam benignam.

Pro intelligentia supponendum est 1. hoc præceptum non esse ceremoniale, & ad legem veterem tantum pertinens, sed naturale, & Divinum ex suppositione elevationis hominis ad supernaturalem ordinem. Et ita Cajet. ibidem ait. *Hic est textus, super quem fundatur regula, quod in* am-

ambiguis, tam naturalis, quam divini juris ad Summi Sacerdotis spectat judicium interpretatio, seu declaratio: immo docere, & judicare auctoritativè. Hic autem recursus non est intelligendus tantum modo in rebus politicis, & ad justitiam pertinentibus, ut volunt hæretici sectarii, sed etiam generaliter pro occurrentibus circa Religionem, & circa mores, ut constat ex 2. Paralipomen. c. 19. Ubi distinctè exprimitur, quid ad istos judices supremos pertinebat: *Omnem causam, quę venerit ad vos fratrum vestrorum, qui habitant in urbibus suis, inter cognationem, & cognationem, ubicumque quęstio est de lege, de mandato, de ceremoniis, de justificationibus: ostendite eis, ut non peccent in eum.* Patet ergo ad Concilium illorum judicum supræmorum ex præcepto legis deferri solitas quæstiones, quæ occurrebant de sensu legis, & cujuslibet diviniimandati.

392 Quare ex hoc loco omnes Scriptores Catholici dogmatici depromunt irrefragabile argumentum contra hæreticos, ad probandam supræmam, & infallibilem auctoritatem Ecclesiæ, & Romani Pontificis in definiendis controversiis circa doctrinam fidei, & morum: ut videre est apud Valentiam, Titelmanum, Pighium, Belarm. lib. 4. de Summ. Pontif. c. 1. Becan. in Analogia c. 11. q. 1. & 2. & alii. Unde D. Th. 1. 2. q. 105. art. 2. ad 7. *Alio modo contingit esse dubium, etiam apud peritos; ideo ad hoc dubium tollendum constituit lex, ut omnes recurrerent ad locum principalem à Deo electum, in quo, & Summus Sacerdos esset, qui determinaret dubia circa ceremonias divini cultus &c.*

393 In hoc ergo Sacro Textu habemus casum controversiæ nostræ. Si circa sensum Divinæ Legis dubium aliquod grave occurrat, in cujus resolutione sint, & oppositæ sententiæ peritorum, aut magistrorum (hoc est ly, *verba variari*) quid faciendum? Respondet Deus: *Surge ascende ad locum &c.* (ut supra) ecce responsum ad præjactam quæstionem.

Et quid respondet benignæ sententiæ professor, dum sensus legis est dubius; dum oppositæ Doctorum sententiæ dantur? In tali casu non esse legem certam moraliter, non teneri illam servare; sed posse licite, & honeste citra culpæ timorem minùs tutam sequi, etiam si minus probabilis, imo etiam si judicet, aut possit illam judicare falsam. Cui ergo responsioni stare debemus? cur legislator divinus non animadvertit in dubio, vel contrarietate opinionum circa existentiam legis non adesse sufficientem promulgationem, unde nec tunc dari legem? Item stare possessionem pro libertate? cur imponit obligationem ulterius inquirendi, si est de re non supponenti? Ratio est: quia re vera datur periculum frangendi legem formaliter, & illas reflexiones non esse secundum veritatem, nec extrahere operantem à periculo præfato.

Ad hæc: si in legis scriptæ tempore, quæ erat lex timoris, & servitutis, illam diligentiam Deus requirebat, nec poterat illud periculum contemni, quanto magis tempore hoc legis amoris, & libertatis, *nos qui* (ut inquit Apostol. Gal. c. 4. *non sumus ancillę filii, sed liberę, qua libertate Christus nos liberavit*) debemus attendere, scrutari, & inquirere veritatem circa voluntatem divinam, & non contemnere periculum contra illam agendi in hypothesi, quam versamur: ergo si ita non fit jam affirmare licebit, Catholicos post Passionem Christi minus Deum diligere debere; quam Judæi debuerunt diligere. Non ita monet D. Paul. ad Gal. c. 5. sed contrarium: *in libertatem vocati estis: tantum ne libertatem in occasionem detis carnis.*

Dices: recursum prætensum ex dicto loco Deuteronomii ad Summum Ecclesiæ Judicem, & Doctorem esse impossibilem, & saltem intollerabilem, & contra Ecclesiæ communem praxim. Ad hoc fiet satis artic. seq. an. 423.

§. III.

Ex novo testamento ulterius probatur conclusio.

394 VErissimum est illud axioma D. Th. 1. 2. q. 19. artic. 9. *Illud autem quod est primum in unoquoque genere esse mensuram, & rationem omnium illius generis; & unum quodque rectum, & bonum esse in quantum attingit ad propriam mensuram:* ad bene ergo resolvendum, & docendum, necesse est respicere, & imitari primum exemplar veri, & recti magisterii

Hoc autem certum est non esse aliud, nisi in illo, de quo ipse testatur: *vos vocatis me magister, & bene dicitis: sum etenim*. Joan. c. 13. & . *Ne vocemini magistri; quia magister vester unus est Christus*. Matt.c.23. Qualis autem sit bonitas, & rectitudo hujus præstantissimi magistri ex ore inimicorum suorum nobis proponitur; adeò eius excellentia omnibus palam erat manifesta. *Magister* (inquiunt) *scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo, non enim respicis personam hominum*. Matth. c. 22. Ubi glosa in Cat. D. Th. *Tripliciter autem contingit aliquam veritatem non docere. Primo ex parte ipsius docentis; quia veritatem non novit, vel non amat: & contra hoc dicunt: Scimus, quia verax es. Secundo ex parte Dei, cujus timore postposito, quidam veritatem, quam de eo noverunt, pure non annunciant; & contra hoc dicunt: & viam Dei in veritate doces. Tertio ex parte proximi, cujus amore, vel timore aliquis veritatem tacet; & ad adhoc excludendum dicunt: & non est tibi cura de aliquo, non enim respicis personam hominum*.

Itaque Pharisæi nobis optimam magistri optimi descriptionem obtulerunt; quæ mirè congruit Salvatori, veroque Præceptori nostro: adeoque verax est, & viam nobis in veritate docuit (ut potius sit ipsa veritas) *quò* (ut notat D. Augustin.) *nihil grandius pro veritate dici potuit*.

395 Ex his suppositis probatur assumptum. Bonitas Magisterii circa Dei viam consistit in participatione, & assimilatione cum summo Magistro, qui est Christns D., cùm omnia unius generis sint bona per participationem à summo illius generis, ut sępè docet Doctor Angelicus: Sed hoc summum hujus generis est verax, & viam Dei in veritate docet, non verò id, quod est indifferens ad veritatem, & falsitatem, & multò minus, quod magis ad falsitatem accedit: ergò Magisterium sententiæ benignę non conformatur, nec assimilatur summo Magistro.

Confirmatur. Magisterium tunc erit rectum, & bonum, dum attingit mensuram hnjus generis: Sed hæc mensura est Christus Dominus, qui viam solùm in veritate docet: ergò nisi in veritate viam doceamus, non erit rectum Magisterium nostrum. Deinde: omnis egressio à veritate est egressio a via Dei, quia *omnes viæ tuæ veritas*, Ps. 118. est etiam egressio ab exemplari, & mensura, cùm hęc sit ipsa veritas: ergò non bona, & recta, sed devia est.

Confirmatur ulterius. Magister noster Christus non respicit personam hominum, idest nec amore, nec compassione, aut timore veritatem deserit: Sed huic modo contrariatur modus sententiæ benignæ: ergò deficit à magisterio Christi. Prob.min. Sententia benigna graditur per contradictoria, habetque ad manus opiniones, quibus Consultor, aut Confessarius faveat pauperi, & complaceat potenti. In eodem dubio, an teneatur ad restitutionem, amico respondet non teneri, alteri verò dicit obligari: ac proinde docet promiscue veritatem, & falsitatem, eluditurque præceptum de acceptione personarum. Talem autem modum quis dicet conformari magisterio optimi nostri Magistri?

396 Dices: hoc agumentum non esse ad rem: Et si aliquid probat, nimis probat; Nam Christus D. novit viam Dei certissimè, & super evidenter per scientiam beatam, & per infusam, adeout nihil illi latuerit, nec in aliquo apice potest falli: nos verò, quibus actus humani, eorumque bonitas, & malitia, atque circunstantiæ sæpius non innotescunt, ab ejus perfectione cognoscendi procul valdè absumus; undè aliud, & aliter docere possumus, imo sicut Christus docere nequimus. Præterea, si argumentum hoc probat, sequitur nos nec posse licitè docere opinionem probabiliorem adhuc in via probabilioristarum: Siquidem contingere potest falsam esse: imò nec probabilissimam inter omnes, quod damnat Alexander VIII. Siquidem Christus D. erat incapax probabiliter docendi: probat ergò nimis.

Sed contra: aliud est, quod nos illam Christi plenitudinem gratiæ, & veritatis non accipiamus, aliud quod aliundè, quàm ab hac plenitudine liceat accipere, & deinde docere. Debemus ergò ab illa plenitudine, & thesauris sapientiæ Christi participare, ut rectè judicemus, aut doceamus, sicut ex ejus plenitudine gratiæ, ut rectè operemur: Undè dixit D. Augustinus

de

de Utilit. cred. cap. 15. *Negare non possumus inter stultitiam hominis, & sincerissimam Dei veritatem medium quodam interpositum esse hominibus sapientiam. Sapiens enim quantum datum est, imitatur Deum.* Nec, (ut rectè, & honestè operemur) debemus haurire doctrinam ex falsis cisternis, sed ex fontibus Salvatoris. Hæc probat nostrum argumentum ex principiis Mag. Ang. sumptis. Qualiter autem debemus partem capere ex illa plenitudine veritatis, ut rectè doceamus, infra latè dicemus. Nunc breuiter id indicamus. Non ergò Magister Optimus nos vult obligare ad attingendam infallibiliter veritatem: Sed ut diligentiam juxta exigentiam hujus negotii magni momenti adhibeamus, & si illam certè invenire non possimus, sequamur, quod nobis apparet probabilius cum excessu, etiam si non sit in favorem legis: aliter verò abstineamus à sequela partis minus tutę. Si autem dum ejusmodi probabilius, dum est minus tutum, reipsa coram Deo est bonum, & juxta illius voluntatem, nostra operatio erit bona, honesta, & meritoria, utpotè conformis magisterio Christi Domini. Si verò judicium nostrum fallitur, quia illud objectum in se non est bonum, cùm non conformetur Christi magisterio, nec divinæ voluntati, non erit operatio positivè bona, nec tale judicium rectum, sed erroneum, non participatum ex veritate Christi. Excusabitur operans ratione ignorantiæ, si fuerit invincibilis. Hæc est doctrina D.Thomæ 1. 2. qu. 19. artic. 6. de quo actum est supra nu. 229., & infra à n.883. Unde nullatenus sequitur nos non posse opinionem aliquam licitè sectari.

397 Præterea probatur assumptum nostrum ex verbis ejusdem Magistri Cœlestis, Matth.cap.7. *Intrate per angustam Portam, quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam. Quàm angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam.* Cui non incutient timorem hæc verba, dum adeo gravi ponderatione, conditionem, & qualitatem viæ, qua ituri sumus ad patriam, nobis ostēdit ipsa infallibilis veritas? Illis usus est Summ. Christi Vicarius Alexand. VII. in principio sui decreti: *Quarè nè ullo unquam tempore viam salutis, quam suprema Veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam esse deffiniuit, in animarum perniciem dilatari, seu verius perverti contigerit; Idem SS. D.N. ut oves sibi creditas ab ejusmodi spatiosa, lataque, per quam itur ad perditionem, via, pro pastorali sollicitudine, in rectam semitam euocaret &c.* Hinc processit ad proscribendas tot propositiones, quæ fundamentis sententiæ benignè fulciebantur, & docebantur; quare non facilè talis sententia conformari quit cum illa doctrina Christi, & ejus Sum. Vicarii.

398 Etenim si semel intellectus potest ex libera voluntatis electione opinari illud, quod sibi apparet verisimilius falsum, & talem opinionem sequi ut regulam rectam, operarique honestè, & meritoriè; quæ sunt principia sententiæ benignæ, quis non videat quàm lata porta, & spatiosa via opinionibus aperitur? Vix enim inuenietur falsitas aliqua adeò manifesta in rebus moralibus, ut paritatibus, rationibus studiosè hinc indè quæsitis vestiri sic non possit, ut prudenter non sit præfato modo opinabilis, si prudenti judicio non obstat, quod objectum appareat magis accedere ad falsitatem, quid non opinabitur prudenter intellectus? Aliundè cùm voluntas ex hujusmodi opinabilibus judiciis capiat maximum commoditatis fructum, & magnam libertatem faciendi quidquid libuerit, ad quod valdè inclinatur nostra natura corrupta, est evidens periculum, nè sua intellectus libertate abutatur, facilè seipsum inclinando, ac movendo ad opinandum contra legis obligationem, & in favorem libertatis, etiam in casibus, in quibus non adest sufficiens fundamentum, & sic culpabiliter decipiatur; & sic arripiat viam latam, & spatiosam, arctæ, & angustæ (quam Christus docuit) contrariam.

399 Demum probatur ex Apostolo, 1.ad Thimot. cap.6., cui ait: *O Thimotee, depositum custodi*; & Epist.2. ca.1. *Formam sanorum verborum, & in dilectione in Christo Iesu bonum depositum custodi: Solicitè cura te ipsum tractantem verbum veritatis.* Quid autem sit depositum adeo ab Apostolo commendatum, in verbis jam relatis satis planè indicat: nempè esse sanam doctrinam, & diligentiam sequendi, & docendi

veritatem, prout à Christo apud Ecclesiam fuit deposita, & ab Apostolis, & SS. Doctoribus fuit nobis exposita. Pulchrè Vincentius Lyrenensis singula Pauli verba explicans, & perurgens ait: *O' Thimothee, ò Episcope, ò Sacerdos, ò Doctor! O! exclamationis est, & præscientiæ, & charitatis. Prauidebat enim futuros, quos prædolebat errores. Custodi propter fures, propter inimicos depositum, idest doctrinam sanam, quæ tibi quasi Episcopo credita est à me, & à Christo; non quę à te inuenta, quam traditione accepisti, non quam excogitasti; cujus auctor non debes esse, sed custos.* Hæc clarissimus hic auctor, qui ad rem plura prosequitur. Quid cum hac doctrina via benignæ sententiæ? Æquè admittit duas opiniones oppositas, quarum una necesse est esse falsam: si falsa, quomodo potest esse doctrina sana? Ubi à Christo Domino, aut Apostolis, aut sacris Doctoribus deposita est hæc doctrina? A qua traditione accepta? Nonnè non inuenta est, excogitata ab Auctoribus probabilistis ab anno 1560.? Ergo, &c.

§. IV.

Objectionibus in contrarium respondetur.

400 OBjiciunt Probabilistę illud Apostoli: *Qui vult omnes homines saluos fieri*, 1.Thim.cap.2. Sed in via probabilioristarum difficilè potest homo saluari: Siquidem est supra modum humanum, attenta fragilitate nostræ voluntatis, & debilitate intellectus, viam illorum rigidam in facto obseruare; secus verò in probabilioristarum via, ut ex se patet: ergò hæc, & non illa est amplectenda.

Respond. abs re esse auctoritatē Apostoli; imò potius contra Probabilistas militat; nam statim addit: *Et ad agnitionem veritatis venire*; quasi diceret: omnes vult Deus saluos fieri; sed ad hoc requiritur ad agnitionem veritatis venire; per hanc viam veritatis debent saluari, & liberari: juxta illud Christi D. *Diligite veritatem, & veritas liberabit vos*, Joann. cap.7. Via autem probabilistarum ęquè intendit dirigere per falsitatem, & per veritatem: ergò non est medium, ut per illam homo salvus fiat, aut liberetur. Deinde, si talis probabilitas esset medium magis proportionatū ad saluandos homines, hoc haberet locum in omni materia, quia est Deus summè misericors: & tamen in materia Sacramentorum, & respectu Judicis, Medici, & aliorum non sufficit: ergò ineptè colligitur ex Apostolo esse saluandos homines per viam probabilismi. Per quam ergò? Per illam, quam nobis ostendit ipsa veritas: *Arcta est via, quæ ducit ad vitam, &c.* Hæc autem conuenit vię probabilistarum, non ejus contrariæ.

401 Secundò: Arguit Probabilista neothericus ex exemplo custodum Pueri Sanctissimi Jesu Mariæ, & Joseph; ajtque: *Illos non possumus excusare ab omni culpa amissi pueri per triduum, nisi confugiamus ad probabilem opinionem, qua putarunt esse in Comitatu: Nam Beatissima Virgo tenebatur ex lege naturali filium quærere: ergò usa fuit opinione probabili* (hoc est minùs probabili, si ad rem loquitur) *reipsa falsa, per quam à culpa formali, seu imputabili fuit excusata.*

402 Cœterùm mirum est, Theologum hoc uti argumento, illumque adducere ad tale assumptum fulciendum. Est enim certa sententia B. Virginem non incidisse in ullum etiam levem errorem, nec merè speculativum, quantò minus practicum, moralem, & cum reali legis transgressione: quin neque in aliquam ignorantiam, quam privativam vocant, siue prauæ dispositionis. Atque ideo Suarez tom.2. in 3. part. disp:19. sec.6. ait: *Hęc conclusio apud me certa est; & contraria pias aures offendere videtur*. Estque juxta D.Thom. doctrinam, qui 1.2. qu. 85. art. 3. docet errorem, & opinari esse effectus prouenientes à culpa originali, qua B.Virgo caruit. Et 1.part. qu.44. art.4. tradit in statu innocentię non potuisse intellectum acquiescere alicui falso, quasi vero. Cùm ergò Virgo Sanctissima habuerit non minorem perfectionem in modo cognoscendi, quàm Adam in illo statu; nequit illi attribui judicium opinabile, & minus circa modum licitè, & honestè operandi. Quare illa verba: *Parentes Christi existimasse esse in commitatu*, intelliguntur, non simpliciter judicando ita esse judicio falso, & erroneo; sed solùm judicando acci-

accidere id potuisse, & ex signis, & circunstantiis occurrentibus hoc esse verisimilius; (quod quidem verum erat) suspendendo judicium circa rem, de qua erat dubium.

403 Arg. tertiò ex illo casu 3. Reg. cap. 13. quo narratur Prophetam missum à Deo ad Jeroboam deceptum fuisse ab alio sene, ut manducaret, & biberet, quem Leo postea interfecit, ac proindè peccavit: Sed D. August. lib. de Cura pro Mortuis illum excusat à peccato mortali. Nunc sic: Propheta Dei solum tribuit assensum unico homini attestanti, unde solùm fuit assensus probabilis: & tamen licet esset in materia gravi, non peccavit graviter: ergo sufficit unus auctor ad generandum in intellectu judicium rectum probabile. Respond. Prophetam Dei attentis circunstantijs circa factum elicuisse judicium opinabile moraliter certum circa licitam commestionem, eò quod credidit Deum revocasse mandatum: & sic mortaliter non peccavit. Cæterum ratione in considerationis, aut levis negligentię ininquiréda veritate peccavit venialiter, & idcircò à Deo morte punitus est temporali. Arg. ult. ex Christi sententia Math. 11. *Jugum meum suave est, & onus meum leve*. Et 1. Joan. 5. *Mandata eius gravia non sunt*. Sed quia hoc est Achiles probabilistarum, pro ejus discussione sit.

ARTICULUS IV.

Utrum verba Christi Domini Jugum meum suave est, *faveant, vel potius sint contraria probabilismo?*

404. EX his Sanctissimis, suavissimis, existimatione dignissimis verbis probabilistæ sumunt pro sua doctrina confirmationem sibi gratissimam, & maximè junioribus decantatissimam, nihil ipsis frequentius, atque solemnius, quam ex hoc loco nostram lacessere sententiam, & illam apud vulgus diffamare, quasi imponentem humeris hominum jugum planè importabile, contra Christi Domini eloquium. Nam (inquiunt) nisi esset licitus usus quarumcunque opinionum probabilium, jugum Christi esse durissimum: & addunt alii, intolerabile, & impossibile: nam est expositum innumeris anxietatibus, & scrupulis obligare ad oppositum: & maximè quià difficillimum est, immo impossibile cognoscere quando opinio est probabilior, juxta probabilioristarum viam.

§. I.

Ex Christi Domini verbis nihil astruitur probabilismus.

405. ETenìm si esset vera illatio probabilistarum in argumento proximo adducto, simili forma, & modo cessaret obligatio multorum præceptorum; quæ humanæ naturæ per peccatum vitiatæ durissima essent, nisi aliundè tolerabilia redderentur. Non enìm daretur obligatio servandi castitatem, quod difficillimum absolutè ipsa experientia docet, & ipsis Sanctis durum aliquandò extitit, ut D. Paulo, Francisco, Benedicto, & Hieronymo: cujus est illud. *In bellis Castitatis, quotidiana pugna, & rara victoria*. Quid dicendum de Mysteriis fidei Catholicæ? Quàm difficile eorum plura sint credibilia, non à nobis, qui ab incunabulis sumus fidei Catholicæ lacte nutriti, sed ex Mahumetanis, ex Schismaticis, & hæreticis colligendum est; & tamen credere tenentur. Præceptum humilitatis, non se vindicandi, dilectionis inimicorum, reddendi bonum pro malo, indissolubilitas matrimonii, manifestatio peccatorum, vel enormissimorum, hæc, & alia quam dura, & difficilia sint superbiæ humanæ, carni, & sanguini, quis ignorat? Ergò non venit disputandum legem Christianam consideratis ejus obligationibus absolutè esse valdè arduam, & difficilem, & consequētèr ex difficultate, & arduitate non rectè infertur evasio obligationis, quia ardua: Ac proindè ob hoc explodendam non esse sententiam nostram, nèc jugum Christi fieri suave per sententiam benignam, sed aliundè; siquidem adhùc illa admissa plura remanent dfficillima.

406. Idipsum instatur in hac opinionum materia. Judex, medicus, minister Sacramentorum, nequeunt munera sua exercere amplectendo viam probabilistarum, sectando opinionem æquè, vel minùs

nùs probabilem, minusque securam: & tamen arduum, & difficile est illis regulare aliter conscientiam, nec ex hoc potest dici illis esse jugum Christi importabile onus, & difficillimum, & impossibile: si ergo verba Christi Domini favent probabilismo, etiam in his casibus haberent locum; ut possit in illis uti quacunque probabilitate.

Ipse etiam Dominus satis nobis ostendit arduitatem mandatorum, dum illam proponit arctam, & angustam portam, & quod pauci sunt qui inveniunt eam. Qua divina auctoritate usus est Alexander VII. ad profligandas propositiones sui decreti. Non ignorabat summus Pastor Christi Domini verba de jugo ejus suavi: & tamen nullam eorum mentionem fecit, sed usus est ipsis: *Arcta est via &c.* quod nos contra sententiam benignam adducimus. Deindè ipse Alexander VII. & Innocentius XI. inter 110. propositiones ab ipsis damnatas, nulla est, quæ faveret legi contra libertatem, omnes libertati prospiciebant, & contra legem militabant, illas viri docti, & magni nominis propugnabant, illasque docebant, ut Christi jugum non essent onus durum, & importabile, supposita probabilitate: Nihilominus Summi Vicarij Christi illas digna censura inuserunt, & illi viri docti decepti sunt: non ergo ex auferendo, aut diminuendo manet jugum Christi suave.

407. Nec ommittenda est illa difficultas, quam omnes tenemur vincere, data occasione, nempè nos teneri sustinere omnia mundi tormenta priusquam proferre unicum mendacium: quia Creator noster ita nobis præcipit, & idem de alijs materijs ab intrinseco illicitis, etiamsi tantum sint mala venialia. Nonne hæc dura sunt, & difficilia? Id circò ajebat Propheta. *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras*. Psalm. 16. *Nam* (ait ibi Cassiodorus) *cum peccata vitantur, arduus Callis est, difficilisque semper ascensus. Cum verò ad vitia prolabimur leve est iter ad declivum: ideò viæ duræ sunt nuncupatæ*. Sed ne ob hoc desinit jugum legis, seu mandatorum Dei esse suave? Ipse Sanctus Propheta experientiam suam ostendit Psal. 18. *Desiderabilia super aurum, & lapidem pratiosum multum, & dulciora super mel, & favum. Etenim Servus tuus custodit ea*. Videamus undè, & quomodo fiat jugum hoc suave, & onus leve, & dulce.

§. II.

Christi jugum suave dilectione, & virtutum exercitio.

408. INconsideratum satis videtur velle jugum Christi suave, & facile reddere à rebus ipsis præceptis, quasi tollendo, aut minuendo obligationes; cum hoc sit valdè alienum; imo contrarium doctrinæ Matris Ecclesiæ, & Sanctorum Patrum: & est mirum quod concilia, quibus assistentia Spiritus Sancti promissa est, declarare non audent quidquam, nisi consultis diligenter Scripturis, & juxta Sanctorum viam: & audemus Theologi. Itaque Sanctum Tridentinum Concilium sess. 6. cap. 11. rem istam declarat. *Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adiuvat ut possis. Cuius mandata gravia non sunt, cuius iugum suave est, & onus leve. Qui enim sunt filij Dei, Christum diligunt; qui autem diligunt eum, ut ipsemet testatur, servant sermones eius, quod utique cum divino auxilio præstare possunt*. Ecce igitur unde sunt possibilia præcepta, & Christi jugum suave, quod ex D. Aug. desumptum fuit.

Cathechismus ex jussu Pij V. editus jubet Parochis idipsum exponere fidelibus, par. 3. cap. 1. num. 7. *Quin etiàm legis jussa difficultatem etiàm non habere ostedat Parochus: quod vel una hac ratione ex S. Augustino docere poterit, cum inquit. Quid quæso dicitur impossibile esse homini amare: Amare inquam Creatorem beneficum, Patrem amantissimum: deindè etiam & carnem suam in fratribus suis: at verò qui diligit legem implevit. Quarè Joannes Apostolus præcepta Dei gravia non esse, apertè testatur*.

409. Divus Augustinus in Psalm. 118. conc. 22. ad illa verba; *Quomodo dilexi legem tuam &c.* inquit: *Sæpè admonuimus laudabilem latitudinem, in qua nullas, cum mandata Dei facimus, patimur angu-*

stias

stias, intelligendam esse Charitatem. Propter quod etiam in magno isto Psalmo, cum superiùs dixisset; latum mandatum tuum nimis, in hoc sequenti versu ostendit, undè sit latum dicens: Quomodo dilexi legem tuam Domine. Dilectio ergo est latitudo mandati. Idem Sanctus Doctor serm. 47. de diversis cap. 1. *Durum videbitur, quod Dominus imperavit; ut si quis eum vult sequi, abneget semetipsum. Sed non est durum, & grave, quod ille imperat, qui adjuvat, ut fiat, quod imperat. Nam & illud verum est, quod dicitur in Psalmo: Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras: Et illud verum est, quod ipse dixit: Jugum meum suave est, & onus meum leve: quidquid enim durum est in præceptis, ut sit leve charias facit.*

410. Idem dicit Divus Hieronymus in Psalm. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri; cum dilatasti cor meum: idest in latitudine charitatis, in fide, & in spe.* D. Chrisostomus in cap. 6. 2. ad Corinthios homil. 13. *Quemadmodum quod calefacit, dilatare facit, ita & charitatis opus est dilatare.* Item Glosa in cap. 11. Math. *Quomodò jugum Christi suave, cum supra dicatur: Arcta est via, quæ ducit ad vitam? Sed angusta, quę non nisi angusto initio incipitur; processu verò temporis ineffabili charitatis dulcedine dilatatur. Hoc est, quod ipse dulcedinis fons indicat, dum in verbis præcedentibus ad illa jugum meum &c.* dum ait *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*: qua refectione, nisi suavitate, & dulcedine suæ dilectionis. Et etiam per illud medium, quod magister Cœlestis addit: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris: jugum enim meum suave.* Illis ergo est suave, & leve, qui à Christo didicerunt mites, & humiles esse, & requiem animabus suis invenerunt. Quod ergo ex his argumentum formari potest ad præcepta in se mitiganda, aut diminuenda?

411. Ex adductis auctoritatibus formatur hæc ratio: vita Christiani consistit in subiugandis passionibus, & amplectendis actibus virtutum: utrumque est diffiicile, quia durum carni, & sanguini fugere delectabilia, & ejus resistere appetitibus; & etiam virtutes versantur circa difficile, & arduum: Si ergo ipso exercitio virtutum, & earum actibus facilitas non acquiritur, & suavitas reponatur, (maximè per affectus Charitatis, quæ omnia redit suavia, aut minus gravia,) jugum Christi remanet durum, & onus ejus grave: Si enim cor plenum non est ex affectu virtutum, implicatum erit alio affectu, quoad alia mala rapiatur: Nam impossibile est corda nostra esse vacua affectionibus, sed plena semper existunt, & voluntas semper amat.

S. III.

In via probabilismi potiùs redditur difficillimum jugum Christi.

412. Contrarietas, quæ versatur inter auctores sententiæ benignæ, & nostræ, in eo regulariter manifestatur: quod auctores benigni nobis imponunt, quod plurimas addimus obligationes, atque ideo reddimus durum, & difficile jugum Christi, econtra probabilioristæ attribuunt illis, quod mitigant, & diminuunt, & tollunt obligationes, ut reddant jugum Christi suave, & leve. Circa quod supponimus utrumque esse prohibitum, & addere, & tollere: Deuter. 12. *Nec addas quidquam, nec minuas.* Undè iniquum esset, vel addere, vel tollere, aut minuere; imo impossibile. Nam ut dixit Divus Augustinus: *Nemo optando facit verum, quod verum non est*: & sic fallere, & falli possumus, revera tollere, aut addere nihil possumus. Et ideo benigni auctores dicunt, se nihil tollere alicujus obligationis, contrarij pariter asserunt nihil addere, nisi quod revera naturali, Divino, & humano jure jubetur. Cæterum quoad rem ipsam pauciores obligationes assignant benigni ratione suarum probabilitatum. Nunc ergo ad suavitatem reddendo, dicimus hac illorum via potius reddi jugum Christi difficillimum, & insuave.

413. Pro quo est notandum, quod attenta humana fragilitate, & inclinatione, regularitèr illa, quæ necessaria, & obligatoria non putamus circà res animæ, facile

le plerique omittimus, & maximè quando sumus vexati, ex quo fit, quod, sequendo opinandi modum sententiæ benignæ, fiat difficile vincere tentationem, adimplere præceptum, & consequentèr facillimè peccare. Certum est enim, quod suavitas, & facilitas adimplendi præcepta, vincendi tentationes provenit ex exercitio amoris Dei, ut constat ex dictis: igitur circà hujus amoris obligationem, quid dicunt probabilistæ? *Alÿ quod quolibet mense, alÿ in anno: sed hoc esse nimis durum, sed solum in triennio, alÿ quod neque in quinquennio; alÿ dixerunt, quod solum in articulo mortis, alÿ tandèm quod per se, nisi in casu gravissimæ tentationis, non obligabat, sed sufficiebat non offendere Deum.* Nunc ergo quæritur, redetur suavius jugum Christi sequendo hunc modum opinandi, & per dilatationes harum opinionum? Quomodo ita fiet, si sumitur medium contrarium, ex quo necesse est reddi difficillimum? Si affectus divinæ dilectionis, ut est communis Sanctorum Patruum consensus, maximè conducit ad vitanda peccata, ad præcepta adimplenda, quid erit obligationem differre dilectionis Divinæ per longum tempus, nisi in quantum est ex parte talis opinionis assumere mediū contrarium, & dare occasionem, ut homines prætermittendo illam, facile cadant, & consequenter tollitur ipsa facilitas?

414 Secundo: Certum est medium ad non deficiendum esse orationis exercitium: juxta illud: *oportet semper orare, & numquam deficere.* Luc. cap. 18. quia sine illa aliqua sunt impossibilia; ut supponit Trid. sess. 6. cap. 11. supra relatum in hoc §. *Nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adiuvat, ut possis.* Ex quo fit nos aliqua non posse nisi petamus, non autem conceditur, nisi debitè petatur, juxta Jacobi cap. 14. *Ideo non accipitis eò, quòd male petatis.* Ad debitè petendum requiritur fiducia, instantia, perseverantia &c. Hoc autem vel assuetis est difficilè, quid erit non assuetis? Certe difficilius erit. Inquiramus nunc quando quis tenetur orare? juxta opinionem, quæ probabilis habetur, non tenetur nisi tempore gravis tentationis, quia obligare quotidiè, est nimis duxum, imo semel in hebdomada; Cæterum potius est durissimum hæc tempora præterire, & orationem differre; Quomodo tempore gravissimę tentationis, dum intellectus obscuratur, languescit voluntas, appetitus vehementer ad malum rapitur; ipsis animabus justis, & fervidis, & assuetis vix orare conceditur, quid faciet qui rarò, vel quasi numquam orat? Et si non imponitur obligatio tempore pacis, & tempore oneris tentationis imponitur; quid aliud est, nisi reddere jugum durum? imo in quantum est ex parte talis opinionis, medium (quod sumitur ad suave, & facile redendum Christi jugum,) illud difficillimum reddet, si militi in experto, & qui penè scit sumere in manibus arma, diceretur sibi sufficire in ipso conflictu ad illa recurrere sine alia prævia exercitatione, certum est, quod illi esset difficillimum præliari, & periculo manifesto sucumbendi adversario se exponeret.

415 Tertio: Certum est homines per Sacramentorum receptionem, maximæ Sacræ Eucharistię recipere vires ad vitia subjuganda, peccatis quę resistendum; è contra esse in statu peccati mortalis, afferre periculum alia iterandi. Et tamem sententia benigna liberat hominem à pręcepto Communionis transacto tempore Paschatis, dum illud tunc non implevit: & sic poterit duobus annis esse in peccato mortali. Erit huic homini Christi jugum suave, & mandata ejus levia, dum occasiones graves occurrant? Item: qui attentè pariter, & devotè recitat officium diuinum, recipit plures illustrationes, inspirationes, & auxilia divina, quibus fortior redditur advitanda mortalia: Conformatur autem quis sententiæ benignæ, nec curat de interna attentione, privatur illis, & aliis auxiliis; quia verum est illud: *Sic nos tu visita sicut te colimus.* Unde, tum in casibus adductis, tum in aliis innumeris, quos omittimus, amplectentes sententias benignas se ipsos reddunt languidos, enervatos, & infirmos pro portando Christi jugo. Contrarium autem experirentur amplectentes sententiam, quam immerito nuncupant rigidam, profecto vere benignam.

416 Quarto: Dilectionem, & existimationem legis indubium est, facilem red-

reddere ejus adimplectionem: ut vidimus ex D. Aug. §. præced. *Dilectio est latitudo mandati*. Cæterum dilectioni legis, ejusque suavitati non parum videtur præjudicari modo loquendi in via sententiæ benignæ. Plerique, & ex gravioribus illius professoribus, legem, vel ipsius Dei inter odiosa supputant, & sic applicant illi regulam juris: *Odia restringi, favores convenit ampliari*. Constituuntque in hominis mente tribunal, litesque inter illam, & libertatem formantur, & adversum Dei legem, possessionem, & alia opponunt, & excipiunt, ita ut ipsa sit quasi actor, qua non probante, libertas absolvitur ab obligatione. Hoc in eorum libris ad oculum patet. Cum igitur odiosa,& quæ per quandam coactionē imponuntur, dura,& gravia sint nostræ naturę, si lex tanquam res odiosa proponitur, & respicitur, proculdubio difficillima efficietur. E contra, via nuncupata rigida Dei mandata velut maxima, & præciosissima beneficia proponit: juxta Proph. Psal. 147. *Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis*: & Psalm. 118. *Portio mea Domine dixi custodire legem tuam*: Ex quo infert D.Bern. (apud Hug. Card. ibi) *Ergo sine hoc nihil homo. Qui perfecte custodit legem, custodit suam portionem*: Non ergo odiosa censeri debet lex, sed valde favorabilis.

Dices: Auctores probabilistæ, sunt viri vere pii, & eruditi, & nullatenus intendunt divertere homines ab exercitio amoris Dei, & proximi, aliarumque virtutum, imo virtutes ipsi exercent, ad illarum exercitium vehementer persuadent. At ubi ratio, & necessitas non suadet, nolunt imponere obligationes, ac proinde intendunt hoc modo excusare peccata, & hoc pacto homines salvare: Nec contrarium illis sine temeritate potest attribui.

417 Resp. Nos fateri viros pręfatos esse pios,& doctos, nec talem intentionem illis attribuere intendimus. Sed cum sint homines, & ut homines possunt falli, ubi apparet contrarium suæ doctrinæ, in illaque dari inconveniens, ipsi consentiri nequimus. Multoties finis, & intentio ex se bona est, sed contingit media talia non esse. Hoc ita in præsenti contingit. Etenim humana fragilitas valde propensa est ad propriam libertatem exercendam, ad convivendum juxta commoditatem, & amorem sui. Unde ex jam relatis doctrinis homines occasionem possunt sumere, (& de facto plurimi summunt) prætermittendi virtutum exercitia; & per usum opinionum probabilium juxta sententiam benignam, præter periculum peccandi contra legem, contraunt habitus vitiosos tepiditatis, deficit debita legum ponderatio, & diligentia adimplendi. Quare dum intenditur peccatorum vitatio, hominumque salvatio, contrarium contingit. Igitur Verus Magister non debet laxare habenas in hac materia, ut jugum Christi fiat suave. Præterquamquod, ut latè probatum est, non efficitur leve, facile, & suave jugum Christi laxando, & tot opinioniones introducendo.

Denique: Nam via probabilismi de usu opinionis probabilis relicta probabiliori, & tutiori, cognita non fuit in Ecclesia usque ad finem sæculi 16. ut constat supra à num. 333. Numquid tunc non erat jugum Christi suave? Non ita facilè excusabantur peccata? & homines plus difficile salui fiebant? ergo non dependent hæc à probabilistarum suavitate, & benignitate. Unde non immerito exclamabat ille magnus Guigo Generalis Cartusianorum. Ap. Gonet. tom. 3. de opinion. prob. n. 40. *O' Apostolorum tempora infœlicissima! O' Viros illos ignorantiæ tenebris involutos, & omni miseratione dignissimos! Qui ut ad vitam periingerent, propter verba labiorum Dei, tam duras vias custodiebant, & hæc nostra compendia nesciebant*: Nimirum tot opinionum multitudinem, quæ quacumque probabilitate munitæ, possunt in via recentiorum licite ad praxim deduci.

§. IV.

Iugum Christi Domini, & ejus mandata faciliora fiunt, non auferendo; sed addendo.

418 PRimo aspectu paradoxum videtur hoc assumptum. Nam si imponas decem præcepta, quis existimavit facilius adimpleri, quam sex, aut octo. Etenim frequentissima experientia videmus

mus onera fieri leviora auferendo; & addendo, graviora. Ergo pariter jugum Christi, & legum obligationes eo essent levia, quò plus obligationum ab eis auferatur. Præterea totum est majus sua parte: plura comparatione pauciorum sunt totum: & pauciora, pars: repugnat ergo totum sua parte esse levius. Hac ergo in consideratione, & specie pietatis hic modus philosophandi nonnullos elusit. Jam animadversum à nobis est non licere nobis, nec addere, nec tollere, nec hac intentione explicita, vel implicita scribere, vel docere. Nihilominus quo ad materiam præsentem in lege Dei aliquas additiones facere jugum Christi, & ejus mandata leviora, & faciliora, certum videtur.

419 Audiendus Ecclesiæ lumen D. Aug. serm. 22. de verbis Apostoli. *Hæc sarcina gravis est Fides, Spes, Charitas? Et vide quia oneratus non eris, si ipsum audieris: Iugum meum suave est, sarcina levis. Quid est, levis est? Quid habet pondus? Sed minus: plus habet avaritia, minus justitia. Nolo sic intelligas; hæc sarcina non est pondus onerati; sed ala volaturi. Habent enim aves pennarum suarum sarcinas. Et quid dicimus? Portant illas, & portantur. Portant illas in terra; portantur ab illis in Cœlo: tu si velis misericordiam præbere avi præsertim æstate; Et dicas miseram istam aviculam onerant pennæ; & detrahas onus hoc, in terra remanebit, cui subvenire voluisti. Porta ergo pennas pacis; alas accipe charitatis; hæc est sarcina: sic impletur lex Christi*: D. Bern. Epist. 341. *Nam ut in via vitæ simus inexcusabiles, quò citius, eò facilius curritur, & leve Salvatoris onus, quo crescit amplius, eò portabilius est. Nonne & aviculas levat, non onerat pennarum, sive plumarum numerositas ipsa. Tolle eas, & reliquum corpus pondere suo fertur adima. Sic disciplina Christi, sic suave jugum, sic onus leve, quò deponimus, eò deprimimur ipsi, quia portat potius, quam portatur*: Quid clarius? errabimus assentiendo his Ecclesiæ luminibus? forte decipient nos?

420 Fulcitur idipsum pulchra, & suavi doctrina Doct. Seraph. D. Bonav. in Ps. 118. ad illa verba. *Mandasti justitiam tuam, & veritatem tuam nimis. Videbatur hoc nimium mandatum, esse nimium onus, quia ly nimis est additio ad mandatum. (Tamen, ait Doct. Seraph.) Nimis idest charitate nimia. Ecce charitatis prærogativa, quæ mandata divina facit nimium amabilia: quia nimis amabile quod mandatur, nimis amabile nimia charitate. Et nota quod nimietas ista, facit mandatum nimis facile, peccatum nimis difficile, judicium nimis terribile. Primum quidem propter nimiam mandatorum dulcedinem: Secundum propter nimiam peccatoris ingratitudinem. Tertium propter nimiam judicatoris, & vindicatoris fortitudinem.*

421 Habemus ergo ex Doctorib. SS. in via Cœli, quo crescit onus, eò fit levius: videamus ipsum in praxi. Necessum est multoties advenire gravem tentationem, occurre occasionem periculi valde gravem, advenire obligationem adimplendi legem non parum difficilem. Quid ergo faciendum homini, ut tunc recte agat minori difficultate, immo, & cum suavitate? Addere orationem, multiplicare dilectionem Dei, & aliarum virtutum exercitia, non expectando ad tempus occurrentiæ, sed tempus præveniendo. Quis dubitat his additionibus onus legum esse facilius, & levius? In rebus materialibus hoc ipsum videmus. Agricola volens portare alio quantitatem magnam frumenti addit Equis plaustrum, & plaustro rotas gravis ponderis. Viator suspicans in via occurrere fortè sibi latrones, se onerat armis, & viatico pro itinere; qui sine illis videbatur velocius posse incedere, & minori fatigatione. Sic contingit, dum datur Catholico doctrina, aut consilium, quod ad pauca obligando, fit levius Christi jugum, in principio suave videtur; sed in vitæ progressu dura, & difficillima occurrent, quæ portare non poterit, si additione non prævenitur.

Plures opiniones ad diuersas materias pertinentes adduci possent ad hoc confirmandum. Ab opinionibus datur sua latitudo circa occasionem proximam, opinio videtur benigna, sed verè durissima, & incomportabilis. Datur opinio multorum esse licitum tacere in confessione peccatum etiam grauissimum, de quo dubitat pęnitens an illud commiserit, seu in illud consenserit. Sed non parum difficile est, quod conscientia non clamet, quomodo accedit

digne

digne ad recipiendum SS. Eucharistiæ Sacramentum? Item opinio illa concedens in materia luxuriæ paruitatem materiæ, quantam difficultatem ingerit pro obseruando castitatis præcepto? De quo N. Salmanticen. de peccat. disp. 10. num. 263. Discitur experientia, (sed quandoque serò) benigna, & facilia ea non esse, quæ benigna, & facilia apparebant, considerato initio, sed progressus non attendebatur. Per viam sibi latam, suavem, & facilem videbantur illi ambulare, qui postea termino, licet serò, veritatem fassi sunt: *Ambulavimus vias difficiles*. Quomodo ita, si vias suas adeo suaues existimabant? Sed erat fallax suauitas illa.

422 An sit vera suauitas, & leuitas, quam in sua via inducere intendit sententia benigna probabilistarum, non parum difficultatis in se habet, & sub dubio est. Nostram verò viam, seu sententiam, rigidam, (quia strictam,) passim compellant, & non aptam prædicant ad animarum saluationem, & sic illis displicet. Cætærum nemo Catholicus negabit ad nostras conscientias recte dirigendas maximè nobis esse attendendum ad illam strictissimamam discussionem, quæ fiet dum post finem hujus mortalis vitæ à nobis reddenda est ratio. Hæc quam stricta sit futura, quam strictus Judex, non imagitationibus est metienda, Sed Sacræ Paginæ, & SS. Patrum doctrina, quibus, ut in ipsis videre est, ad id explicandum verba deficiunt. *Quantus tremor est futurus, quando Iudex est venturus, cuncta stricta discusurus*. Doctor Jacobus de Paradiso, lib. de peccatis Criminal. Narrat: Religiosum quemdam veste vili, mœstoque vultu apparuisse socio, eique dixisse: *Nemo credet, nemo credet, nemo credet, quam stricte judicat Deus, & quam severe punit*. illa trina repetione ostendit, quam stricte erimus indicandi! Tũ sic: Certum, illam strictissimam discussionẽ nõ aliter faciendam, nisi juxta regulas, & leges ab ipso Deo, & ipsius ministris latas: ergo regulæ hæ strictæ sunt, strictèque debent intelligi, (salva semper ratione.) Judex ne Supremus verax, & infallibilis discussionem illam faciet, rationemque à nobis exiget per libros Caramuelis, Dianæ, aut aliorum ejusdem conditionis probabilistarum? *Ecce dat tibi securitatem procurator* (ait D. Aug. homil. 11.) *Quid sibi prodest, si Pater-Familias non accipit... Quæ est autem securitas Fratres mei, mea vel vestra, nisi Domini iussa intente, diligenterque audiamus, & promissa fideliter expectemus?*

§. V.

Objectionibus respondetur.

423 IN hujus articuli principio indicatum est argumentum apud probabilistas plausibile, sed infirmum, contra nostram doctrinam; nimirum ejus usum, seu praxim esse difficilem, & fere impossibilem, & innumerabilibus scrupulis, & anxietatibus expositam: ex quo fit jugum Christi durum, & importabile. Sed quamvis satis constare possit hujus objectionis debilitas ex hucusque dictis, pauca hic addimus. Et in primis esset quærendum ab ipsis probabilistis, quid ab eisdem, & ab omnibus mortalibus observatur in omni negotiorum genere, nisi id, quod nos in tota hac controversia statuimus sequendum circa legem, seu divinam voluntatem?

Non aliud volumus, nisi quod non stante pro libertate, & contra legem majori probabilitate, ob periculum legis violandæ, debere se abstinere à tali periculo. Omne genus humanum vel in rebus transitoriis non ita segerit, ut se numquam periculo probabili se exponat, nisi moraliter saltem certo cognoscat illum posse evadere, vel nisi compellatur mali majoris metu, vel majoris boni spe alliciatur? Alias non haberetur imprudens? Accipit quis monetam, de qua judicat æque, vel magis esse falsam quam veram? Quid de militibus, mercatoribus, nautis &c. quem inveniemus, qui res suas periculo exponat, nisi spe justę mercedis, aut liberationis à periculis majoribus incitatus? ergo quid mirũ, quod hunc modũ, & æstimationẽ habeamus circa Legem Dei, ejusque Divinam voluntatem, ita ut quando habeamus dubium, seu formidinem prudentem de periculo illam violandi, hujusmodi periculum vitemus? Quòd autem hoc sit difficile, quòd datur occasio scru-

pulis, & anxietatibus: quid convincit? Ubi in hac vita mortali excogitari potest via salutis, status quãtumvis optime dispositus, in quibus non detur difficultas, scrupuli, & anxietates, cum ubique sit verum illud sapientiæ 9. *Cogitationes mortalium timidę, & incertę providentię*? Forsitan ne in via probabilistarum hæc non habebunt locum? Jam injure hoc punctum tactum est, videlicet; quid faciendum ad vitandos scrupulos, & remorsus conscientiæ? Et respondit Clemens V. in Concil. Vienen. Clement. exivi de Paradiso de Verb. Sign. *Attendentes, quod in his, quę ad animę salutem respiciunt, ad vitandos graviter remorsus conscientię, pars securior est tenenda.* Non recurrit Pontifex ad benignam sententiam, sed contrarium nos docet. Item Innocentius III. in cap. Consilium de observ. jejun. ait: *Bonarum mentium est ibi timere culpam, ubi culpa minime reperitur.* Et erat consultum de dubiis, & scrupulis circa jejunia, utiturque auctoritate S. Gregorii. Quid ergo dicendum, ubi reperitur periculum culpæ, ita ut sit contingens peccare, vel non peccare, immo magis contingens sequuturum peccatum? Bonarum quidem mentium non videter esse, hoc non timere, & id sine scrupulo aggredi. Sed quia infra fusius q. 5. art. 9. à n. 1006. agemus de hac re, quam objectio tangit, hîc supersedemus.

424 Deinde urgent probabilistæ nimiam difficultatem, imo impossibilitatem praxis nostræ sententiæ ob illud fundamentum, quod art. præced. adduximus; nimirum, in dubio legis, in quo variant doctorum opiniones, esse recurrendum ad supræmum Ecclesiæ Cattholicæ Judicem, & Doctorem: quod contendimus probare ex loco Deuteronomii. Hoc autem dicunt, quis non videt non posse adimpleri? Quando enim occurrit occasio, aut necessitas aliquid operandi, circa quod est dissensio inter Auctores, alii asserentes licitum, alii contrarium sentientes, nonne debeo suspendere actionem, & Pontificem Romanum consulere? Hoc quidem esset onus intollerabile, & contra communem praxim Ecclesiæ.

Ad hanc objectionem videtur posse responderi, quod, qui doctrinæ ex illo loco adductæ assentiri non vult, sed contrarium defendere, non contendat nobiscum, sed cum eo, qui ita statuit, nimirum in hypothesi nostræ controversiæ non posse nos facere, quod libuerit, sed quod quæramus veritatem. Deus in suis mandatis nemini debet rationem reddere; sed omnis voluntas nostra debet ejus subiici voluntati. Secundo contendat cum D. Th. cujus est expræssa doctrina, quam ex dicto loco collegimus 1. 2. q. 96. art. 6. ibi. *Si enim dubium sit debet, vel secundum verba legis agere, vel superiorem consulere.* Quod etiam clare docet 2. 2. q. 120. art. 1. ad 3. *Dicendum, quod interprętatio locum habet in dubiis, in quibus non licet absque determinatione principis à verbis legis recedere. Sed in manifestis non est opus interprętatione, sed excusatione.*

425 Tertio. Quid fiebat ante ortum probabilismum, ante annum 1578. cum editus in lucem est? Certè plurima dubia tunc emergebant: unus tantum erat Doctor, & Judex Ecclesiæ supræmus, nunquid erat sufficiens pro tot dubiis decidendis, quæ ad ipsum deferebantur? Forte jugum Christi non erat tunc suave, sed suavitatem sortitum est à via probabilistarum recentiorum ex illo tempore? Cæterum, licet plura dubia tunc emergerent, & nunc pariter emergant, si sincere quæratur veritas, raro contingет non inveniri per judicium verè probabile. Nam verissimè, ait D. Chrysostomus homil. 51. in Joann. *Nihil veritate clarius, nihil simplicius, nisi maligni esse velimus.* Et D. August. de quantit. animæ. *Et fieri non potest, quadam providentia divina, ut religiosis animis seipsum, & Deum suum, idest veritatem piè, castè, & diligenter quęrentibus; inveniendi facultas desit.* Certè diversum modum loquendi, & docendi in Doctoribus SS. conspicimus à modo loquendi, & docendi professorum sententiæ benignæ.

426 Tandem fatemur prædictum recursum esse difficillimum in via probabilistarum recentiorum: nam cum sint innumerabiles opiniones ab ipsis pro licito usu admissæ, & seges dubiorum moralium copiosa, essent necessarii ad veritatis decisionem plurimi Judices, & Doctores. At in sententia nostra non ita est: nam est modica

ca opinionum varietas, ratione cujus veritas moralis, quam inquirimus, dubia reddatur, ita ut talis veritas à nobis non possit inveniri per judicium sufficiens ad honestè operandum. Siquidem quoties in aliquo objecto morali est dubium, non potest intellectus assentiri, nec voluntas amplecti, nisi omnibus inspectis judicet cum fundamento cum excessu probabiliori esse licitum, dum operatio est non pro lege, sed pro libertate. Aliter debet, aut cessare ab operatione, aut partem tutiorem sequi. Ut in hoc exemplo: Dubitas an debeas confiteri quantitatem furti, dum est notabiliter aggravans: dubitas æquè probabiliter, vel habes minus fundamentum ad judicandum te ommittere posse circumstantiæ expræssionem, teneris illam confiteri. Si vero habeas majora fundamenta cum excessu, ita ut habeas formidinem parvam de obligatione, poteris illam tacere: quia periculum peccandi esset remotum. Et quod non possis hunc modum servare raro continget; & sic non requiritur frequens recursus ad Romanum Pontificem. Cæterum in sententia benigna, cum admittat æque vel minus probabilis sententiæ usum, & consequenter sententiam, quæ est indifferens ad verum, & falsum; ad bonum, & malum, immo, & quæ magis ad falsum accedit; errare, & violare voluntatem divinam est valdè contingens, & sic erat necessarium recurrere ad Romanum Pontificem, ut declararet ubi esset veritas, ut sic vitaretur peccandi periculum, cui nos exponere in Deuteronomio, & Ecclesiastico ipse Deus prohibet, & Canonicum jus, & SS. PP. idipsum docent. Unde non nos, sed eorum doctrina id denunciat, & lex naturalis divina id onus imponit.

ARTICULUS V.

An sit licitus usus opinionis minus probabilis, & minus tuta attentis Sacris Canonibus.

§. I.

Valde utilis, & necessaria est Theologo Sacr. Canonum notitia.

427 POst auctoritatem Sacræ Doctrinę habet immediatè locum auctoritas Sacrorum Canonum, & Decretorum Pontificum, quibus omnes Christiani stare est necesse. Et consequenter opinio, quæ contra se habuerit horum declarationem, aut decisiones, nequit ad praxim deduci, nec esse regula honestatis moralis; ut omnes Cattholici conveniunt. Quapropter videndum est quid inveniatur in Sacris Canonibus, & Pontificiis decretis circa præsentem quæstionem, ut quid nobis sequendum sit, sciamus. Et prius supponendum est, circa resolutionem quæstionum moralium maximam Sacrorum Canonum habēdam esse rationem: ita docet Pontifex Cœlestinus I. Epist. ad Episcopos Illirici: *Dominentur nobis regulæ; non regulis dominemur. Simus subjecti Canonibus cum Canonum subjecta servamus. Et Synodus œcumenica VII. ante Leonem IV. His qui Sacram sortiti sunt dignitatem, testimonia, & directiones Canonicarum præceptionum forma cōsistunt, quas libenter suscipientes cum Dei Eloquio David Canimus ad Dominum: in via testimoniorum tuorum delectatus sum sicut in omnibus divitiis. Et: mandasti justitiam testimonia tua in æternum. His ita se habentibus exultantes in eis, sicut qui invenit spolia multa, divinos Canones amplectibiliter in pectore recondimus: & integram illorum præceptionem, ac immobilem tenemus.*

428 In Sacris quidem Conciliis, & Pontificiis decisionibus nobis Spiritus Sanctus ostendit viam, qua rectè ducimur, & quorum ductu errare non possumus. In illis continentur principia præcipua moralia, & etiam plurimæ decisiones, & resolutiones particulares, quibus abundans doctrina nobis ministratur pro ipsis, & aliis dubiis

biis occurrentibus. Ideo antiquiores Auctores morales præcipuè juris Canonici studio diligenter incumbebant; ejusque textus continuo pro casuum resolutione allegabant, ut videre est in S. Raymundo, Sancto Antonino, nostro Resoluto Bacconio, Sylvestro, Viguerio, Tabiena, Summa Angelica, & aliis; unde rara opinio exorbitans in illis reperitur. E contra post quam Scholastici Theologi relictis citationibus juris Canonici nixi suis rationibus, & discursibus, materias morales discusserunt, in quem devenerunt statum, jam videmus, & ipsi Christi Vicarii Summi non sine mœrore deplorant. Ideo graviter scripsit Coratius Doctor jurisprudentiæ tr. de electione opinionum ap. tract. doct. t. 18. à fol. 235. titulo. *Auctoritas Doctorum. Antiqui non solum* (ait) *eximiæ auctoritatis, propter effectum temporis decursum; sed etiã, quia vere doctissimi erant. Nam ipsi usi sunt bonis libris; cum tantummodo viderent textus, & glosas, vel textus solum: & sic omnia in fonte. Hodie vero cum sit tanta librorum copia, ut labori parcatur, datur opera libris facillimis, in quorum lectura nihil addiscitur.*

429 Communiter Theologis (maximè illis, quos Magistra N. Cœlestis, & Mater S. Theresia semidoctos appellat) parum utilis videtur Canonum Sacrorum scientia: adeo à juris Canonici scientia sunt remoti, ut neque textum, si in aliquo Auctore citatur, quærere sciunt, & forte quotum sit juris Canoni Corpus ignorant. Et ut scribit doctissimus Melchior Cano lib. 8. c. 6. in princ. *Sunt enim quidam usque adeo in ea facultate doctis infensi, ut illorum auctoritatem ab usu prorsus Theologiæ remotam esse arbitrentur. Nos vero* (prosequitur) *hujusmodi Doctorum* (scilicet Canonistarum) *quãta sit auctoritas, quanti sit Theologo facienda, paucis ostendemus, illo principio sumpto: Theologis, qui Pontificum Canones ignorent, nimis multa de esse, ad usúsque Theologiæ esse necessarios. Etenim si à Theologis animarum cura non est aliena, sed potius animas regere, eorum quasi peculiare munus est, proculdubio Canonici juris scientia est illis necessaria.* (Et inferius.) *Solum argumentabimur, Canonici juris cognitionem Theologo esse per necessariam. Cum enim Theologi propria functio sit, exhortari fideles in doctrina sana, iidem quippe Theologi, qui Magistri animarum esse dicuntur; Doctor vero Ecclesiæ non divinas modo leges, verum etiam Ecclesiasticas, populum docere debeat, absurdum sane est auferre à Theologi munere Canonum disciplinam. Nam licet in Scriptura Sacra præcepta vivendi majori ex parte tradantur, sed, ut Card. Turrecremata in proemio Decreti docet, doctrina morum in specie secundum gradus singulos, & ordines officiorum Ecclesiæ sine juris Ecclesiastici cognitione habetur &c.* Hæc insignis iste Theologus, quod late ibi prosequitur.

430 Laudatus Cardin. Turrecrem. in d. Decreti proemio t. 1. pariter doctissimus diffusius pluribus rem hanc illustrat, & inter alia ait. *Amplius hæc sapientia de negotiis Ecclesiasticis docens illa recto ordine, ac iustissime definiri, & terminari de Sacramentis Ecclesiasticis &c. Planè materia huius scientiæ Canonicæ altissima est, ita ut ad omne, quod ad salutem fidelium utile iudicamus, claudere videatur, ut conveniant illi, quod omnium bonorum mater est.* Sap. c. 7. *Tertio excellentia huius sapientiæ Canonicæ colligitur ex parte finis. Finis enim ad quem hæc sapientia Canonica ordinat, dirigit, atque perducit finaliter superna Beatitudo est; secundum illud* Sap. c. 6. *Custoditio legum consummatio est incorruptionis. Incorruptio autem facit proximum Deo.* Hucusque per doctus Cardinalis. De eadem re agit D. Antonin. 3. p. tit. 5. cap. 2. §. 1. ubi in fine, ait: *Sed hodie Clerici, & Religiosi non vacant, nisi sophismatibus, & formalitatibus, & metaphysicis, vel sermonibus phaleratis Ciceronis. Et si Canones vident, non nisi de iudicialibus, & vix aliquando dignantur aspicere Sacras Scripturas, textum sententiarum, librum decretorum, fundamenta iuris Divini, & Canonici, ut impleatur illud Apostoli: semper discentes, & nunquam ad scientiam pervenientes.* Et §. 2. ibi (etiam inquit: loquens de Theologo:) *debet prius scire scientias humanas (scilicet logicam, phylosophiam, & metaphysicam) ut clarius, & subtilius possit intelligere Sacram Scripturam: sic multo magis debet scire Sanctorum Canones, ut melius, & fructuosius possit consulere saluti animarum.* Hæc D. Antoninus.

431 Hæc deberent attendere multi ex opinantibus maximè recentiores, & præcipuè summistæ, qui vel in lingua vulgari sine ulla contradictione producunt, & seminant segetem maximam opinionum, & regulariter una vel altera ratiuncula fundatarum, & multoties absque ulla, contenti dicere, *est probabile*. Quæ quidem opiniones, si ad principia Sacrorum Canonum reducerentur, & ad Regulas Ecclesiasticas, earum debilitas, insufficientia, immò, & falsitas appareret. Sed tandem earum sectatoribus, suo tempore à veritatis supræmo Magistro ubi sit veritas, & securitas manifestè enuntiabitur. Et reddet unicuique secundum opera sua.

§. II.

Secundùm Sacrorum Canonum decisiones non est licitus usus opinionis æquè, vel minus probabilis, & minus tutæ.

432 PRobatur 1. ex Regula juris 45. in 6. *Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consueuit*, quod aliud non est, nisi probabilius, ut habetur in cap. Capellanus de feriis, & in Clementina unica §. ult. de Summa Trinit., ex quibus testibus deducta est hæc regula, quæ etiam habetur in jure civili, l. in obscuris, ff. de Regul. juris, l. ideo quia, ff. de legib. l. eum, qui probabilem, C. de Episcop. & Cleric. §. item pretium inst. de empt. & vendit. & aliis in locis. Ex qua regula colligitur, quod qui scribit, aut docet, debet sequi, seu docere id, quod omnibus inspectis existimat esse probabilius, sive sit magis tutum, sive minus. At in ordine ad operandum, seu in praxi, certum est, quod si unum extremum est tutum (ut senem septuagenarium teneri jejunare) licet esset minus probabile, licitè operatur, at verò, ut à jejunio excusetur, debet existimare hoc esse verisimilius.

433 Nec valet dicere hanc regulam, & præfata jura habere locum solùm in foro externo: quia ejusmodi decisiones potius pro Tribunalibus, quàm pro foro animæ conditę sunt. Sed contra, & in primis præ oculis deberemus habere illa verba, quæ ex Pontifice Cœlestino adducta sunt supra in hoc art. num. 417. *Dominentur nobis regulæ, non regulis dominemur; simus subjecti Canonibus, cum Canonum præcepta seruamus*. Verè complures Canonum interpretationes in libris plerisque conspicimus, maximè pro tuenda sententia benigna, non facilè videtur aliud per illas fieri, nisi velle regulis, & Sacris Canonibus dominari. Deinde, quis ignorat finem juris canonici, Canones Conciliorum, Decreta Pontificum esse salutem animarum, & illas ducere in vitam æternam; ut ex Card. Turrecr. supra vidimus? Præterea forum internum debet externo conformari, quoties non fundatur in falsa præsumptione; ut ipsi probabilistę consentiunt, ut videre est apud Sanch. li. 1. Summæ cap. 10. num. 11. certissimum est, regulam adductam non fundari in falsa pręsumptione, sed explicare ipsum jus naturale, in ipsoque fundari, quatenus dictat mala esse vitanda; duo autem mala interveniunt in amplectendo minus verisimile, dum est minus tutum; alterum ex parte intellectus admittentis, quod verisimilius est falsum: & ut docet D.Thom. 2.2. qu. 60. ar. 4. ad 2. *Quia verum est bonum intellectus, falsum autem est malum ipsius, unusquisque debet niti ad hoc, quod de rebus judicet secundùm quod sunt*. Aliud ex parte voluntatis, scilicet peccatum, quod nisi verisimilius sit non dari; non excusatur voluntas: quod ipso lumine naturali cognovit, & statuit Jurisconsultus, in l. 1. ff. de just. & jur. ibi: *Iustitiam namque colimus, & boni, & æqui notitiam profitemur, ęquum ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes*. Quomodò ad hæc attendit, & profitetur, qui eligit, seu docet, quod magis existimat esse iniquum, & falsum?

434 Probatur 2. ex d. cap. Capellanus de feriis, ubi cùm esset quæstio, quo die deberent finiri septimanæ, quæ à jure præscribebantur, ut possint celebrare Nuptiæ, & essent diversæ opiniones, ait Pontifex: *Quia ergò consulti fuimus, utra istarum opinionum potior videatur* (inquit) *usque septem dies post Pentecostem celebrari non posse, ut asserebat secunda sententia* (quam eligit) *quia posterior sententia meliori, & subtiliori nititur ratione*. Ubi glosa ait: *Nota, quod illa sententia debet semper observari,*

quæ

quæ meliori rationi, & subtiliori nititur. Confirmatur idipsum ex præcitata Clem. unica de Summa Trinit. §. ult. ubi in Concil. Viennen. ita decernitur: *Nos attendentes generalem efficaciam mortem Christi (quæ per Baptisma applicatur pariter omnibus baptizatis) opinionem secundam, quæ dicit tam parvulis, quàm adultis conferri in baptismo informantem gratiam, & virtutes, tamquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiæ magis consonam, & concordem, sacro approbante Cõcilio, duximus eligendam:*

Ad quid hi sacri Canones ab Ecclesia ejus filiis proponuntur, illisque præcepit informari, nisi ut eos sequamur, eos imitemur, tamquam regulas viam rectam nobis ostendentes; & si nostra judicia, & fundamenta nostris discursibus comparata, illis non conformantur, abjiciantur à nobis? Si ergò Pontifices Summi, Concilia Oecumenica id, quod probabilius amplectuntur & in jure modus hic resolvendi in jure canonico, per quod Ecclesia Catholica regitur, & dirigitur, intimatur: hæc via à nobis est amplectenda, & contraria illi vitanda:

435 Prob. 3. assumptum, videlicet non esse licitum usum opinionis præcisè, quia probabilis stando in jure canonico: Nam Lucius 3. in cap. Dominus de secund. Nuptiis scribens ad Christianos in Saracenorum captivitate detentos, illos docet, qua ratione se gerere debeant, si qui eorum secundas nuptias contraxerint, nondum facti certiores de prioris mariti morte: *Si verò* (inquit) *aliquis, vel aliqua de morte prioris conjugis adhùc existimat dubitandum, ei, qui sibi nupsit debitum non deneget postulanti, quod à se tamen nullatenùs erit exigendum.* Hæc autem decisio est apertè contra viam probabilismi: ergò iste contra jus canonicum est.

Prob. min. Nam cùm Pontifex instrueret omnes, qui sub imperio Saracenorum degebant, non videtur dubium, quod aliqui probabiliter existimabant mortuum esse priorem conjugem, & consequenter esse probabile, validum esse matrimonium: ergò si sufficeret probabilitas, nedum reddere, sed etiam petere posset ille conjux. Præterea in via probabilismi in dubio melior est conditio possidentis, tam in materia justitiæ, quàm in aliis: Ergò in hoc dubio de valore conjugis libertas possidebat in sententia benigna, ac proinde erat illi licitum etiam exigere, cujus contrariũ statuit Summus Ecclesiæ Doctor.

436 Dices cum quodã Neoterico probabilista, quod attento jure naturali, & divino conjugem posset etiam petere in eo casu, deponendo judicium probabile, advocando alium judicium practicum certum de honesto usu dictæ opinionis. Sed quia jura id vetant, non est probabile licitam esse copulæ petitionem. Mirum est in quas angustias nonnulli se ingerunt, ut in suis dictaminibus persistant. Sed contra: Nam Pontifex non condit hìc novum jus positivum, sed explicat jus naturale, & divinum; nitendo huic principio: *Ex duobus malis est eligendum minus*, ut statim ex alio textu in simili casu videbimus: Et tamen relatus Scriptor sua versatili probabilitate monstrat contrarium potuisse sancire, nimirum licitum esse petere debitum. Et si potuit Pontifex sic respondere, perperam egit, imponendo adeo difficile, & intolerabile onus reddendi, & non petenti debitum; cùm ex modo opinandi contrario posset utrique conjugum conferre plenam facultatem petendi, & etiam recusandi debitum conjugale. Tandem dolendum sanè est, Summos Pontifices modum, & viam probabilismi latuisse; quæ si illis esset nota, quanta sustulissent pericula peccandi, & peccata, quæ ex illa difficili lege prohibente petitionem debiti cõjugalis mutuò, prodire poterant. Profectò gravissimè peccarent Pontifices imponendo tantum onus conjugibus, si aliunde id possent in modum tutum, & commodiorem mutare.

437 Idem jus sancivit Innocentius III. in cap. inquisitioni 44. de sent. excom. Ubi quæstionem supra positam de usu matrimonii, triplici responsione sapientissimè dirimit. Primò dum conjux est certus de nullitate matrimonii, nequit petere, nec reddere debitum, etiam si apud Ecclesiam probare non possit, & potius sustinendam excommunicationem, vel quamlibet aliam pœnam. *In secundo* (inquit) *distinguimus, utrum habeat conscientiam ex credulitate levi, & temeraria, an probabili, & discreta.*

Si

Si leviter credat: Equidem ad sui Pastoris consilium conscientia levis, & temerariæ credulitatis explosa, licitè potest, non solùm reddere, sed exigere debitum conjugale. Et tandem ad id, quod attinet ad nostram hypothesim, respondit: *Verum cùm conscientia pulsat animum ex credulitate probabili, & discreta, quamvis non evidenti, & manifesta, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet.* Quæstionis resolutionem hac ratione munit Summus Christi Vicarius: *Nè in alterutro, vel contra legem conjugis* (permissa petendi facultate) *vel contra judicium conscientiæ* (recusato debito) *committàt offensam.* Ex quo perspicuè colligitur, quàm contrarium sit Pontificum decretis, statuere quasi certam regulam, secundum quam, quilibet potest; ommissa opinione probabiliori pro lege, aliam contra legem amplecti. Cui manifestè decisioni eodem modo respondet ille Neothericus probabilista, quo respondit textui Lucij. 3. sed eodem modo ejus responsio confringitur, & multo expræssius ex hoc cap. falsitatis convincitur. Nam contra Canonis decisionem confugit ad probabilitatem utrique coniugi communem, & cum sua quisque uti possit, singuli beneficio communis probabilitatis poterunt, & exigere debitum coniugale, & illud recusare, quia dubitatur bellum utrinque justum. Hæc, & similes disensiones à probabilismo oriri non raro invenitur.

ARTICULUS VI.

Qualiter intelligenda sit illa juris regula: in dubijs tutior via est eligenda.

§. I.

Ferè semper discordamus ab obligationibus per defectum.

438. Fatemur non modicam continere difficultatem hujus regulæ intelligentiam: cuius plena, & vera expositio esset maximæ vtilitatis, quia frequenter occurrunt negotia, & casus; de quibus dubitamus, & difficillimum est in illis veritatem attingere, & in eorum resolutione & praxi securitate gaudere. Profectò mirum est, quot expositiones, quantæ restrictiones factæ sint, & quot additæ limirationes huic regulæ, seu doctrinæ de parte tutiori in dubiis eligenda. Plerique adeò illam evacuant, quod ferè illam perimunt, maximè ex professoribus sententiæ bonignæ. Cœterum quia non est in cujusque manu constituere viam salutis, & eorum explanationes, & restrictiones continent difficultatem, & aliis non minoris auctoritatis displicent, & reiciunt: tandèm nequit apud verè Deum timentem non remanere adhùc dubitatio de securitate illarum limitationum, & restrictionum; maximè cum faveant libertati, & commoditati secundum carnem, & sanguinem.

Pro quo est notandum, quod nos, ut in plurimum, discordamus à principijs naturalibus, & alijs regulis Divinis, & humanis non per excessum, sed per defectum. Habemus principium de dilectione Dei, & proximi, in quo clauditur modus; quo quisque se gerere erga se debet. Circa proximum habemus ex Evangelio illud: *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, hoc, & vos facite illis.* Math. cap. 7. quod idem est, ac principium naturale: *quod tibi non vis, alteri ne feceris*, in quo omnia complectuntur, quæ pertinent ad societatem, & comercium humanum. Habemus etiam principium de imitatione, de abnegatione propria, & quærendo regno Dei. In his ergo principijs quis non cognoscit nos, ut in plurimum, ferè semper deficere? Sed ex defectu in principijs oritur necessariò defectus in conclusionibus: Ergo periculum est probabile, ne deficiamus laxando, & deficiendo, non autem in restringendo, & addendo. Periculum igitur est in deficiendo circa præcepta, quæ Deum respiciunt, & etiam circa ea, quæ proximũ in contrahendo, succurrendo &c. & similiter idem circa modum, quo erga nos gerere ipsi nos debemus.

439. Ex quibus planè fit, quod in omni dubio obligare ad partem tutam non affert aliquod periculum additionis, imò rectè faciemus additionem faciendo, tenendo regulam probabilem jam dictam sumptam ex his, quæ plerumque contingunt.

gunt. In contrario autem est probabile periculum in auferendo. Imo in hoc non videmur periclitari, nimirum addendo. Cum sequamur regulam ex communiter contingentibus, quæ est 45. de Regul. Jur. in. 6. supra relata. Doctrinam hujusmodi tradidit Arist. 2. Eth. cap. 9. Nam cum dixisset difficile esse invenire medium virtutum: docet nos considerare debere: *ad qua sumus natura propensiores, atque nos ipsos in contrarium oportet retrahere*: & tandem præscribit: *In universis cavendum est maximè à voluptati*. Quis non experitur naturam nostram inclinari ad contraria ijs, quæ à nobis exigit Christus Dominus? Ipsa voluptas, omnia quæ secundum voluptatem sunt, concupiscentia carnis, Mundi divitiæ, & honor, cunctaque humana sunt contraria viæ mandatorum Dei; & ideò dicebat Psalmista: *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras*, Psalm. 16. & ipsa veritas in Evangelio: Math. 12. *Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*. Ergo, ut securi viam salutis suscipiamus, & conficiamus, in omni dubio legis, dum lex nobis non constat, debemus in partem legis declinare. Ita fecerunt Prophetæ, & suis doctrinis confirmant, qui duri, & non placentes hominibus steterunt; ita Sancti Patres, qui vita, & doctrina plerumque severi sunt, & stricti. Nec consideranda, & objicienda est imbecillitas nostra, quia ad legislatorem Divinum hoc attinet; qui numquam deficit in præbendo vires pro nostrarum obligationum adimpletione, de quo infra nonnulla dicemus. Hæc prænotare voluimus pro modo interpretandi hanc regulam juris, & etiam pertractandis, & resolvendis dubijs moralibus, & in omni materia.

§. II.

Tutiorem in dubijs esse de obligatione eligendam, est expressum in Jure Canonico.

440. SUpponimus quod stante dubio de præcepto, vel non præcepto, seu ubi lex gravis est certa, & defacto dubitatur, an talis casus compræhendatur; nos teneri ad legem implendam in sensu composito dubii, seu non deposito dubio: ut si dubitas an detur lex recitandi matutinum ante sacri celebrationem, seu an pingere compræhendatur in lege de festorum observatione: stante, & non deposito dubio certum est apud omnes te peccare, & timere agere sequendo partem non tutam, quia te exponis periculo peccandi. Si verò dubium prudentèr deponatur, fiatque prudens judicium practicum, quod res illa sub dubio, aùt lege non compræhendatur, jàm cessat obligatio, & consequentèr non datur obligatio tutiorem viàm sequendi. Quæstio igitur est circà modum deponendi dubium. Nàm probabiliste dicunt, quod dubium speculativum, si facta diligentia, veritas inveniri nequit, hoc ipso potest deponi, & resolvi, & elici judicium practicum de honestate operationis. Sententia illis contraria defendit tutiorem partem esse eligendam, dum dubium speculativum non deponitur per inventionem novi fundamenti, ratione cujus operans sit certus certitudine quadam morali de licito partis minus tutæ.

441. Hanc ergo sententiam, quam defensamus, probant plures Pontificum decisiones cap. juvenis de sponsalibus: in quo vir quidam contraxit sponsalia cum puella non dum septeni, & tentavit quod complere non potuit: postea illa mortua, vel antequam consentiret, recessit ab illa, & duxit consobrinam illius puellæ: mandat Pontifex ab hac secunda separari; nixus nostrę regulę: *Quia in his, quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus*. Et infra. *Tum propter prædictam dubitationem.* Ubi glosa. *Notandum ergo, quod in dubijs semper tenendum est, quod securius est, & certius.*

Item in Clementina exivi de Paradiso de Verb. sign. in Concilio Viennen. refertur qualiter Patres gravissimi Franciscani suæ salutis, & perfectionis studiosiores, cum essent anxij varijs, & gravibus dubijs ob incertum suæ regulæ sensum, proposuerunt, an tenerentur sub præcepto peccati gravis ad ea observanda, quæ in regula Divi Francisci habentur per verba imperandi negativè, aut affirmativè apposita. Qui-

Quibus in eo textu respondetur ex eadem nostra regula: *Attendentes, quod in his, quæ ad animæ salutem respiciunt, ad vitandos graviter remorsus conscientiæ, pars securior est tenenda*. Quid clarius poterat dici ad profligandas evasiones, quæ ad hanc regulam debilitandam inventæ sunt.

442. In cap. ad audientiam de homicidio; proponitur, præsbyter volens corrigere unum de familia, cingulo, quo cingi solebat, ipsum verberare tentavit. Contingit, quod cultellus de vagina, quæ cingulo adhærebat elapsus, in dorso aliquantulum eum vulneravit. Postmodum cum ille vulneratus convalisset à vulnere, graviori infirmitate percussus, decessit. Respondet Papa: *Quia verò utrum occasione vulneris decessisset, dubium habetur: Vestræ discretioni duximus respondendum, quod cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, vòs convenit iniungere præsbytero memorato, ut in sacris ordinibus non ministret*. Ubi etiàm notat glosa absolutè: *in dubiis via tutior eligenda est*.

Casus similis est in cap. significasti el 2. eodem titulo ubi maleficus quidam rapiens ornamenta per cujus fuit à Canonico regulari, qui ignoravit an fuisset ictus ad mortem. Parochiani videntem illum ornamenta asportantem arreptis armis illum penitùs occiderunt. Pontifex respondet, quod si constat percussionem Præsbiteri regularis lethalem non fuisse, poterit ministrare. Si verò non constat, *& discerni non possit ex cujus ictu percussus interiit, in hoc dubio tamquam homicida debet haberi Sacerdos, & si forte homicida non sit, à sacerdotali officio abstinere debet: cum in hoc casu cessare sit tutius, quàm temerè celebrare: pro eo, quod in altero nullum, in reliquo vero magnum periculum timeatur*. Ubi paritèr glosa verbo dubio. *In dubiis ergò viam debemus eligere meliorem*.

443. Non alitèr deciditur in cap. Petitio tit. eod. de homic. ubi proponitur quosdam inimicos Crucis Christi, àc blasphemos nominis Christiani quodam castrum invasisse: Christani autèm tàm clerici, quàm laici exeuntes, & invicem confligentes, hinc indè quamplurimi occisi sunt. Quidam Sacerdos metuebat an irregularitatem incurrisset, quia aliquos percussit: *Mandamus* (inquit Pontifex) *quatenus si de interfectione cujusquam tua conscientia remordet, à ministerio Altaris abstineas reverenter; cum sit consultius in hujusmodi abstinere, quam timere celebrare*.

In capite, *Illud*: de Clerico excommunicato, vel depos. celeb: narratur de quodam Episcopo, qui apud Pontificem delatus erât, quod excommunicatus celebrasset, & ipse se excusabat, quod nec ante factum, neque post factum litteras monitorias accepisset ab excommunicante, & sic peccare non credidit, præsertim, quia ei, nisi per famam de sententia excommunicationis contra eum prolata non constaret. Et respondet Pontifex: *Licet autem in hoc non videatur omnino culpabilis extitisse, quia tamen in dubijs via est tutior eligenda, debuerat tamen potius se abstinere, quam Sacramenta Ecclesiastica pertractare*. In quibus decisionibus est notandum quam conformes, & perpetui sunt Summi Pontifices in recursu pro resolvendis dubijs ad illud principium, *in dubijs tutior via est eligenda*: dum non invenitur veritas, sine eo, quod nec minimam mentionem alicubi fecerint de aliqua ex tot reflexionibus, & modis quibus deferendo hanc regulam, dubia occurrentia resolunt probabilistæ. Sed cum statuissent suum probabilismum, illumque propugnare, excogitaverunt illas reflexiones, & modos, qui si radicitus discutiantur, quam debiles sint, & contra sacros Canones, facilè apparebit.

S. III.

Excogitatæ evasiones ad hos sacros Canones.

444. MUltipliciter intendunt evadere auctores benigni vim regulæ nostræ in tot sacris Canonibus adductæ, & roboratæ. Primò respondent solum habere locum in dubijs facti, non vero in dubijs juris. Textus autem adducti præcipuè loquuntur in casibus de facto. Sed rejicitur hæc evasio. I. Nam in Clementina citata, dubia manifeste erant circa jus, nempè modum obligandi regulæ. Paritèr in capit. *illud*, de Cleric. excom.

etiam erat dubium juris. Ergo pugnat solutio contra Canones. II. Eadem ratio militat in dubio juris, ac in dubio facti, &c. Nam dubium ut tale dicitur connotativè ad veritatem, siquidem dubitare semper est de veritate, an hæc pars contradictionis sit vera, an altera, in quo nulla est differentia, sivè circa jus sit, sive circa factum: sed in æqualitate rationis circa jus eodem modo latet veritas, sicut in æqualitate circa factum, nec plus suadetur rem esse, quam non esse. Ergo eodem modo se habet dubium circa jus, ac circa factum. Deindè, ideò circa factum via tutior est eligenda, quia temere operans ageret, ut docent dicti textus, exponens se periculo peccandi: sed non minus se exponit in dubio juris peccandi periculo, seu frangendi legem divinam: ergo etiam in dubio juris via tutior est eligenda.

445. Secundo respondent prædictam regulam de tutiore esse de consilio, non de præcepto, eo quod sufficit, quod tutum est, eligere; tutiùs verò erit meliùs, & de consilio. Sed contrà, nàm hoc infert manifestam violentiam prædictis Canonibus. Non enim utuntur verbis permissivis, aùt exhortativis tantùm; quia in dict. cap. ad audientiam dicitur, cum in dubiis *semitam debeamus eligere tutiorem* & in d. c. *illud debuerat tamen &c.* in dictis cap. significasti, & cap. petitio vis dicitur temerè celebrare, item in celebrando cum dubio, ait magnum periculum timeri. At timeri magnum periculum denotat esse peccati gravis: & ideò manifestant textus gravem obligationem, sub illis terminis *debeamus*, *deberet*, quæ regularitèr significant obligationem gravem, quoties exceptio aliqua non constat: Ut fatentur communitèr auctores, & sumitur ex Clement. attendentes de statu Monachorum. Quaproptèr cum Canones ponant partē tutiorem per *debet*, & contrarium operari per *temerè*, & per *magnum periculum*, periculosè opinaretur, in rebus quibuscumque gravibus non dari obligationē partem, seu viā tutam eligendi indubio; & hanc gravē obligationem intendisse declarat Gregor. IX. dum in sua celebri compilatione Decretalium, prædictas decessiones collocavit. Quod magis firmabitur impugnatione sequentis evasionis.

446. Tertiò alii probabilistæ (& est communior evasio) respondent: Prędictos textus habere tantummodo locum in casibus ibidem expressis: nempè in casibus homicidii indubio, in quibus Gregor. IX. induxit obligationem gravem; quæ non debet extendi ad omnes, nèc ad alios non expressos: àc proindè neque in aliis casibus irregularitatis in dubio censendus quis irregularis, nisi in dubio homicidii. Tùm quià jura clamant in dubio reum esse absolvendum juxtà regulam 11. de Reg. jur. in 6. *Cum sunt partium jura obscura, favendum est reo potiùs, quàm actori*. Undè præter illos casus, in quibus jure sancitum est, in dubio non est censendus irregularis. Tùm etiam: quia sic est praxis tribunalium, & scitum est utrūque forum debere conformari, quoties exernum non fundatur in falsa præsumptione. Tum denique quia irregularitas non incurritur, nisi in jure sit expræssa, c. his qui de sent. ex c. in 6. & sic ob similitudinem casus non incurritur: sed in similitudine casuum habetur dubium: ergo non incurritur. Nec ex eò, quod in dictis textibus afferatur regula de tutiore, habet locum in alijs casibus, quia licet sit de consilio tantùm, ex æquitate quadam rationis naturalis adducta est à Pontifice, ratione cujus sibi visum est in tali casu dubij homicidij statuere irregularitatem.

447 Sed contra. 1. Quia restrictio apposita est textibus violenta. Tum quia ut proximè dictum est, regula à Pontificibus assumitur ut obligatoria, nec adducitur ex ęquitate, sed ex rigore obligandi. Tum etiam, quia illa Clementina, & cap. juvenis, & cap. illud. Loquuntur in casibus aliis propter irregularitatem. Tum deinde quia satis ostendunt niti in jure naturali, ratione cujus vitare debet omne periculum peccati; (quod ifra ostendemus) & ideò. De illo Canonico, & de alio Presbytero, quod *temere celebrarunt*, & intervenisse *magnum periculum*, & utuntur terminis, *debet*, *debeamus*: hoc autem modo utuntur Pontifices, ut respondeant: ergo non statuerunt novum jus, sed manifestarunt obligationem ante habitam provenientem ex nostra regula ab ipsis adductam: Cum ergo non minus habeat locum in aliis dubiis, sive juris, sive facti, non rectè restringitur ad

ad dubium de homicidio dispositio dictorum Canonum.

Secudo. Impugnatur solutio: Nam in contextu illorum Canonum nullum invenitur vestigium novæ legis, ut in ipsis potest videri: nec adducunt adversarii aliquod indicium in ipsis textibus novi juris, sed aliunde moventur ad vim inferendam. Et si hoc licet respectu hujus regulæ, cur etiam non licebit ita exponere illam, quam pro se adducunt de favendo reo in dubio, & quod sit absolvendus? Utraque regula est in jure: *in dubio reus est absolvendus*, &: *tutior pars est eligenda*: tu dicis: hæc est de consilio, & restringenda ad casus expressos, tantum: ergo etiam prior est de consilio, & solum habet locum in casibus à jure expressis. Deinde: Cur in dubio absolvendus est reus? Dicent: quia est rationi consonum. Et tamen in capitibus adductis ii, quos damnat Pontifex erant rei: ergo Pontifex se gessit contra rationem, damnando in dubio illos reos, imponendo illis pœnam adeò gravem, qualis est irregularitas, & in casibus in quibus videbantur digni indulgentia, ut in defensione ornamentorum Ecclesiæ, & defensione Castri contra inimicos Crucis, & blasphemos nominis Christiani: ergo non est dicendum novam legem in dictis juribus statutam esse. Ac proinde alia concordia quærenda est circa duas regulas adductas: de quo redibit sermo infra §. 5. à num. 452. Ubi fit satis ad illud de concordia utriusque fori.

448 Dices: Dari aliam urgentem causam, quare limitetur prædicta regula de tutiore parte eligenda modo à probabilistis explicato: Nempe, quia adest alia juris regula, nimirum: *in dubio, seu in pari causa melior est conditio possidentis*: quæ non posset habere locum, si semper in dubio esset via tutior eligenda: ut ex se constat: ergo restringenda est alia ad casus tantummodo in jure expressos. — Cæterum, quia hæc est una ex reflexionibus probabilistarum, de quibus infra agendum nobis est, ad ibidem dicenda nos remittimus. Et nunc breviter dicimus regulam de possessione habere locum tantum in materia justitiæ. Deinde constat ex dictis, juxta allatos Canones, absolutè esse de jure naturali obligationem regulę de tutiori, & infra magis constabit: ergo non rectè limitatur in doctrina probabilistarum. Et denique cur non possemus dicere regulam de possessione esse de consilio, sicut illa de tutiore? Et sic hoc modo docetur via ad nos eximendum à multis obligationibus, & ut suavius jugum Christi redderetur; quid absurdius?

§. IV.

Probatur ratione tutiorem viam in dubio esse eligendam.

449 Regulam hanc esse absolute præceptivam, præter textus adductos satis clare id asserentes, probatur ratione. Tum quia fundatur in alio principio naturali: *Qui amat periculum, peribit in illo*, Eccli. cap. 3. Sed qui dubitat rationabili, & prudenti fundamento, dubium non deponit, exponitur periculo violandi legem: ut ex se constat. Nam quid quid sit an, detur, vel non detur lex, operans quodlibet amplectitur, estque voluntaria violatio, sicut qui rem, aut pecuniam exponit ludo, vel sorti, quis dubitat jacturam esse illi voluntariam, & imputabilem? Deinde ipsa temeritas operandi cum illo dubio est peccatum, siquidem virtualiter, qui sic operatur, habet hunc actum, *sive reipsa detur lex, aut non detur, hoc volo facere*. Præterea; quia juxta Apostolum: *Omne quod non est de fide peccatum est*, ad Rom. cap. 8. Idest ex dictamine conscientiæ, ut à SS. PP. exponitur ibi: Sed stante dubio de licito objecti, nequit operari cum tali dictamine, cum non possit judicare, si non habet rationem prudentem ad illud deponendum, sibi licere: Ergo. Deniq; quia est contra legem amicitiæ, servitutis, & subjectionis debitæ supremo Domino, & amico fidelissimo. Quis enim dicet esse bonum amicum, bonum subditum, & servum, qui operatur id, quo dubitat, an ejus amicus, & Dominus cui debitor est innumerabilium beneficiorum, sit offendendus? Et si in humanis non haberetur offensio inculpabilis, & materialis, cur respectu Dei tenemur esse minus cauti, & non sic attendere, sicut respectu creaturæ? Sed de hoc redibit sermo infra pluribus in locis....

Re-

Respondebis cum magis communi do. doctrina probabilistarum; Verum esse, in dubio negativo non posse operantem eligere partem non tutam; secus in dubio probabili. Et ratio est. Quia in primo dubio non adest aliqua ratio, ratione cujus operans prudenter possit dubium resolvere; secus in secundo. Nam in hoc interveniunt duæ opiniones, quæ licet inter se oppositæ sint, sunt ambæ probabiles; stante autem opinione sive æquè, sive minus probabili pro parte minus tuta, jam adest ratio prudens, ratione cujus prudenter dubium deponitur, & consequenter prudenter, & honeste operatur, quidquid sit an detur lex; quia tunc violatio esset tantum materialis. Hoc est artificium, & mysterium probabilismi: quod in hoc opere, carere vero fundamento, intendimus ostendere, esseque potius contra veram prudentiam ejusmodi viam regulandi conscientiam. Et, quantum attinet ad præsentem articulum, probatur hunc modum dicendi esse contra nostram regulam de sequenda in dubio tutiore parte.

450 Primo: quia ubi datur æqualitas rationum, & authoritatum, invenitur propriè dubium, seu intellectus est sub duio: ergo si in dubio tenetur quis partem tutam eligere, etiam tenetur, dum illi est æquè probabile. Prob. antec. tum ex D. Th. qui id expresse docet qu. 14. de Veritat. art. 1. ibi: *Intellectus noster respectu partium contradictionis se habet diversimodè: quandoq; enim non magis in unam, quam in aliam inclinatur partem, vel propter defectum moventium, sicuti in problematibus, de quibus rationes non abemus; vel propter apparentem æqualitatem earum, quæ movent ad utramque partem; & ista est dispositio dubitantis*. Et bropterea S. Doct. in 3. dist. 7. qu. unic. art. 4. definit dubium, *quod est motus rationis sub utraque parte contradictionis, cum formidine determinandi alterum*. Hoc autem non convenit dubio negativo, quod revera non est propriè dubium; nam cum quis dubitat, vel est illi ratio levis, & parvi momenti; tunc contingit, vel suspicari, vel temere judicare, scrupulizare, quod non est sapientis, qui de tali ratione nihil æstimat, sed contemnit. Vel ratio est consiedrabilis, & gravis momenti, ac se tenet efficacius ex una parte; & sic generat assensum prudentem: Si verò ex utraque parte adsunt rationes considerabiles æqualiter adest dubium propriè, & formaliter sumptum.

451 Confirmatur: Ubi pro utraque parte contradictionis sunt testes æquales, reddunt causam proprie dubiam, licet quælibet pars per se absolute sumpta redditur probabilis, ut constat ex cap. ex litteris de probat. & ideo ad solvendum dubium recurrit Pontifex ad rationem specialem, nimirum ad possessionem: & si non adderetur ratio aliqua, remaneret dubium, quia latet veritas: Sed in æqualitate rationis, & Auctorum circa legem, etiam latet veritas, & res est indifferens ad verum, & falsum, ad bonum, & malum. Unde impertinens est, quod in utraque parte contradictionis addas probabile, & dicas opinio, & opinio, & quocumque magnificatum; nihil fit, cum res seu objectum manet sicut prius indifferens ad verum, & falsum. Ponas viginti Auctores hinc, alios inde ejusdem numeri, & qualitatis, tunc se se adinvicem credibilitatem auferunt: Nec intellectus habet unde magis inclinetur ad aliam, quam reliquam partem, & consequenter tale dubium debet deponi per inęqualtiatem notabilem. Quod præter D. Antonin. Navarr. Cordubam, Sylvestrum, & cæteros probabilioristas, docent plures ex probabilistis ipsis. Ut Vazq. disp. 6. art. 1. & 2. Sanch. 1. Decal. cap. 9. nu. 3. cap. 10. n. 7. & 9. — & 2. de matr. disp. 42. à num. 5. Granado, Medina, Bressero, & alii. Sed de hoc fusius erit nobis sermo infr. à num. 588.

Secundò facit contra evasionem nuper positam doctrina Canonũ supracitatorum. Nam in casu Clementinæ exivi, Patres illi Franciscani erant viri graves, & docti, & non moti aliqua levi ratione, aut scrupulo ad interrogationem faciendã Concilio Generali. In cap. *illud*. Episcopus supponitur esse doctus, qui non leui fundamento credebat non ligari excommunicatione, eò quòd ipsi non erat intimata trina monitione præmissa; & idem potest colligi ex aliis capitibus. Et tamen Pontifices casus illos reducunt ad dubium, & habere locum regulam *de tutiore* in illis. Ergò per hoc prę-

cisè,

elsè, quod sit aliquid probabile, non extrahitur à ratione dubii propriè sumpti. Tandem proponatur ipsis probabilistis, an in æqualitate rationum, & auctoritatum eligerent aurum, quod æqualiter existimarent falsum, ac verum, aut vinum æqualiter existimatum sanum, ac corruptum? Imò nec acum, aut rem vilissimam in tali æqualitate acciperent; aliàs enim haberetur quis imprudens, & amplius: Et cur? ob periculum deceptionis, & contingentiam sumendi falsum pro vero. O' mirum! Quod in re tanti momenti, qualis est violatio divinæ legis, periculum peccati mortalis, minus cauti esse debeamus, imò quod possimus rem adeò gravem contemnere. Quare jactura in auro, in vino imputaretur, essetque voluntaria in illis casibus, nec recurritur ad materiale, sicut in hypothesi periculi operandi contra divinam voluntatem? Quomodo potest esse involuntarium id malum, & excusari per ignorantiam, quod prævidetur æqualiter esse injustum, ac rectum, imò licèt existimetur (ut ipsi admittunt) magis injustum, quàm bonum?

Quis prudens habens patrem, quem valdè diligeret, aut diligere deberet, Dominum, & Principem, à quo maximè dependeret, & haberet æquale fundamentum, seu majus illi multùm displicituram quandam actionem; quis inquam prudens, & cordatus auderet illam exequi? Et si exequeretur, quis diceret rectè operari, actionemque illam gratam futuram Patri, Domino, & Principi, & intuitu actionis illius daturum ingens premium? *Nonnè Deus requiret ista? Ipse enim novit abscondita cordis nostri*. Psal. 43. Nonnè intonat ad aures cordis nostri: *Filius honorat Patrem, & servus Dominum suum: Si ergò Pater ego sum, ubi est honor meus? Et si Dominus ego sum, ubi est timor meus, dicit Dominus Exercitum*? Matth. c. I.

§. V.

Objectiones contrariæ, & concordantur regulæ de tutiore parte sequenda, & de favendo Reo.

452 Nonnulli sententiæ contrariæ aliquos adducunt textus Sacrorū Canonum pro firmanda sua intelligentia circa nostram regulam. Sed reverà nec apparenter illis favent; & ideo illos referre ommittimus: solumque unum, & alterum referemus. I. cap. ex parte de censibus: ubi erat dubium, qua mensura erant solvenda vota Beati Jacobi: Nam quidam illa solvebant ad mensuram, qua emunt, & vendunt: alii solvebant ad mensuram parvam, seu ignotam. Et Pontifex quæstionem resoluit priores cogendos esse ad illam mensuram retinendam: secus veros secundos. Ubi in dubio favet libertati, & non dicit tutius esse eligendum, quale erat major mensura. Respondetur: Pontificem ibi egregiam adducere causam, non à vaga probabilitate, sed à certioribus principiis: *Quoniam* (inquit) *cùm hujusmodi vota gratuita fuerint ab initio, benignius sunt à Viris Ecclesiasticis exigenda, nè tanquam exactores videantur lucris temporalibus inhiare*. Itaque ut Glosa ibi notat: *Quæ gratis sunt oblata, benignè sunt exigenda. Et Clerici lucris temporalibus inhiare non debent*. Et ulterius cum ageretur de re temporali, & possessio militabat pro fidelibus, his erat favendum, quod reverà erat securius: undè ex textu potius colligitur contrarium, quod arguens intendit.

2. Objicitur cap. Cum venerabilis de consuetud. Quidam Abbas dicitur dimisisse prælaturam, & ad aliud Monasterium migrasse contra Canones, non impetrata facultate. Et cum deberet privari utraque dignitate, juxta cap. quanto de transl. Episcop. tamen quia allegauit consuetudinem, Pontifex videtur illum excusare à peccato, cùm illum non puniat; licèt dicat talem consuetudinem esse corruptelam, & nullatenus observandam. Sed talis excusatio non aliter dari potuit, nisi ratione probabilitatis, & quia in dubio non tenebatur eligere, quod tutius est. Respond. Confe-

sequentiam longè abire à Pontificis mente. In primis, ut dicit Gloss. ibi: *Verb. migrasse: Utrum toleratus fuisset, vel repulsus hic non dicit, sed fortè propter illam consuetudinem fuit toleratus*: Fortè dispensauit Pontifex, seu licentiam præbuit post factum, motus illa consuetudine; an autem peccauerit, vel non, nullum est vestigium in eo cap. ad affirmandum, vel negandum: hos duos Canones adduximus non propter difficultatem, quam possunt contrariis nobis ingerere, sed ut videatur ad quid aliqui confugiunt, & cognoscatur quanta inopia testimoniorum laborat, qui hæc, & similia pro se adducit.

Tertia objectio, & quæ ad primum aspectum videtur contra nos non parum urgere, sumitur ex regula 11. de Reg. Jur. in 6. *Cùm sunt partium jura obscura, Reo favendum est potius, quàm Actori*, quæ sumpta est ex cap. indicas 3. qu.9., & cap. inter dilectos de fide instrum., & cap. ult. de sent. & re judic. Estque juris ciuilis etiam regula, l.fauorabiliores ff. de reg. jur. Ergò in dubio non adest obligatio tutiorem partem eligendi, ac proindè hæc regula solum est de consilio. Prob. Conseq. in utroque foro tam interno, quàm externo, dum interuenit quæstio, aut controuersia, una ex partibus semper est Reus, & quod etiam in foro interno, seu conscientiæ ita sit, constat, quod sit homo reus, siquidem illum vult lex ad aliquid obligare, & obstringere, quod est proprium actoris: at universalis regula est, quod in omni dubio favendum sit reo: ergò non habet locum, nisi de consilio regula de tutiori parte.

Resp. In primis argumentum non solùm probare regulam de tutiore esse de consilio, verùm esse illicitum illam eligere, & consequenter illam interimit. Prob. Nã in via probabilistarum forum externum, & internum debent conformari, quoties externum non fundatur in falsa præsumptione; & ex hoc colligunt in dubio favendum esse libertati, ut fit in externo foro. Sed in foro externo ita favendum est reo, ut licitè non possit, nec ex consilio eligere tutiorem partem: ergò vel probatio argumenti est inefficax: vel totaliter perimitur regula de parte tutiore.

Deinde resp. quod adeo longè abest, ut regula de favendo reo opponatur regulæ de tutiori parte, & quod ex illa sequatur istam esse de consilio, sed potius ex ista oritur illa, ab eaque stabiliatur. Nam si inquiramus, quare in foro externo potius in dubio sit reo favendum? Si loquamur in criminalibus; quia tutius est liberare, seu absolvere in dubio nocentem, quàm innocentem condemnare. In utroque enim jure hæc vox est: l. ut in absentem ff. de pœnis: *Sanctius, convenientiusque est nocentem absolvere, quàm innocentem condemnare*. Et est ratio, quia damnare innocentem est intrinsecè malum, non ita nocentem absolvere: Undè licèt in hoc casu concurrant & ius Reipublicæ, ut nocens puniatur, & ius naturale, ut innocens liberetur, & non puniatur, & hunc punire sit malum intrinsecè, in tali dubio liberare est tutior pars, unde ob regulam de tutiori hæc est eligenda. Hæc autem in foro conscientiæ non habet locum, nam si in partibus occurrentibus una est tuta, ut explicare circunstantiam notabiliter aggravantem, in hac eligenda nullum datur periculum, nec malum. Si ex utraque militat lex, ut in assistente infirmo, dum occurrit obligatio audiendi Sacrum, in dubio prævalet lex charitatis, & debet infirmo assistere, quia hoc est tutius.

453 Si autem loquamur in civilibus, idem dicendum: Nam Judex tenetur circa justitiam attendere Reipublicæ, & Actori, & Reo; debetque singulis servare jus suum: est dubium ad quem res pertineat, & consequenter adest periculum, quod applicet illam, cui non debetur, & neget cui debetur: Sed est tutius favere Reo, ab illoque rem non auferre, seu obligationem non imponere: ergò ex regula de tutiori tenetur illi favere. Præterea ex aliis capitibus est tutius in civilibus Reo favere, nimirum ob possessionem, præscriptionem, & alios titulos in jure prescriptos: in foro consciẽtiæ non datur præscriptio, & possessio extra materiam justitiæ, ut post pauca tractabitur; unde intrat obligatio regulæ *de tutiore*.

Tandem datur alia magna disparitas in foro interno, & externo; nam in hoc comparet Reus ut negans, non ut dubius: negat enim delictum, vel debitum; neganti non

non incumbit probare, quod exigit bonum Reipublicæ, & societatis humanæ: Actor verò ut affirmans probare quæ tenetur, in dubiis non probatur, & sic affirmatio pro nihilo habetur: & sic rectè Reus à Judice absolvitur. At in foro conscientiæ Reus non comparet negans, sed ut dubius, faceturque dubitare de lege, vel de aliquo facto; unde contra ipsum, qui non negat, non est necessaria probatio, sed intrat tunc regula de tutiori parte ob superius dicta. Quare si Reus compareret ut dubitans: v.g. adducitur ad judicium Sacerdos, quod sit excommunicatus, non negat, sed dubitat, obligabitur ad non celebrandum, non præmissa ab solutione; quia est tutius: decidetur ergo etiam in foro externo Ecclesiastico (præsertim) contra reum, dum confitetur se esse dubium, si ex alia parte majus malum non immineat, ut factum est à Pontificibus in Canonibus supra adductis.

Tandem est alia disparitas pro foro interno. Pro quo est supponendum, quod homo tenetur ex lege naturali, & jure divino elicere actiones conformes primæ regulæ, seu legi æternæ, quod pluribus in locis probat Angelicus Doctor, (de quo fuse infra quæst. 3. artic. 7. tractatur) ut tales actiones rectæ, & honestæ sint, quod videtur negari non posse à viro Cattholico. Hoc supposito; sequitur legem dari, qua homo tenetur judicare actionem suam esse conformem Legi Divinæ: ergo in dubio, licet sit reus, tenetur tutiorem partem eligere. Nam constat ex jure, quod quando actor habet suam intentionem fundatam in jure, succumbit reus, si contrarium non probat, ut in dubio an quis debeat solvere decimas suæ Parochiæ, etiam si reus sit, condemnatur, si certam non exhibet exemptionem: pariter dubitas v.g. an possis variare Divinum officium, dantur fundamenta ex parte legis, & etiam ex parte libertatis; sunt æqualia, & sic sumus in dubio. Sed actor qui est lex dubia habet suam intentionem fundatam in alia lege, qua teneris probare actionem tuam conformari primæ regulæ: & quia in casu posito non potes hoc judicare, cum actio tua sit indifferens, ut sit bona, vel mala succumbis, & teneris quod tutius est eligere. Sed de hoc infra loco citato, à n. 762.

§. VI.

Referuntur Auctores pro vera sententia.

454 CÆterum quia punctum hoc de tutiori parte eligenda est universale, & magni momenti, opere pretium duxi referre Auctores nostram sententiam amplectentes. D. Th. (præter locum supra citatum ex q. 17. de verit. art. 1.) docet quodl. 8. art. 12. *Quicumque committit se discrimini, & periculo peccati mortalis, peccat mortaliter*. Qud l. 3. artic. 9. ad 3. *Quicumque non cavet pericula, videtur contemnere, id, cujus detrimentum pericula inducere possunt*. D. August. lib. 1. de baptismo c. 3. *In causa salutis, hoc ipso quis peccat, quod certis incerta præponat*. Et lib. contra donatistas c. 5. *Efficere id, quod incertum est, an sit peccatum, certum peccatum est*. D. Antoninus 1. p. summ. titul. 3. c. 10. §. 10. *Hinc est, quod D. Thomas, & alii dicunt, quod ille, qui agit id de quo est dubium, utrum sit mortale vel non, peccat mortaliter, quia periculo se exponit mortalis. Cum ergo in aliqua materia morali sunt variæ, & contrariæ opiniones, ille qui adhæret opinioni latioris viæ, videtur se exponere periculo mortalis, quia in dubio; cum possit illa opinio esse falsa, & contraria vera*. Et infra. *Si quis dubitet leviter per modum scrupuli, sicut dubitat, seu formidat habens opinionem de aliquo, quia ita inhæret illi sententiæ, quod tamen formidat de opposito: sic agendo contra tale dubium non peccatur, dum adhæret opinioni alicujus Doctoris, & habet rationes probabiles pro ipsa magis, quam pro opposita opinione &c.* Et præcipuè ead. 1. p. tit. 20. c. unico: ubi explicat regulas, & hanc præsertim: *In dubiis tutior par est eligenda. Nota*, inquit, *quod est dubium probabile, & est dubium scrupulosum. De probabili hìc loquitur; cum scilicet rationes sunt ad utramque partem quasi æquales, & peccatum grave est se exponere dubio, ubi est mortale*. Hæc S. Præsul.

Doctor Subtilis in fine prologi secundæ quæstionis prologi sententiarum: *Multa* (ait) *in actibus humanis sunt dubia, utrum sint peccata mortalia etiam suppositis omnibus doctrinis Doctorum, & expositorum: tamen*

men non est dubia via salutis, quia à talibus, tamquam à periculis debet homo sibi cavere, & se custodire, ne dum exponit se periculo, incidat in peccatum. Quod si noluerit quaerere salutem, sed non curando exponit se periculo, ubi fortè actus de genere suo non est peccatum mortale, tamen peccabit mortaliter sese periculo exponendo. Hęc Scotus. Idem asserunt esse obligationis hanc regulã, Vazquez 1. 2. disp. 65. cap. 3. dicens, esse debere absque controversia, nec invenisse ex Scriptoribus Scholasticis ullum, qui oppositum afferat: refertque pro se Adrianum, Angelum, Humillam, Sylvestrum, Covarruviam, & Cordubam. Navarrus (qui falso pro contraria parte citatur) in capit. Si quis autem de pœnit. dist. 7. n. 56. *Undecimo infertur, non solum eum peccare* (inquit) *qui in re ad fidem, & mores pertinente, in qua jure declaratum est tutiorem partem eligendam esse, minus tutam eligit, sed eum, qui in re adeò sibi dubia, ut nec probabili auctoritate credat alteram partem esse veram, adhaeret illi parti, de qua est dubium, an liceat, si saltem potest adhaerere contrariae securè, quia de illa non dubitatur, an liceat. Pro quo principalia fundamenta sunt illud*: Eclis. 3. *Qui amat periculum peribit in illo, & auctoritas D. Th., & Cancellarii Parisien. &c.* Et n. 57. prosequitur. *Duodecimo infertur eum etiam peccare, qui facit aliquid, quod magis, vel aeque putatur esse peccatum, quam non esse: quod asseverat Cancellarius 2. p. tit. de regulis mor. col. 2. quia eadem omnino est ratio.* Ita doctiss. Navar. qui omnino docet nostram sententiam .... alii plures referuntur infr. quaest. seqqu. num. 551.

Rev. Tyrsus disert. 6. num. 60. refert Salas, & Valentiam asserentem, quod de hac re est nulla controversia apud Theologos, ommittimus alios plures, tam Theologos, quam Canonistas, quorum est communissima sententia, regulam nostram esse deobligatione. Dices etiam plures sunt pro parte contraria. Circa hanc objectionem scribit ita Episcopus Gennettus t. 1. Theologię Moralis tract. 1. c. 5. quaest. 5. *Nonne grandis illa turba, scriptorum (qui asserunt nos ex duabus opinionibus probabilibus posse sequi eam quae magis arridet) potest esse loco circumstantiae sufficientis ad redendum probabile in praxi illud, quod erat dubium speculative?* Respondeo. *Nequit ille numerus conscientiam nostram in tuto ponere, dum ex duabus opinionibus probabilibus, sequimur eam, quae minus tuta est: quia, ut jam probavimus, certum est nos tunc esse in dubio, quia habemus aequales rationes pro una opinione, quam pro opposita. Et indubitatum est, & diffinitum in multis Canonibus, & Sanctis Patribus non paucis, nos in dubio sequi debere, quod tutius est. Et ita cum ex consensu unanimi omnium etiam probabilistarum, opinio quorumdam doctorum non possit facere opinionem probabilem contra determinationem expressam Ecclesiae, concludendum est opinionem omnium illorum Doctorum, & Scriptorum, qui asserunt licere sequi quamlibet ex aeque probabilibus, non posse conscientiam nostram in tuto ponere.* Hactenus Franciscus Genetus Episcop. Vasionen. cujus opus morale in 7. tomos destributum in lucem editum est Parisiis anno 1702. jussu Eminentiss. Cardinalis Camus Episcopi, & Principis Gratianopolitani, qui illud misit ad Sanctiss. D. N. CLEMENTEM XI. ut Sanctitas Sua videret, an sibi placitum esset opus. Et ita fuit; nam ex dispositione, & Consilio Sanctitatis Suae impraessum est hoc opus in Italia ex desiderio, quo ejus zelantissimum pectus viget, ut ejus oves tuta pascerentur doctrina. Quare videtur, interpraetationem, quae à plerisque probabilistis applicatur praedictae regulae de *Tutiori*, ortam fuisse, ut salvarent probabilismum; ideoque discesserunt à sensu obio Sacrorum Canonum, prout ab antiquis intelligebantur.

ARTICULUS VII.

Ex SS. Pontificum decretis damnantibus 110. propositiones ostenditur non esse rectam regulam morum opinionem, per hoc quod sit probabilis in sensu probabilistarum.

SUMMUS Pontifex Alexander VII. (*ut scitum est*) quadraginta quinque propositiones damnavit, proscripsitque ab Eccle-

clesia ad minus, ut scandalosas, & perniciosas, ut sic sua Pastorali solicitudine in rectam semitam oves suas evocaret, ut ipse dicit in sui decreti proœmio. Assumptum ipsum prosequens san. mem. Innocen. XI. alias 65. eadem censura proscripsit sub excommunicationis pœna latæ sententię contra eum, qui illas ediderit, prædicaverit, disputaverit, nisi illas impugnando, & interminatione divini judicii omnibus Christi-fidelibus prohibet ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

§. I.

Probatur assumptum.

455 PRo quo supponendum est. I. recentiores probabilistas fateri plures ex damnatis propositionibus fuisse juxta sua principia probabiles, antequam damnarentur, atque adeò ad praxim licitè, honestè, & meritoriè deduci tunc potuisse. Nam juxta sua principia habebant omnes conditiones ad veram probabilitatem requisitas, siquidem tunc non habebant minorem auctoritatem illarum defensores, quam nuc habent alii ad redendas opiniones probabiles.

Supponendum est II. quod in sensu communi recentiorum probabilistarū opinio verè probabilis (ut supra à num. 300. visum est.) Est assensus ex fallibili, sed gravi nixus fundamento, vel est conclusio incerta prudenti fundamento innixa. Quid autem ad hoc requiritur secundum recentiores ex communi eorum consensu statuit Teryllus q. 6. de Conscient. à n. 17. *Omnis opinio, quam tres, quatuorve viri, doctrina, & pietate præstantes post diligens examen absolutè credunt esse veram; aut si teneant oppositam, docent esse probabilem; est certò probabilis quoad nos; modo nemo doctrina ac pietate celebris talis opinionis probabilitatem in dubium revocet; licet alii communiter eam, ut falsam reiiciant*: additque: *Demonstratur assertio, quæ apud omnes est in confesso*. Singularis persuasio, apud omnes istam suam doctrinam esse inconfesso, cum sit contra omnes antiquos, & omni tempore contra se habeat tot illam oppugnantes.

Admisso tamen esse apud recentiores hanc doctrinam communissimam, quamvis plures ex illis multò minus requirant ad suam certam probabilitatem: probatur sic assumptum nostrum. Fundamentum, & requisita proximè posita nequeunt reddere opinionem ita probabilem, quod possit esse regula recta moralis honestatis, juxta præfatum Pontificum decretum: ergo opinio probabilis in sensu probabilistarum nequit juxta id decretum esse recta regula morum. Conseq. constat., & ant. probat. Plures saltem ex propositionibus ibi damnatis habebant idem fundamentum, & requisita juxta principia probabilistarum, ac sunt ea, quæ construunt pro suis opinionibus probabilibus, siquidem non solum habebant pro se quatuor viros doctrina, ac pietate præstantes, sed multo plures; & rationes, quæ putabantur graves; ut apud ipsos videre est: & tamen Summi Ecclesiæ Pastores censuris illis adeo gravibus prædictas opiniones inurunt; *ad minimum, ut scandalosas, & in praxi perniciosas*: & non ob aliam causam, *nisi ut oves sibi creditas ab spatiosa lataque; quæ ducit ad praditionem, via, pro Pastorali solicitudine, in rectam semitam evocarent, quam summa veritas, quæ est Deus arctam diffinivit*. Ergo fundamentum probabilistarum, ex quo suam regulam honestatis pro opinionibus deducunt, nullatenus consistit cum Pontificum damnatione.

Confirmatur, & explicatur. Summi Pontifices per sua decreta non statuerunt propositiones illas scandalosas, & perniciosas, sed anteà erant hujusmod, tùm quia id manifestat motivum, quod in proœmio præmittit Alexander VII. *in rebus ad Conscientiam pertinentibus, modus irrepsit opinandi alienus omnino ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina; quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens sequutura esset Christianæ vitæ corruptela. Quare ne ullo unquam tempore &c.* Ergo illæ propositiones continebant hunc modum alienum ab Evangelio, & Sanctis Patribus, quia ex hoc movetur ad illarum damnationem: alias ad quid illas damnaret? Tum etiam, quia si es-

si essent illæ opiniones salubres animabus, continentes doctrinam sanam, & tutam, earumque praxis esset honesta, & meritoria, decretum Pontificum reddens illas scandalosas, & perniciosas, non esset salubre, sed potius esset noxium: Ergò jam non erant tunc practicè probabiles; & tamen habebant qualitates, & conditiones, quas probabilistæ exigunt pro sua probabilitate, quæ sit recta regula morum: ergo attentis Pontificum decretis corruit fundamentum, super quod artificium probabilismi construitur.

456. Tandèm est dignum animadversione in dictis decretis, & 110. opinionibus in illis damnatis, quod omnes militabant pro libertate, & contra legem, nèc ulla intèr ipsas reperitur, quæ pro observatione legis staret. Deindè in via, & doctrina probabilistarum ferè omnes erant probabiles practicè, maximè factis suis reflexionibus: & consequentèr in eadem doctrina erant tutæ, licèt essent minus probabiles, siquidem hoc ipso, quod sit probabile in ratione securitatis, non datur secundum ipsos magis, & minus: imò in sententia Caramuelis, & multorum ejus vestigia sequentium, erant tutiores, & salubriores animabus; quia liberabant à peccatis, efficiebant viam salutis facilem, per illas plures salvabantur, fiebatque jugum Christi suave, & onus ejus leve, (quod ipsum dicunt de alijs suis opinionibus etiam minus probabilibus stantibus pro libertate contra legem.)

Econtra per necessitatem, & obligationem sequendi opiniones contrarias faventes legi redditur jugum Christi durum, & onus ejus grave nimis. Hoc dicunt, & inculcant probabilistæ de via nostræ sententiæ, de opinionibus rigidis (sic appellant, quæ stant pro lege contra libertatem). Erant ergo illæ opiniones damnatæ benignæ, conditionis & qualitatis, sicut illæ, quæ apud ipsos sunt æquè tutæ, seu tutiores, salubriores &c. & nihilominus contrarium statuerunt, & declararunt Pontifices: *Esse perniciosas, declinantes, & avertentes animas à via, quam docuit Christus Dominus*. Ergo tamquam homines decepti sunt circa illas propositiones, & rationes, atque circa motiva illas amplectendi, Ergo doctrina suprarelata, nimirum motiva viæ probabilismi, regula in ejus opinionibus stabilita, non est secura, ut ipsi magnificant, sed saltem dubia, & vitanda; siquidem non aliam nunc assignant, quam illa, quæ assignabatur pro sequela illarum propositionum, quæ damnatæ sunt in prædictis decretis.

§. II.

Præcluditur quædam responsio, quæ excogitari potest.

457. RESpondebis forsitan, verum esse præfatas propositiones antecedenter ad decretum esse perniciosas, & scandalosas quo ad se, non verò quoad nos: Nec tunc fuisse in se verè, & practicè probabiles: hoc autem nobis ostensum est per decretum. Cæterum antequam nobis innotesceret earum practica improbabilitas, plures earum probabiles practicè erant quo ad nos, quia docebantur à pluribus doctrina, & pietate præditis, & credebantur innixæ motivis gravibus, quod ad probabilitatem practicam sufficit.

Hoc instari, & explicari potest etiam ad hominem. Quia nedum aliquæ earum erant probabiles sed probabiliores: Ut illa de adimpletione præcepti commũionis per communionem sacrilegam: & illa de usu restrictionis mentalis, cujus praxis erat valdè recepta. In quibus potest fieri idem argumentum. Nam in via probabilioristarum opinio probabilior, & non pro lege, revera est practicè probabilis, rectaque morum regula. Tunc sic: vel illæ, quæ existimabantur probabiliores erant tunc perniciosæ, & scandalosæ, vel non? si primum: ergo corruit fundamentum, nec tuta est via probabilioristarum: siquidem non alia habent motiva nunc pro recto usu probabiliorũ, ac tunc ante decretum dabantur respectu usus damnatarum. Si secundum, nimirum, tunc erant practicè probabiles, & tuta regula operandi; sentitur contra decretum, juxta fundamentum §. 1. appositum: Ergo eadem ratio militat attentis decretis contra probabilioristas, & consequenter manebit non tuta, sed reprobata ipsorum sententia.

Verum enim verò nullius momenti est adducta responsio: impugnatur. Quoniam illæ propositiones erant perniciosæ, & scandalosæ, non solùm quo ad se, sed etiam quoad illos, qui eas sequebantur: Ut expressè docet Alexander VII. ibi. *Si fideles pro recta regula in praxi sequerentur, ingens sequeretur Christiana vita corruptela*. Si ergò præcisa damnatione erant recta regula honestatis, & earum praxis meritoria, est evidens, quod adeò gravis corruptela non sequeretur. Non enim cohæret opinionem esse practicè probabilem; & regulam honestatis, & esse talitèr perniciosam, & scandalosam. Deindè Pontifex illas damnat, *ut à via lata, & spatiosa, quæ ducit ad perditionem, oves sibi creditas in viam arctam revocaret*. Si ergò erant recta regula, per viam rectam, oves opiniones illas sequentes gradiabantur: quomodò igitur verificari potest, quod a via perditionis ad rectam viam revocantur? Quod autèm illi graves, & docti illas docebant, solùm efficiebat, quod existimarentur ab illis probabiles, sed falso, & per errorẽ: nec illa existimatio, licèt communis, tollit quod non sint practicè improbabiles, immò hoc contendimus, & probamus, nimirum aliquas opiniones damnatas practicè probabiles reputatas antè damnationem, falsò ità fuisse existimatum, cum revera probabiles non essent. Ex quo concluditur quod ex eo quòd probabilistæ nixi suis principiis asserant tales, & tales opiniones esse practicè probabiles, rectãque regulam honestatis, probabiles verè non erunt, sed falsò dicuntur probabiles.

Nèc instantia urget contrà nos. Procedit enim ex non intelligentia nostræ sententiæ. Et ob hoc plures ex probabilistis decipiuntur confundentes nostrum modum sentiendi cum suo: Pro quo brevitèr sensum nostrum, & praxim exponimus. Occurrit dubium, an talis actio sit Simoniaca? teneris serio inquirere veritatem, quià viam veritatis elegimus; si facta debita diligentia, invenis majora fundamenta, vel æqualia, quibus æque. vel magis existimas actionem esse simoniacam, teneris ab illa abstinere: Si verò judicas ingenuè te habere majora fundamenta excessu considerabili, quam fundamenta pro parte contraria, eligere potes opinionem probabiliorem; licet non sit pro lege, & sit minus tuta, deponendo formidinem; & licitè ad praxim illam deducere. Si reipsa opinio est vera, regulatur prima regula, positis alijs requisitis ad actionis bonitatem. Si autem in re est falsa, non peccas, quia excusaris; cæterum actio non est honesta positive, quia nequit prima regula regulari, quatenus tendit in obiectum in se prohibitum: alij verò actus, seu affectus, ut bona intentio suæ sustentationis, erogandi eleemosynam, placendi Deo, poterunt esse honesti, & meritorij. Totum hoc latè tractatur ex Divo Thoma pluribus in locis; quod potest videri supra 1. par. quæst. 3. art. 1. §. 4. & quæst. 4. art. 12. & infra quæst. 5. art. 4.

458. Decretum igitur Pontificum nihil ex modo explicato nostræ sententiæ tangit: quia nos requirimus ad hoc ut sit regula recta honestatis positive, & ad bonitatem meritoriam, quod revera attingat verum in se, & obiectum Divinæ voluntati conforme: nam juxta Divum Augustinum de quant. animæ: *Ratio non dicenda est, aut existimanda, nisi vera*: à qua declarabant propositiones damnatæ, & cum qua non exigit via probabilistarum, ut actio conformetur, seu opinio illam regulans; sed admittit judicium indifferens ad verum, & falsum, ad malum, & bonum, imo etiam si magis accedat ad falsum, & malum: pro quo non aliud fundamentum habent, nisi idipsum, quod ante damnationem habebant defendentes propositiones damnatas. Ergo non est facile viã probabilismi, post hæc decreta, ut tutam stabilire.

459. Tandem ad instantiam contra nos adductam concedimus aliquas ex damnatis propositionibus fuisse probabiliores, non verè, sed apparenter, & quamvis apud aliquos potuerint inculpabiliter ad praxim deduci, non tamen apud omnes, nec a majori parte: & sic erant perniciosæ ut in plurimum, licet probabiliores existimarentur. Nec est facile assignare plures ex damnatis probabiliores. Nam illa de restrictione purè mentali erat contra Divum Augustinum, & Divum Thomam, & contra universam ejus scholam, ut videre est in cursu nostro morali Salmanticen. tom. 4 tract.

tract.17.cap.2.à num. 121. Aliæ verò, si fieret exacta, & debita diligentia, præmissa oratione, & intuitu inveniendi veritatē, pro discussione practicæ probabilitatis, non facile posset fieri judicium rectum de honestate obiecti in prædictis propositionibus. Concedimus etiam absolutè, quod circa opinionem, quæ nunc communiter habetur tanquam probabilior, possit contingere esse falsam, & sic à Pontifice proscribi: sed hoc rarò continget; & rarò continget, & per accidens, quod ex nostra sententia sequatur hominem illum à peccato non excusari, juxta ea, quæ infra num. 846. dicemus. Si quandoque continget ex humana fragilitate à peccato non excusari, quomodo in rebus humanis omnia inconvenientia vitari possumus? At in via concontraria sistendo solum in eo, quod sequi potest probabile in principijs probabilistarum, econtra continget: maximè dum sequitur minus probabile, minusque tutum, rarò ab illicito modo operandi excusabitur.

ARTICULUS VIII.

Sententia, vel opinio recentiorum probabilistarum an possit persistere post damnationem tertiæ propositionis Decreti Innocentij XI.

460. Propositio tertio loco damnata in Decreto Innocentij XI. ajebat: *Generatim dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo à probabilitatis finibus non exeatur, confisi, aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Si quis animadvertat in libris in lucem editis à plerisque probabilistis post hujusmodi damnationem, qualiter procuraverint hanc specialem damnationem exponere, & interpretari, limitationesque sententiæ suæ de sequela opinionis probabilis, adhibere, ut salvent nullum præjudicium afferri dictæ suæ sententiæ, si quis, inquam, hoc animadvertat, potest non immeritò colligere quemdam timorem, & anxiam sollicitudinem animos eorum invasisse pro benigna sua sententia: & non absque causa, siquidem difficulter componitur modus probabilitatis ipsorum cum præfatæ propositionis damnatione, ut egregiè ostenditur à pluribus probabilioristis pietate, & doctrina præstantibus.

§. I.

Cum hujus propositionis damnatione nequit stare practica, & tuta probabilitas sententiæ benignæ.

461. Modus probabilitatis benignæ sententiæ, art præced. §. 1. propositus est, Et quamvis nonnullis ex antiprobabilililistis visum sit, esse damnatam (saltem indirectè) sententiam benignam; Quod novissimè asserit, & multis probare intendit D. Bartolomæus de Spejo Episcopus Malacitanus in suo erudito opere de usura personata, at illi in sensu suo abundent. Nos autem ab hoc præscindimus; & solum hic intendimus, operari volentem, dum occurrit dubium, vel quæstio de licito, aut illicito alicujus actionis, non debere sibi fidere, per hoc, quod habeat, vel inveniat probabilitatem utcumque. v. g. vult exercere contractum, de quo dubitat esse usurarium: præcisè per hoc quod inveniat quatuor, aut octo auctores cum suis rationum fundamentis asserentes esse probabile; dicimus non posse uti illa opinione, sed tenetur ulterius inquirere, andentur pro parte opposita aliqua fundamenta ex auctoritate, & ratione; & utriusque partis motiva ponderare. Et si inveniat pro parte tutiore majora, vel æqualia, teneri abstinere à contractu: & sic in similibus casibus.

462. Prob. 1. Dum in tali casu, & similibus motiuum est æquale, seu minus, quod actio sit licita, nequit tale motivū dici grave, sed leve, vel tenue: ergo opinio ex illo deducta in favorē libertatis est tenuis probabilitatis: ergo ex vi dicti decreti non est ejus usus licitus. Hæc ult. conseq. patet ex prima: & hæc etiam constat: quia eo gradu probabilitatis gaudet opinio, quo ejus principium, seu causa, nempè motiuum. Ante c. prob. stante æquali motivo ex parte legis, & ex parte libertatis, circà licitum, vel illicitum contractum, motivum ex parte libertatis nequit dici grande, vel grave ad

ad movendum intellectum, ſed modicum, immò nullius ponderis, & multò minus erit grave, ſi motiuum eſt minus, quam ſe tenens ex parte legis. Etenim pigmæus licet reſpectu infantis recenter nati ſit magnus; reſpectu verò gigantis erit modicus, & tenuis. Civitas Abulenſis reſpectu alicujus Caſtri, dicitur magna; tamen reſpectu Romæ, & Matriti erit parua. Imò ſi ſumeretur comparative ad aliam æqualem, magna dici nequit; licet quælibet ſecundum ſe, & abſolutè magna ſit.

463. Confirm. & explicatur exemplo manifeſto. Poſito æquali pondere in bilance, quamvis utrumque in ſe grave ſit, neutrum tamen erit grave reſpectu alterius, & ita nec aſcendet, nec deſcendet alterutra ex lancibus; ad invicem enim unum pondus detinet aliud. Ita contingit in noſtro intellectu. Ipſe quidem eſt ſtatera rationalis librans hinc indè pondus rationum, & motivorum utriuſque partis, juxta illud Eccl. 21. *Verba prudentum in ſtatera ponderabuntur*: *ubi Cornelius à Lapide ſtatera rationis à prudentibus, ante quam proferant*. Si ergo æquale pondus eſt rationis in ſtatera intellectus, neutrum dici poteſt grave, ſed tenuè, immo nullius ponderis comparativè, & in ordine ad inclinandum intellectum magis ad hanc, quam ad illam partem. Et ſi pondus unius partis minus eſt, multo minùs poterit ad ſe inclinare rationabiliter. Quod ſi aliter ponderat, & librat erit ſtatera doloroſa, de qua Prov. 20. ait Sapiens: *Statera doloroſa non eſt bona.* Et idem cap. 11. *Satera doloſa abbominatio eſt apud Deum, & pondus æquum voluntas ejus*. Circa quod ait D. Baſilius in Pſalm. 61. verſ. 10. „ *Nec enim in illo die judicij tibi licuerit* „ *dicere. Quia neſcivi, quid eſſet bonum*: „ *tibi namque propria datur libra, quæ ſufficiens diſcrimen boni, ac mali demoſtrat.* „ *Corporea namque pondera in libræ lance* „ *probamus*: *quæ verò ad inſtituendam, vitam eligenda veniunt, per liberum arbitrium diſcernimus*: *quod & ſtateram nominavit, quo momentum æquale ad* „ *vtrumlibet lancem poſſit capere.* Hæc D. Baſil. & D. Iſidorus cap. 12. inquit: *vetatur ne in conſcientiæ noſtræ domo menſuras duplices habeamus*. Quid ergo habetur in ſtatera, ſeu intellectu amplectente viam probabilſmni? Si interrogatur; an qui uno ictu quatuor percuſſit, teneatur numerum percuſorum in confeſſione explicare? poteſt reſpondere Petro, quod non tenetur, & Joanni quod tenetur, & ſic in omni contrarietate opinionum probabilium; quamlibet partem ad libitum, reſpondere, eligere, & ad praxim poteſt deducere. Quid aliud hoc eſt, niſi duplices habere menſuras in ſtatera intellectus, ſeu conſcientiæ?

464 Ex quibus fit; quam debile ſit fundamentum, quo reſpondent recentiores, ſeu docent, quod, ut aliqua ſententia ſit vere probabilis, & licititus, honeſtus que ejus vſus, ſufficit habere fundamenta gravia abſolutè, & præciſivè, licet eius contraria habeat æqualia, vel etiam majora. Hoc enim ſuſtineri non poteſt. Nam (vt inferius dicetur q. 3. art. 1. 2. & 3.) vt operans poſſit licite operari, debet per proprium, & formalem aſſenſum judicare licitum eſſe, & honeſtum obiectum, quod amplectitur; vt D. Th. docet 22: q. 16. att. 2. *Homo in jis, quæ ad propriam perſonam pertinent debet formare Conſcientiam ex propria ſcientia*. Et de Virtute q. 17. art. 5. ad 4. *Vnuſquiſque tenetnr actus ſuos examinare ad ſcientiam, quam habet à Deo; Siue ſit acquiſita, ſiue infuſa. Omnis homo debet ſecundum rationem agere, quod eſt juxta Apoſtolum*: *Vnuſquiſque &c.* Sed ad formandam rationabiliter Conſcientiam, dum obiectum eſt dubium, ſeu controverſum, oportet diſcutere motiva vtriuſque partis, illaque inter ſe comparare, ut judicium formet ſecundum prudentiam, in quo uullus rationabiliter diſentire poteſt: ergo attendere ad motiva præceſſiuè vnius partis, ſine attentione ad motiva alterius partis, nèc facta comparatione, eſt contra rationem, & prudentiam.

465. Confirm. Judex, qui intèr duos litigantes, ſolum ponderaret probationes unius, præſcindendo à contrariis, planè eſſet iniquus: v. g. haberet quælibet pars pro ſe quatuor teſtes omninò æquales, certum eſt utroſlibet quatuor præciſivè, & abſolutè ſumptos efficere gravem, plenamque probationem: at ſi comparativè ſumantur, nèc horum, nèc illorum teſti-

mo-

monium est grave, & nullius momenti ad inclinandum judicem ad unam, vel ad aliam partem, quia ad invicem eliduntur tur: & cum non innotescat in qua perte sit veritas, intellectus (nisi irrationabilitèr, & iniustè) ad unam partem inclinari, & se determinare non posset. Quid aliud est dicendum in hypotesi nostra? Quod etiàm declaratur in duobus ad contrarium locum æqualibus viribus moventibus aliquod corpus: certum est quod si aliquis ex moventibus aliquid plus virium non applicaret, maneret immotum corpus, nec ad unum, nèc ad alium locum traheretur. Fundamenta rationum, quo intellectus trahitur, & inclinatur, ob hoc motiva dicuntur: ergò stantibus æqualibus, non potest intellectus rationabilitèr, & prudentèr inclinari ad ullam ex partibus: & consequentèr opinio in hac hypotesi erit, vel debilis, vel nullius probabilitatis.

466. Secundo prob. assertio. Juxtà doctrinam benignæ sententiæ, hoc ipso quod aliqua opinio sit absolutè, & simplicitèr probabilis, est licitus, & prudens ejus usus: Sed opinio etiàm tenuis probabilitatis est probabilis absolutè, & simplicitèr: ergò in doctrina sententiæ benignæ infertur ejus usum esse licitum, & prudentem: hoc autem non componitur cum Pontificis Decreto: ergo nec doctrina, & principium, ex quo infertur. Major est ipsamet sententia probabilistarum. Min., in qua esse potest aliqua difficultas, probatur. Tenuis probabilistas est talis intra terminos probabilitatis, ut expresse est in decreto: ibi, *quantumvis tenui*, *modo à probabilitatis finibus non exeatur*, *confisi aliquid agimus*, *prudenter agimus*: ergo talis opinio habet simpliciter, & absolutè naturam opinionis probabilis: Siquidem fines, seu termini entis, vel naturæ alicujus, sunt genus, & differentiam, ut docet Logica: Licet ergo sit tenuis probabilitas, participat genus, & differentiam, & est talis simpliciter, & absolutè. Sicut in quantitate tenui, & in puero tenui non impeditur, quod iste sit homo simpliciter, & absolute, & idem de quantitate.

§. II.

Expositio decreti Pontificii aliquorum recentiorum confutatur.

476 Ut recentiores indemnem, & incolumen salvent sentententiam suam benignam, variè Pontificium decretum oxponunt: dicunt enim suam sententiam multum distingui ab illa opinione damnata. Nam (inquit quidam Neothericus) sententia benigna solum admittit opinionē simpliciter probabilem, verè probabilem. Opinio tenuiter probabilis non est, neque dici potest vere probabilis, ut patet. Nam cum quis dicitur habere tenuem prudentiam, non dicitur verè prudens, imo defectus prudentiæ in eo notatur. Et cum quis dicitur habere tenuem scientiam, non dicitur absolutè Vir Sapiens: Sicut in habente tenuem misericordiam, notamus defectum misericordiæ; Sic in opinione tenuis probabilitatis absolutè est probabilitis defectus.

Prȩterea, nam opinionem esse tenuem, & esse probabilem dicit contrarietatem, aut contradictionem inter se. Nam vera probabilitas est, quæ nititur fundamento gravi, & impellente intellectum ad assensum: Sed tenuitas quo ad probabilitatem dicit tenuitatem, & levitatem fundamenti, atq; adeo postulat fundamentum non esse grave: ergo hæc huo dicunt contradictionem.

468 Sed hæc responsio, & expositio potest efficatiter everti. Nam licet respectu ejusdem, seu secundum eumdem respectum opinio tenuiter probabilis, non possit dici simpliciter, & absolute probabilis, secus vero secundum diversum respectum. Opinio igitur, an talis contractus sit licitus, potest considerari quoad sua fundamenta objective sumpta, secundum quod ab aliquibus Viris Doctis, & piis propugnatur: & sic potest dici absolute, & simpliciter probabilis. Vel potest considerari respectu operari volentis, & judicantis pro una parte adesse rationes præponderantes, seu æqualis ponderis suadentes esse illicitum. Et in hoc casu rationes æquæ, vel minus ponderis pro alia parte verè tenues sunt, &

sic

sic non implentes, nec potentes rationaliter impellere intellectum ad assensum rectum, quod ille contractus sit licitus; & sic secundum hunc respectum, est tenuis hęc probabilitas, & opinio non verè probabilis, ut §. præc. probatum est. Quare fallacia argumentorum sententiæ benignæ procedit ex considerationis defectu ad ea, quæ sunt attendenda ad judicium rectum, verè prudens.

Explicatur eisdē exemplis ab erudito Neotherico adductis: vir justus, & timoratus est absolute, & vere prudens, si secundum se consideretur, at si comparetur ad prudentiam D. Pauli, tenuis illius prudentia. Doctor Theologus sufficienter instructus, absolute dicitur sapiens, at si comparetur D. Augustino, aut Ang. Præceptori, ejus scientia est tenuis, & idem de misericordia &c. Sed cum hac differentia, quod in hac comparatione non eliduntur termini comparati, nec unius virtus per alterius virtutem destruitur. Secus in fundamentis utriusque partis contradictionis in opinione. Quia respectu movendi intellectum vis fundamenti unius elidit, & destruit vim alterius; ut in casu judicis proximè adducto, æqualitas probationum licet solitarie accepta efficiat absolutam, & simpliciter talem; non verò in ordine ad Judicem, qui debet illas comparativè sumere. Per quod patet ad ultimum, quod in expositione, & responsione adducebatur.

469 Aliam expositionem assignāt plerique, magis receptam inter recentiores, ut defendant proprium modum opinandi. Dicunt enim quod in sua sententia solum est licitus usus opinionis, dum est certò probabilis, secus vero dum tantum est probabiliter probabilis, & ejusmodi opiniones sunt tenuè probabiles, quæ in damnatione propositionis compræhenduntur. Tunc dicitur opinio probabiliter tantum probabilis, dum est dissensio circa ejus probabilitatem inter Auctores, & illorum præcipui illam improbabilem reputant, ut est, quæ asserit peccata dubia ex obligatione non esse confitenda. Hanc doctrinam esse communem probabilistarū adhuc ante damnationem asserit Arriaga to. 1. in 12. disp. 23. de actib. hum. sect. 2. num. 24. illamque tradunt Lumbier. Hozes, Filguere, & alii.

470 Verum tamen ex hac expositione; & doctrina manifeste videtur sequi vera non esse principia sententiæ benignæ, nec cum præsenti damnatione posse componi, atque ideo nec ipsam sententiam. Prob. Nam omnes hujus sententiæ Auctores affirmant, *esse probabile*, idem omnino esse, *ac esse prudens*; idem *peobabiliter, ac prudenter*, dictosque terminos esse synonomos. Unde apud ipsos: *est probabile: ergo prudens*, habetur consequentia, ut evidens. Ergo idem est opinio, seu judicium probabiliter probabile, ac opinio, seu judicium prudenter prudens: Cum ergo juxta datam expositionem jam non est idem prudenter, ac probabiliter, (quod est fundamentum præcipuū sententię benignę) post damnationem jam non stat ipsa sententia benigna.

471 Confir. Ideo asserunt probabilistæ recte operari, quia prudenter operatur, & elicitur judicium prudens: & cur sequens opionem elicit prudens judicium? quia format judicium probabile: ergo quicumque haberet judicium probabile de probabilitate opinionis, haberet judicium prudens de illius probabilitate, cum in sententia benigna idem omnino sit *prudens, ac probabile*: Et tamen juxta expositionem datam, & communem probabilistarum sententiam, hoc judicium probabile, seu prudens comprehenditur in decreto damnante (in hac 3. propositione) opiniones probabiliter probabiles: ergo per istam damnationem tangitur sententia benigna, quatenus tenentur admittere, quod non est idem *probabile, ac prudens, seu probabiliter, & prudenter*.

272 Ex dictis, præsertim in hoc articulo colligi potest, quamlibet sententiam contra legem stantem, & pro libertate, si tantum æquè, vel minus probabilis apparet intellectui operantis, non esse illi usum illius licitum: quia in tali hypotesi tantum est illi probabiliter, & subdubio, & non certo probabilis: Sed quando opinio non est certo, sed dubiè probabilis non est ejus usus operanti licitus: ergo: Min. Constat ex consensu probabilistarum communi, non solum post præfatum decretum; Sed etiam antea erat communis hæc propositio, ut asserit Arriaga in hoc §. supra citatus, & defendit 1. 2. quæst. 1. dub. unic. sect. 8.

Teryllus, quæst. 21. de conscientia num.1. & alii. Et merito; quia cum operans, ut honeste operetur utendo aliqua opinione, debet ex illa educere judicium rectum certum de honestate operationis: Ex operatione autem solum probabiliter, aut dubiè, & non certò probabili nequit tale judicium educere, ut patet. Major vero ostenditur. Nam sunt plurimi, & quasi innumeri Auctores Viri pii, & Doctissimi, inter quos plures sun Cardinales vita, & doctrina celebres, pariter plures Episcopi, & multo plures eruditione, & religione præstantes, ex omnibus Religiosis Ordinibus, & ex omni alio statu; qui tomis integris de hac sola materia, vel tractatibus diffusis, probant auctoritate Sacræ Scripturæ, & SS. Patrum, Sacrorum Canonum, Decretorum Pontificum, & simul rationibus, & fundamentis urgentissimis, & præstātioribus, quā motiua contraria; probant, inquam, & constanter propugnant sententiam minus tutam, seu stantem contra legem, & pro libertate (dum ejus motiva non apparent intellectui operātis præstantiora) non esse illi formaliter practicè probabilem, nec illi esse licitum ejusmodi opinionis usum. Omnia igitur hæc saltem redunt sententiam contrariam non certò probabilem, probant ad minus esse dubię probabilitatis, & esse dubitandum de ejus practica probabilitate. Atque adeò ex ipsa doctrina jam ab ipsis adversariis admissa infertur non posse in tali casu formari dictamen prudens, & rectum ab operante, sed debere, vel cessare ab operatione, vel tutiorem sententiam amplecti.

S. III.

Argumenta aliquorum recentiorum solvuntur.

474 PRimo. Hoc ipso quod Pontifices damnarunt hanc tertiam opinionem, & alias in decreto contentas, & expressam memoriam non fecerunt sententiæ benignæ, nec damnarunt illam expresse; tacite saltem significare voluerunt eam esse doctrinam sanam, & tutam, & nulla censura dignam. Etenim cum Pontifices in prędictis decretis damnassent hanc 3. & alias propositiones in prædictis decretis, quia inducebant nimium, & perniciosum abusum circa probabilitatem benignam; & non ignorassent, quàm communis sit apud Auctores, & consultores doctrina sententiæ benignæ, si innoxia, & sana non esset, non omitterent prohibere: immo non sufficienter sollicitudinem pro suo munere pastorali adhiberent permittendo usum adeo communem, si salubris, & tutus non esset: Ergo immeritò ab antiprobabilistis sententia benigna oppugnatur.

474 Secundo arg. Quoties non constat, sed dubitatur de sensu decreti damnantis, an comprehendat aliquam doctrinam, vel opinionem, aut illius sensum, non debet intelligi doctrina, vel opinio comprehensa, imo potius ex empta, & non compræhensa: at saltem dubium est, an aliqua doctrina, principium, aut sensus sententiæ benignæ compræhendatur in prædicto decreto: Ergo nihil horum censeri debet compræhensum, sed indemne manet, sicut antea erat. Prob. maj. tum quia damnatio est odiosa; ac proinde restringenda, ex regula juris: tum etiam quia juxta aliam regulam in dubio delicti favendum est reo potius, quam actori: Opiniones autem, de quarum compræhensione dubitatur in decreto, & ejus Auctores se habent tamquam rei in hac causa. Min. etiam probatur: Propositionem, vel doctrinam in decreto damnante compræhendi incumbit onus probandi asserenti, & sic donec certo ostenderit, debet talis doctrina gaudere possessione suæ indemnitatis.

475 Resp. ad 1. arg. continere doctrinam contrariam decreto Alex. VII. damnante propositionem 27. *Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse à Sede Apostolica tamquam improbabilem.* Et in decreto Innoc. XI. die 2. Marti 1679. mentem suam declaravit his verbis: *Non intendens tamen Sua Sanctitas per hoc decretum alias propositiones in ipso non expressas, & Sanctitati Suæ quomodolibet, & ex quacumque parte exibitas ullatenus approbare*: jam ergo præoccupavit, & rejecit Summus Ecclesiæ Pastor illationem, quæ ex silentio S. Sedis tacite, vel expresse indicatur aliqua tacita approbatio: asserit enim

enim non dari tamen intentionem. Ex quo intelligitur quam absurde ratiocinentur, qui eas omnes opiniones tutas existimant, imo, & ab Ecclesia approbatas, quæ in libris editis extant, modo libri, seu opiniones in eis traditæ non sint aliqua censura notati; maxime si quorumdam Doctorum auctoritate, & superiorum etiam permissu muniti prodierint.

476 Itaque: opinionem probabilem, hoc ipso, quod sit probabilis, esse tutam, est principium præcipuum sententiæ benignæ; hoc autem principium evertitur per censuram decreti Pontificii: siquidem ideo astruunt illud; quia qui operatur probabiliter, operatur prudenter; at juxta decretum hoc est falsum universaliter; quandoquidem, qui utitur opinione probabiliter probabili, non operatur prudenter: ergò ex vi decreti non est idem operari prudenter, & operari probabiliter. Cùm igitur juxta dialecticæ regulas, & ex ratione ipsa propositio universalis est falsa, si vel unam propositionem falsam contineat, & aliàs plures propositiones in decretis damnatæ sint, in quibus juxta sententiam benignam, habebat locum præfatum principium, infertur tale principium non esse verum. Atque adeo licèt non expresè in decretis fiat mentio sententiæ benignæ, nec ejus doctrinæ, sufficit, quod per legitimam consequentiam inferatur non posse componi cum prędictis decretis, ut in hoc præsenti articulo satis videtur ostensum.

477 Hoc ergò modo sufficientem adhibuerunt sollicitudinem Summi Ecclesiæ Pastores pro suo munere. Nam per verba adeo significantia in proœmio, & per damnationem tot propositionū, quæ à pluribus, ut tutæ, & probabiles habebantur, satis significant, quanta diligentia, quantoque studio debemus in quæstionibus moralibus procedere, ut quæramus veritatem, non fidamus nobis ob quamlibet probabilitatem etiam si à pluribus scientia, & pietate gravibus assertam; non temerè arripiamus opinionem, quæ magis nobis arridet, sed adhæreamus illis opinionibus, quæ magis se conformant simplicitati Evangelii, & SS. Patrum doctrinæ. Hæc est mens Pontificum in prædictis decretis, non verò approbare sententiam benignam.

Ad secundum argumentum resp. Neg. maj. dum dubitatur enim aliquam doctrinam esse sanam, & ob hoc dubitatur, an in decreto contineatur; debemus illam vitare: Siquidem dubitare, an aliqua opinio moralis sit per Pontificem damnata, est dubitare, an praxis illius sit pestifera, & exitialis, an potius sana, & tuta: & in tali dubio quis existimabit favendum esse opinioni ejusmodi, & ejus Auctoribus ut Reis (ut probatio minoris intendit) in judicium vocatis, & pronuntiandam sententiam contra decretum Sedis Apostolicæ, veluti contra legem odiosam, & sic restringendam?

Explicatur. In quadam Civitate Gubernator pro certo tempore prohibuit vendi pisces fluminis, quia vescebantur multitudine locustarum super aquam cadentium, & pisces reddebantur noxii. Simile contigit Romæ anno 1709. Prohibita hìc sunt vendi legumina pro aliquo tempore, quia effecta sunt valdè noxia saluti. Numquid odiosæ sunt hæc prohibitiones? In dubio, an tales pisces, vel legumina sint noxia, vesci illis erit secundùm prudentiam? Idem contingit tempore pestis, dum in aliqua Civitate grassari contingit; in hac ordinatur, ut portæ custodiantur, non permittatur persona, aut res aliqua ingredi ex illa Civitate veniente. Odiosa & restringenda est hæc prohibitio? In dubio, an persona, vel res afferat contagium, esset licitum illam admittere? Quid aliud sunt opiniones scandalosæ, & perniciosæ, nisi contagium, & pestis animarum? Ergò damnatio non odiosa est, sed favorabilis valdè, non restringenda, sed amplianda. O' sollicitudo, & custodia pro rebus, & salute corporalibus! O' patrocinium humanæ libertatis! O diversa prudentia circa animæ salutem! Infirmus prudens nedum se abstinet à cibo certè noxio, & cibo à Medico certò sibi prohibito, sed etiam ab illo, de quo dubitat esse noxium, aut prohibitum: cur non sic censendum, & efficiendum circa veram animæ salutem?

478 Ex dictis colligitur, quid censendum sit de doctrina aliquorum recentiorum, qui scribentes super propositiones damnatas, illasque exponentes, dum dubitatur de illarum sensu, & an comprehen-

 datur

datur in illis talis casus, aut doctrina, recurrunt ad præfatum principium: *Damnatio est odiosa, & restringenda, &c.* Notandum, animadverto, quod nullatenus intendo dicere, quod opinio moralis, seu illa, de cujus damnatione, vel compręhẽsione in decreto dubitatur, hoc ipso dicatur damnata absolutè, & directè; ab hoc enim præscindimus, sed solùm intendimus, quod non dicatur probabilis practicè formaliter, & quod non sit tuta, ac proinde vitanda; ut supra in principio hujus articuli animadvertimus.

ARTICULUS IX.

An doctrina recentiorum Probabilistarum consistat cum decreto Innocenti XI. damnante secundam propositionem de Judice.

OPinio, seu propositio secunda in decreto Innoc. XI. sic se habet: *Probabiliter existimo Judicem posse judicare secundùm opinionem minus probabilem.* Nunc videndum quid inferatur ex hac damnatione circa nostram controversiam.

§. I.

Quibusdam suppositis resolvitur dubium negativè.

479 PRimò notandum, & supponendum est sententiam illam, nempè: posse Judicem judicare secundùm sententiam, vel opinionem minus probabilem, esse ortam cum moderno probabilismo, & ex ipso. Quia ante ortum ipsius vix invenitur mentio inter Theologos circa hoc, nec in quæstionem ab aliquo deductum erat, an Judex posset ferre sententiam, quam veram non judicaret, aut quam judicaret magis esse, vel æquè falsam. Et deinde constat, quia Auctores, qui hanc quæstionem excitaverunt, & illam amplexi sunt opinionem, nullum antiquiorem ad ann.1570. proferunt, ut videre est apud Sanchez in Sum. tom.1. lib.1. à num.43., qui cùm sit valdè diligens Auctorum scrutator, primus, quem pro sententia affirmativa allegat, est Medina, Aragon., Salon. &c., & pro negativa, Sotum, Banez, &c. Et Diana 2.par. tract. 13. resol. 1., qui alios plures affert, nullus eorum ante dictum tempus prodiit in lucem. Orto vero probabilismo, sese obtulit excitare hanc quæstionem: Et cum admissis probabilismi principiis, planè inferebatur: *Est probabile, ergò est prudens: ergò Judex sequendo apinionem probabilem, etiam minus prudenter operatur.* Plerique hanc propositionem amplexati sunt.

Cœterùm cùm ex se talis opinio videretur continere non exiguum absurdum, divisi sunt, & plures alii etiam probalistæ contrarium docuerunt: Sed inconsequenter; nam factis suis reflexionibus probabilismi convenire tandem erat illis necesse. Quod in eorum principiis videtur evidenter manifestari. Nam dum plures Viri pii, & docti gravi ducti fundamento asserunt aliquid esse licitum, est certò practicè probabile, & prudenter potest amplecti: apud ipsos hoc est evidens; sed plures (possent citari plures quàm 60.) ejusmodi qualitatis docebant prædictam sententiam: ergò omnes probabilistæ ex vi suarum reflexionum necesse habebant in ea sententia convenire, aut sua principia deserere; siquidem Auctores prædictæ sententiæ affirmantis non aliis principiis nixi id asserebant.

480 Secundò notandum, quod in communi sensu probabilistarum, quandò hinc inde controvertitur de aliqua lege, vel de illius sensu, aut extensione ad aliquem casum particularem; hoc ipso quod probabiliter negatur illam legem existere (licèt aliàs falsum sit) deficere reipsa legem, nec habere vim obligandi; solumque dici lex gramaticaliter. Quia posita tali probabilitate, etiam minori, non est sufficienter promulgata; & cum de ratione legis, ut obliget, & reipsa existat, sit necessaria promulgatio, non habet reipsa vim obligandi in conscientia, imò tunc non datur lex. Hæc est recentiorum doctrina.

481 His prænotatis; dicendum est viã probabilismi non posse consistere cum decreto damnante dictam secundam propositionem. Hęc assertio probatur eisdem fundamentis, quibus usi sumus supra artic.6., quæ pariter militant in præsenti, ut ibi videri potest. Secundò specialiter probatur ex hac damnatione: & me explico claritatis gra-

gratia hoc exemplo. Petrus cùm accepisset à Joanne centum scuta ultra principale ratione trium contractuum inter se initorum, angitur scrupulo, an possit illos retinere ratione alicujus motivi, si fortè essent usurarii. Consulit super hoc Theologum, qui visis auctoribus, & motivis ex utraque parte, invenit esse probabile non teneri, sed probabilius esse, teneri restituere. Nihilominus respondit Petro non teneri. Respondet nè justè? Utique, & justissimè juxta principia sententiæ benignę. Cœterùm Joannes cum etiam acquireret notitiam, quod contractus illi essent usurarii, & quod in debitum soluisset; recurrit ad Tribunal: Judex omnibus inspectis idem judicium format, quod Theologus. Poterit proferre sententiam in favorem Petri, ut retineat illa 100. scuta? Dices: minime, juxta decretum Pontificium, debet cogere, ut solvat, aliàs delinqueret contra justitiam. Tunc sic: Ergò Theologus non respondit secundùm justitiam: Nam cùm sint contrariæ determinationes Judicis, & Theologi, & circa eamdem omninò quæstionem, implicat unam esse prudentem, & secundum justitiam, & aliam esse contra justitiam: Corruit ergò principium, & via sententiæ benignæ.

482 Vrgetur: in foro externo, seu judiciario in prædicta hypothesi, & aliis similibus tractatur de rebus temporalibus, & transitoriis; in conscientiæ foro de rebus maximi momenti animæ nostræ, de legibus divinis &c. Ergò absurdum videtur, quod requiratur regula certior pro resolutione circa res viles, quàm circa pertinentia ad animam nostram, & ejus veram salutem. Præterea juxta communem Theologorum sententiam, pręsertim probabilistarum, tamquam principium indubitatum habetur forum externum, & internum, seclusa falsa præsumptione, debere in omnibus concordare, exceptis iis, quæ jus civile, & Ecclesia tolerat, & non probat, ut videre est apud Vazquez 1.2. qu. 66. cap. 1., Sanchez lib. 1. Sum. cap. 2. num. 1., & lib. 1. de Matr. disp. 5. num. 20., & lib. 2. disp. 41. num. 12. cum aliis plurimis: Ergò, cum illa sententia Judicis non fundetur in errore, nec falsa præsumptione, & ad sic iudicandum teneatur juxta decretum Pontificium, videtur manifestum, quod ex illo sequitur in foro conscientiæ Judicem animæ pro parte sibi probabiliore, & non aliter judicare debere.

§. II.

Responsio communis refellitur.

483 Responsio communis Probabilistarum est: Judicem teneri juxta probabiliorem judicare; quia cùm officium acceptat, contractum init cum Republica de administratione justitiæ meliori modo, quo possit; & in majorem utilitatem Reipublicæ; ideoque in ordine ad hanc utilitatem abdicasse à se facultatem sequendi adversam sententiam probabilē, & ob hanc rationem secundam propositionem fuisse damnatam.

Sed contra primo: Nam hæc responsio non facit ad rem; siquidem id negant contrarium asserentes, & cùm sit tantorum, adhuc remanet probabile non esse Judices constitutos cum hac obligatione, sed ex jure divino, & naturali, & positivo. Secundò, juxta hanc responsionem Judices Ecclesiastici, præsertim Superiores, ut Summus Pontifex, Cardinales, Episcopi, Prę-lati Regulares, &c. non comprænderentur in decreto isto; cùm omnes hi non recipiant à Republica facultatem, nec ab illa constituti sint, & ita sequi possunt in judicando opinionem minus probabilem.

484 Tertiò: Absurdum nimis videtur, quod Respublica, aut jus humanum possit rationabiliter obligare Judices suos ad majorem laborem, & diligentiam inquirendi probabilius, & sic judicare de rebus momentaneis, & temporalibus, quam Deus obligat lege sua homines in rebus gravissimis, & æternis; si ergò Deus non obligat ad probabiliora inquirenda; si non prohibet sequi minus probabilia pro observanda lege sua, pro gloria sua, & honore, nec tenentur ultra inquirere, nec eligere, ut non devient à via veritatis; cur Respublica potest circa res viles contrarium Judicibus imponere? Absurdum enim non foret pro rebus minimis summam curam exigere, & minimam pro summis?

485 Quartò: falsum est Judicem solùm

lùm ex pacto cum Republica ad probabilius obligari, sed etiam ex ipso jure naturali, & jure divino, præscindendo à tali pacto: 1. ex jure naturali; nam finis judiciorum, & Judicum est, ut unusquisque habeat, quod reipsa suum est, vel ad se pertinet: igitur quandò ex parte unius est majus jus, quod contingit, dum pro se habet probabilius, ex officio suo tenetur Iudex pro isto sententiam ferre. Et ex hoc jure naturali sumpta est illa regula canonica, & civilis: *Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit*: 2. Pariter obligatur ex jure divino; Exod. 18. *Provide omni plebe Viros sapientes, & timentes Deum, in quibus sit veritas.* Et Eccli.7. *Vę vobis, ò Judices! Væ vobis in æternum, & ultra, quia non est in vobis veritas!* Ergò ex jure divino tenetur ad veritatem inquirendam quantum potuerit, & verè justum sequendum: ergò ad opiniones magis veras.

486 Unde D.Ambros. serm. 20. in Ps. 118. inquit: *Bonus Iudex nihil ex arbitrio suo facit, & domesticæ proposito voluntatis, sed juxta leges, & jura pronuntiat; statutis quoque juris obtemperat, non indulget propriæ voluntati. Nihil paratum, & meditatum domo defert, sed sicut audit, sic judicat, & sicut se habet negotii natura.* Et D.Thom.2.2. qu.67. artic.2. ex D.August. *Bonus Iudex nihil ex arbitrio suo facit, sed secundùm leges, & jura pronuntiat.* Ecce qualiter non recurrunt ad tale pactum cum Rep. Sed ex ratione ipsa naturali nequit Iudex ex proprio arbitrio, & voluntate ferre sententiam sequendo opinionem probabilem, quam voluerit. Idem ante ortum probabilismi docuerunt uniformiter Doctores, ut videre est apud Antonium Mariam Coratium in tract. Doctorum to. 18. tract. de electione opin. fol.235. ubi inquirit: *An opinio communis sit attendenda?* Et cum auctor sit jurista, præcipuè quæstio est respectu Iudicis. Pro parte affirmativa refert plures quàm centum, tum Theologos, tum utriusque juris; & ibi num.17. ait: *Etiam in foro conscientiæ communis opinio servanda est; nam hanc sententiam Summistæ approbant.* Et num. 20. assignat rationem, ob quam tot Doctor. ita resoluunt: *Quia communis vera præsumitur; at veritas, & opinio verior servanda est.* Pro parte negativa nonnullos refert asserentes, quandoque posse eligi sententiam minus communem, seu non communem: Sed quare? fundamentum eorum est: *Quia multoties opinio non communis est probabilior, & verior.* Et tandem dictus Auctor concludit nu. 26. *In judicando, & consulendo communem opinionem esse attendendam, nisi contrarium rationibus convincatur, quia probabilior, & verior præsumitur.* Ex quibus constat tantum fuisse controversũ, an cõmunis semper esset sequenda? Sed omnes cõveniebant sequendam esse probabiliorem, seu veriorem; circa hoc enim ante probabilismum non erat aliqua dubitatio: Nec ad hanc veritatem statuendam ad pactum cum Republica recursum habuerunt, sed ad ipsum jus naturale, seu rationem: Ergò corruit effugium ad pactum cum Republ. & stat efficacia fundamenti nostri pro foro conscientiæ ex damnatione decreti Pontificii.

§. III.

In principiis sententiæ benignæ frustatur damnatio opinionis secundæ de Judice.

487 Probatur supposita illa doctrina sententiæ benignæ supra in hoc artic. §.1. notab.2. nimirum stante pro libertate opinione aliqua probabili, non dari legẽ. Tunc sic: In casu suprapositio n.481. & similibus quandò Iudex existimat Petrum teneri solvere esse probabilius, & simul illi apparet dari opinionem minus probabilem, si Iudex contra Petrum proferret sententiam, faceret injustè: ergò frustatur damnatio secundę propositionis juxta principia sententiæ benignæ. Prob. antec. allegando pro Petro. Quoties datur opinio, licèt minus probabilis negans legem, aut existentiam illius, vel extensionem illius ad casum particularem, de quo est quæstio, aut lis, est certum apud probabilistam non esse sufficienter promulgatam, nec tunc dari legem, nec habere vim obligandi: Sed in data hypothesi Petrus habet pro se opinionem quamvis minus probabilem, non teneri solvere: ergo certum est non dari legem, nec obligationem. Cùm ergò Iudex debeat

debeat absolvere quem nulla lege obligatum invenit, tenetur absolvere Petrum à petitione alterius partis. Idemque discursus potest fieri in omnibus casibus, in quibus pro reo, vel parte negante datur opinio probabilis: ac proinde, vel frustratur decretum, quod non est dicendum; vel principium, & doctrina illa celebris apud probabilistas de non sufficiente promulgatione legis, corruit.

488 Respondebis neg. ant. ad probationem; majorem solum esse veram, dum datur opinio probabilis speculativè simul, & practicè, secus si solum est speculativè probabilis: in hypothesi autem posita illa opinio minus probabilis solum speculativè talis est respectu judicis; & quia in argumento fit transitus de speculativo ad practicum, nihil concludit.

Sed contra: nam falsum est illam opinionem pro Petro non esse practicam, sed speculativam. Siquidem pertinet ad Theologiam moralem, quæ practica est, & ad juris prudentiam, quæ pariter est practica. Deinde illa opinio est circa licitum, vel illicitum, quod pertinet ad praxim. Præterea illa opinio particularis, ut in casu posito n. 481. liberans Petrum à solutione, vel restitutione, non est damnata ab Ecclesia, nec prohibita defendi, & ideò plures nunc illam admittunt. Ergo non est solum speculativè probabilis sed etiam practicè. Si autem dicas quod practicè non est probabile in illo casu respectu judicis sentientis probabilius pro parte adversa Petro; ita nos assentimus: sed ex hoc colligitur, quod etiam respectu judicis interni, dum intellectui consulentis, vel operantis apparet minus probabilis, erit etiam ejus usus illicitus; nec facile dabitur discrimen, quare opinio minus probabilis nequit fundare judicium, aut dictamen prudens de absoluta honestate actionis respectu judicis ferentis sententiam, & quod id possit respectu consultoris, aut judicis fori interioris, & animæ?

489 Dabis discrimen: Nam ideo respectu judicis nequit esse practicè probabilis illa opinio, nec ex vi illius fundari judicium reflexum prudens de honestate sententiæ: quia si contingat esse reipsa falsam, infert damnum Joanni habenti pro se opinionem probabiliorem. Et cùm judex teneatur præcavere, quantum possit, ejusmodi damnum, nequit amplecti opinionem minus probabilem pro Petro. Secus in operante, vel consulente opinionem etiam minus probabilem: nam etsi contingat esse falsam, ideoque per illam Dei Legem violari, violatio est materialis; nec damnum revera infert, quod debeat vitari. Deus enim est incapax, omnis damni, & ejus offensa per bonam fidem vitatur. Ita invenitur apud non paucos probabilistas: estque apud illos doctrina communis; at quàm apta videamus.

Contra. In primis discrimen datum non habet locum in casu supra posito, nec in materia legum, & opinionum, quæ versantur circa proximum. Atque ideò, juxta doctrinam dati discriminis, non erit licitum uti opinione probabili in omni materia, videlicet; justitiæ, & restitutionis, contractuum, charitatis fraternæ, fidelitatis, & cujuscumque virtutis, quæ nobis aliquid disponit respectu proximi. Probat. manifestè ex dato discrimine. Nam ideo judex debet amplecti probabiliorem opinionem, quia debet diligenter cavere periculum damni respectu proximi: sed etiã judex fori interni hoc ipsum tenetur facere saltem ex charitate, & etiam ex justitia, quia qui suo consilio concurrit ad damnũ, peccat contra justitiam: cùm ergo amplectendo opinionem minus probabilem, verisimilius est, quod violatio legis sequatur, imputabitur illi damnum: ergo tenetur eodem modo, ac judex illud præcavere. Idemque dicendum de operante propter majus periculum violandi legem: tum quia si in foro externo judex tenetur præcavere; ergo, & in interno intellectus, quia in illo judex idem debet facere, & utrumque debet concordare. Tum deinde: quia juxta illud principium naturale: *quod tibi non vis alteri ne feceris*: sed si habens probabilius jus circa dominium, vel jus ad rem nollet alium illam sibi retinere, & hoc nollet rationabiliter: ergo &c. ex quibus manifestè sequitur, quod sicut respectu judicis in nostra hypothesi damnum non esset pure materiale, sed formale, sic respectu consulentis, aut operantis.

490 Nec discrimen datum admitti potest

test respectu praxis opinionum minus probabilium, (quæ sunt pro libertate) negantium legem circa honorem, amorem, aut cultum Dei, eo quod (inquiunt) Deus est incapax omnis damni, & licèt reipsa detur legis violatio, nulli infertur aliquod damnum. Cæterum absurdum videtur, (& non exiguum) hoc ita sentire, & docere. Nam ut dictum, & probatum est supra, si circa res viles, & transitorias debemus vitare legis violationem, quanto magis circa res æternas, cultum, amorem, & honorem Dei. Quod ipse admonet Eccli. c. 7. *Fili custodi legem meam, sicut pupillam oculi tui*. Numquid quia per peccatum Deo non inferimus aliquid damni, licitum est peccare? Si reipsa datur violatio legis, sicut sæpius contingit in praxi opinionum minus probabilium, cur non datur eodem modo Dei offensa, si dubitat, aut veri similius judicat dari legem? Quomodo tunc adest bona fides vitans offensam? Qui inciperet rem possidere dubitans, aut verisimilius reputans numquam fuisse suam, diceretur habere bonam fidem? Discrimen ergo datum reiiciendum omnino est.

491 Ex dictis in hoc articulo, & ex damnatione propositionis circa judicem potest colligi, quid censendum de illis loqutionibus, quibus probabilistæ invehuntur, & carpunt nostram sententiam, & magnifice plaudunt suam: de nostra prædicant esse rigidam, quasi intollerabilem, reddi jugum Christi nimis durum, difficilius illa animas salvari, non esse facilè, imò difficillimum inter tot opiniones innumerabiles scire ubi, & quando datur probabilior. E contra vero, dicunt de sua benigna sententia; facillimè reguntur conscientiæ, salvantur animæ, Christi jugum fit suave &c. Verum enim hic plausibilis discursus, qui plerosque non ita cautos non parum commovet, refellitur hoc Pontificio decreto. Nam multitudo opinionum in materiis juris civilis multo major est quam in Theologia Morali, ut videre est in illorum libris. Unde non datur ibi minor difficultas discernendi opiniones probabiliores, & tamen judices ad hoc obligantur, nec illis fit jugum Christi nimis durum, nec juris prudentibus, aut judicibus præcluditur via salutis; sed potius, contrarius modus resolvendi, & operandi, ut perniciosus animabus, & scandalosus perscribitur ab Ecclesia. Cessat ergo, & corruit prædictum fundamentum, quo plures contra nostram doctrinam invehuntur: nisi dicamus majorem sollicitudinem esse adhibendam, majorem scientiam requiri, majorem attentionem desiderari in ministro circa res caducas, & corporeas resolvente, quam in Dei Ministro circa res animæ æternas, & circa leges divinas. Quis hoc dicet?

492 Sed restat circa materiam hujus articuli difficultas; quid faciendum à judice, dum jura partium sunt æqualia, aut probationes, & fundamenta? Nam in decreto damnatur solum, judicem posse judicare secundum opinionem minus probabilem: ergo cum exceptio firmet regulam in contrarium, dùm sunt partium jura obscura, seu æqualia, poterit quamlibet opinionem amplecti, & ferre sententiam, pro parte, quæ magis sibi placet. Et hinc summi potest argumentum, quod idem fieri potest in concursu æqualis probabilitatis opinionum; ut enim inculcatum est, utrumque forum concordare debet.

Probabilistæ divisi sunt inter se; Banez 22. q. 64. art. 4. dub. 1. cum aliis pluribus, censet non dari judici electionem, sed teneri, vel litigantes componere, vel dividere res inter ipsos. Communis vero probabilistarum consensus est judicem eligere posse opinionem quamlibet, nixũ suis principiis, seu reflexionib. Dicendum tamen est primo. In facta hypothesi (quæ rarò aut vix numquam continget, quòd omnia sint æqualia) favendum esse reo, ut supra visum est, item possidenti, quia melior est ejus conditio, item judicandum est pro causa pia, pro persona miserabili, pro matrimonio, & pro libertate, quia ita determinatur in jure, quia sunt causæ privilegiatæ.

Secundò. Si non datur aliquis favor, ex dictis nequit judex, salva conscientia, judicare in favorem hujus, vel illius partis, sed debet partes componere, rem dividere, & si divisibilis non sit, nec partes compositionem recusant, per sortes decidere causam. Ita plures ex probabilistis, & est communis sensus probabilioristarum.

Ra-

Ratio est: Tum quia judex solum est minister justitiæ, si ergo huic favet non habenti majus jus, non operatur secundum justitiam. Tum etiam: quia esset acceptor personarum, quòd est contra omne jus. Tum deinde, quia sententia debet niti veritati, & judicium suum debet judex existimare esse verum: unde si prò una parte sententiam ferret, mentiretur: cum non possit judicare, an res sit istius potiùs quam alterius. Tum denique ut supra n. 437. tetigimus, & inferius q. 3. art. 1. & 2. latius dicemus, stante æquali fundamento nequit intellectus, determinari ad unam partem magis quam ad aliam: esset ergo contra prudentiam, & etiam contra justitiam tale judicium, & sententia.

493 Nec obstat, quod dicebatur de modo damnationis: nam hoc ipso quod damnatur sequela opinionis minus probabilis, indirectè includitur idem esse dicendum, dum est æqualis. Nam ideo nequit judex sequi minus probabilem, quia tenetur judicare secundum veritatem, & justitiam: hæc autem ratio militat dum æqualis est probabilitas. Et ratio, ob quam ita damnata est, fortè fuit, quia sic delata est, & quia raro potest contingere hypothesis de æqualitate omnimoda. Nec est ad rem quod addebatur, nempe, exceptio firmat regulam in contrarium: nam hæc non habet locum, quando res seu objectum, quod dicitur exceptum, est alias illicitum, & prohibitum, vel quando est eadem ratio in illo ac in re expressa. Unde cum detur eadem ratio, ut est probatum, respectu æqualium probabilitatum, ac respectu minoris probabilitatis, idem juris esse debet. Et confirmatur: nam jura expresè excipiunt, & determinant, *cum sunt partium jura obscura, vel æqualia favendum esse reo, possessori, & aliis quatuor causis piis, favorabilibus, & privilegiatis*: in his datur propriè exceptio: ergo firmat regulam in contrarium: nimirum, ubi non fuerit favor à jure concessum, etiam dum sunt æqualis probabilitatis, seu jura obscura; nulli potest favere judex ex arbitrio proprio: iuxta textum in cap. ex litteris deprobat.

ARTICULUS X.

Quænam sit SS. Patrum mens circa usum opinionum, & modum regulandi conscientias.

QUanta sit obligatio viris Catholicis attendere ad SS. Patres non videtur necessarium comprobare, cum sit res adeò perspicua: *Interroga enim generationem pristinam*, ait Job c. 8., *& diligenter investiga Patrum memoriam*. Et c. 12. *In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia*. Et Jeremias 6. hæc dicit Dominus: *state super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea, & invenietis refrigerium animabus vestris*. Et Prob. 22. *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui*.

§. I.

De utilitate, & necessitate doctrinæ Sanctorum Patrum pro resolvendis casibus conscientiæ.

494 QUam utile, & necessarium sit incumbere ad præclara studia SS. Patrum pro re solvendis casibus, & regulandis conscientiis, ex se in dubium est: & manifestum: nec erat necessarium id comprobare. Sed adeò diversa, & peregrina sunt aliquorum ingenia, & dictamina, quod doceant, & opere compleant, parum adhoc assumptum SS. Patres, & Doctores antiquos esse attendendos, sed potius incumbendum esse studio modernorum librorum, præsertim probabilistarum. Unde dimisso D. Augustino circa punctum, quod expresè versat, mittimur à quodam Neotherico, ad alium modernum, cujus non una, sed propositiones plures sunt à Decretis Pontificiis damnatæ.

Cæterum recurramus ad aliud magisterium; quod nullus Catholicus inficiabitur. Concilium Constantinopolitanum 4. œcumenicum 8. Actione decima. Can. 1. *Ut rectam* (ait) *regiamque divinæ justitiæ viam sine erroris offensa teneamus, SS. Pa-*

trum Decreta, velut ut in extinctæ, quædamque lucentes faces, sequenda sunt. Quapropter Sanctiones Ecclesiæ Catholicæ... aut à quovis Patre, & Ecclesiæ Doctore acceptas, servandas, custodiendasque profitemur. Traditiones enim sive per sermonem, sive per Epistolam majorum nostrorum, qui vitæ Sanctitate nobis præluxerunt, acceptas, disertè magnus Apostolus Paulus tenendas monet.

Ita Concilium Trullanum Can. 19. *Per prædictorum Patrum doctrinam* (quos paulo ante appellaverat Ecclesiæ luminaria, & Doctores) *populi ad eorum, quæ sunt bona, & expetenda, & inutilia reiicienda, cognitionem venientes, vitam in melius componunt, nec ignorantiæ vitium dilabuntur. Sed doctrinæ mentem adhibendo, seipsos ad id, ne mali quid eis accidat, excitant, & imminentium suppliciorum metu sibi salutem operantur.*

495 Adrianus II. Pontifex Maxim. in libello per legatos lecto in Synodo 8. œcumenica. *Prima salus est rectæ fidei regulam custodire: deinde à constitutis Dei, & Patrum nullatenus deviare. Unum quippe horum ad fidem pertinet; alterum ad opus bonum; sicut enim scriptum est: sine fide impossibile est placere Deo: sic rursus legitur: fides sine operibus mortua est.* Ubi non solum dicitur deviandum non esse à Sanctis Patribus in rebus fidei, sed etiam in rebus ad mores pertinentibus.

Gelasius I. Epistol. 5. ad Honorium Dalmatiæ Episcopum. *Ubi est quod scriptum est: terminos Patrum tuorum ne transgredieris. Et: interroga Patres tuos, & annuntiabunt tibi, & seniores tuos, & dicent tibi? Quid ergo tendimus ultra definita majorum, aut cur nobis non sufficit, si quid ignorantes discere cupiamus, qualiter ab ortodoxis Patribus, & senioribus, singula quæque vel vitanda præcepta sunt, vel aptanda Catholicæ veritati; cur non his probantur esse decreta? Numquid aut sapientiores illis sumus; aut poterimus firma stabilitate consistere, si ea, quæ ab illis constituta sunt, subruamus.*

Leo IV. Epist. 2. ad Episcopos Britaniæ, postquam dixit in resolventis dubiis recurrendum esse ad Concilia, quorum plura nominat, & ad regulas Præsulum Romanorum, referens etiam plures: addit: *Si tale emerserit, vel contegerit inusitatum negotium, quod minime possit per istos finiri, tunc si illorum quorum meministis, dicta Hieronymi, Augustini, Isidori, vel cæterorum similiter Doctorum similium reperta fuerint, magna nimitie sunt retinenda, ac promulganda: vel ad Sedem Apostolicam referatur de talibus.* Ubi notandum, quod cum essent plures tunc alii Auctores, vel Scriptores, non ad istos, sed ad Ecclesiæ approbatos Doctores, docet Summus Ecclesiæ Pastor esse recurrendum, hæ autem Conciliorum, & Pontificum dispositiones non solum datæ sunt pro illis temporibus, sed etiam pro futuris, & ad perpetuam rei memoriam. Hæc ita sic disponebant; quia corũ scopus erat inquirere, & invenire veritatem; non vero amplecti id, quod indifferens fuisset ad veritatem, & falsitatem, seu quod ad falsitatem magis accederet; ut docet benigna sententia.

496. Has regulas ipsi SS. PP. & Eccl. Rectores optimè didicerunt, & sequuti sunt. D. Bernardus epist. 175. ad Canonicos Lugd. *Numquid Patribus doctiores, aùt devotiores sumus? Periculosè præsumimus, quidquid ipsorum in talibus prudentia præterivit. Nec vero id tale est, quod nisi pretereundum fuerit, Patrum quieverit omninò diligentiam præterisse.*

S. Petrus Dam. epist. 18. lib. 1. seù opusc. 24. c. 1. *Nos autèm quia Magistros habemus Apostolos, seù Apostolicos viros, non debemus, quod nobis videtur eligere; neque quod semel electum est obstinatè, & pervicaciter defensare; Sed his dumtaxat, quæ à probatis Ecclesiæ Doctoribus definita sunt, fidem irretractabiliter adhibere.* Ad Hugonem de S. Victore scribens S. Bernardus, in quodam tractatu. cap. 2. ait. *Ab his duabus Columnis, Augustinum loquor, & Ambrosium crede mihi, difficile avellor; Cum his, inquam, aut errare, aut me sapere fateor.*

497. Prius est, quod ait S. Antoninus par. 2. tit. 4. cap. 5. ante §. 1. *Vadunt ad infernos per vitium præsumptionis novitatum rectores, adinveniendo novas vias ultra consuetas ad regendum populum, sive ut extorqueant à subditis substantias, quo pertinet ad cupiditatem, sive ut lauden-*

tur-

tur ab hominibus de modo regiminis, tamquam ſapientiores antiquis, recedendo ſine cauſa à ſemitis eorum contra illud Proverb. 22. Non tranſgredieris terminos antiquos, quos poſuerunt Patres tui, vadunt Doctores in adinventionibus ſuis, qui non ſequuntur dicta Sanctorum: ſed opiniones novas, ſubtiles, & curioſas, non utiles, ad pruriendum aures.

498. De Angelico Doctore ſuperfluũ eſt aliquid circa hoc punctum dicere, vel auctoritatem afferre: ſiquidem in omnibus ſuis operibus perpetuus eſt tam in practicis quã ſpeculativis in recurſu ad Sanctos Patres, & Eccleſiæ determinationes; idem de Sancto Bonaventura, Sancto Raymundo, ut videre eſt in eorum ſcriptis. Itaque ſtylus Sanctorum Patrum ſemper fuit, poſteriores ferè ſemper anteriorum Sanctorum Patrum veſtigia, & doctrinam fideliter amplecti. Et cur ita, niſi quia inquirebant veritatem, & ubi veritas magis apparebat, illi parti in docendo, & conſulendo, & operando adhærebant: ita quod ſi ex parte illa, quæ non erat legi conformis, dabatur formido conſiderabilis, ab ipſa abſtinebant ob periculum violandi legem, & Deum offendendi, quod eſſe vitandum ſemper ante oculos, & in corde fixum habebant.

Dicet forſitañ probabiliſta; nos etiam Patres noſtros, qui nos anteceſſerunt ſequimur, ſicut Patres antiqui practicabant, & licet quoad manifeſtationem ſanctitatis ab Eccleſia definitam id non habeamus, tamen plures, vel ferè omnes fuerunt, aut ſunt viri docti, de quorum doctrina non debet præſumi à via ſalutis eſſe alienam.

499. Sed dato quod ſequaris Patres, ſeu anteceſſores tuos, eſt neceſſe ſcire, an iſti ſequuti ſint Sanctos Patres anteriores, quod in eorum libris eſt inſpiciendum; & cum Sanctorum Patrum doctrina illorum doctrinam conferre, & pariter videre, an pro ſua doctrina, & probabiliſmo Sanctorum Patrum auctoritates adducant? Videantur priores probabiliſmum in lucem edentes, an ex aliquo Sancto Doctore Eccleſiæ illum ſumpſerint. Poſtea vero, vel coacti nonnullas adducunt auctoritates, ſed quam parum ad rem faciant, non difficultèr agnoſcitur.

Tandem, ſemper eſt notandum, quod tradit Summus Paſtor Alexander VII. apponens motivum cohibendi licentiam luxuriantium opinionum adeò Eccleſiæ pernicioſam: & damnans illas 110. propoſitiones: nimirum, quia talis *modus alienus eſt ab Evangelica ſimplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina*. Et quænam ſit Evangelica ſimplicitas? Ignorantia, & ruſticicitas? Minime. Sed magna perfectio: & ſic Deus in primis ſimpliciſſimus eſt, & compoſitioni, multiplicitati, & duplicitati opponitur. Evangelium ergo ſimplex eſt, & omne duplicitati repugnat; quia ſolum habet *eſt*, *eſt*; *non*, *non*. At probabiliſmus modernus non videtur habere hanc ſimplicitatẽ, ſiquidem habet *eſt*, ſimul, *& non*: cum ſua regula ſit probabilitas contrariarum, & contradictoriarum propoſitionum; utramque ſimul, vel diviſivè dicere, & componere poteſt. Ejuſmodi doctrina, dicant, an ſit propria SS. Patrum vel an non ſit propria? ſi non eſt propria: ergo eſt aliena. Si dicant eſſe propriam: ubi in eorum libris adſunt SS. Patrum relatæ auctoritates, & recurſus ad illos? Sanè, qui diceret ſuam proſapiam eſſe a Regibus, ſeu nobilibus, hoc deberet oſtendere: ita qui docet, aut dicit ſuam doctrinam eſſe, aut contineri in Sanctis Patribus, Concllijs, aut in doctrina Magiſtri & Salvatoris noſtri, hoc oſtendere debet in quibus locis explicitè, implicitè, vel virtualiter habetur.

500. Dices doctrinam probabiliſmi, & ejus viã, fundari in ratione; quod autem huic nititur fundamento, non eſt alienum a doctrina Salvatoris noſtri, nec Conciliorum, aut SS. Patrum. Deinde recurſus ad SS. Patres eſt de re non ſupponente; ſi quidem reſolutio caſuum, ſeu quæſtionum particularium, cum ſint innumerabiles, non invenitur, nec eſt invenibilis apud SS. Patres, ut ex ſe patet: quare neceſſe eſt ad rationum fundamenta confugere: quod auctores probabiliſtæ ita efficiunt.

Huic obiectioni occurrit perdoctus Epiſcopus Gennettus (de quo aliqua ſup. n. 448.

Nullus eſt Caſus (inquit) *ut in hujuſmodi operis proſecutione facile videbitur* (lo-

(loquitur de toto suo opere morali in 7. tomis) *qui non sit expræse decissus, aut saltem Cujus decisio per legitimas, & nullo modo violentas consequentias non possit erui, & haberi ex principijs a Concilijs aut SS. Patribus in materia morali Constitutis*. Sic Genet. t. 1. trac. 1. cap. 1. q. 4.

Et quæst. 5. seq. *Quomodo novi Scriptores sequuti sunt illas plus quam centum opiniones laxas damnatas, ut conqueritur Alex. VII.? (& respondet.) Dubitandum non est multas tantæ cecitatis fuisse Causas. Attamen certum est eam præcipue processisse ex ea temeritate, cum qua multi difficiliores quæstiones ex semetipsis, & ex proprio sensu, & ingenio decidere ausi sunt, dicta SS. Patrum, & canonum requirere, & ponderare non curantes. Non satis considerarunt ingenij humani cæcitatem, eò in quæstionibus moralibus majorem esse, quò voluntas nostra in malum post peccatum Adami inclinata, tenebras intellectus in his materijs plurimum auget: & ita vix, aut ne vix quidem errores vitari posse ab eo, qui sola ratione humana nititur, aut qui verba Scripturæ Sacræ, aut Canonum explicare præsumit, non cum eodem Spiritu, quo à Sanctis fuerunt exposita. Sed potius cnm spiecie quadam humani luminis, & discursu temerario, multumque alieno ab ea humili reverentia, cum qua Christiani Sacris illis morum nostrorum regulis submittere se debent de corde suo contra illud Ezechielis. c. 13. Dices prophetantibus de Corde suo: Audite verbum Domini: Hæc dicit Dominus Deus: Væ prophetis insipientibus, qui sequuntur Spiritum suum*. Hactenus doctus, & pius Episcopus.

501. Idipsum nos docuerat S. Leo Papa Epist. 10 ad Flabian. Episc. Constantinop. c. 1. *In hanc insipientiam cadunt, qui ad cognoscendam veritatem cum aliquo impediuntur obscuro, non ad Propheticas voces, non ad Apostolicas litteras, non ad Evangelicas authoritates, sed ad se recurrunt; & ideo Magistri erroris existunt, quia veritatis discipuli non fuere*. Et quid ipse S. Pontifex practicaret, nimirum viam contrariam luculenter ostendit Epist. 37. ad Leonem Ravennæ Episc. *Præsertìm quidem in diversarum quæstionum ambiguo, fratrum corda titubantia, spiritu Dei instruente, solidamus responsionum formas, vel ex Sanctarum Scripturarum disciplina, vel ex Patrum regulis colligentes*. sic in resolvendo procedebat hic sanctissimus, & doctissimus Pontifex.

Idipsum reperitur in Concilijs Generalibus, & Provincialibus, in Pontificum Despositionibus, ut videre est inipsis, semper aderat attentio, & recursus ad Scripturam Sacram, ad Concilia, & decreta Ponficum antecedentia, ad doctrinam SS. Patrum; præ manibus habetur sacrum œcumenicum celeberrimum Concilium Tridentinum, vbi facile hoc cuilibet constare potest. Idipsum videri potest in ipsis SS. Patribus, in auctoribus antiquis, ut in Vigverio, Raynerio, Sylvestro, Tabiena, Summa Angelica &c, Semper recursus ad Sacram Scripturam, Canones, doctrinam Sanctorum habebant, non contenti solum fundamento rationis humanæ, vel propriæ. Ergo qui non ita procedunt, non videntur in hoc imitari SS. Doctorum vestigia: nec esse propriam Sanctorum Patrum illorum doctrinam. Ad id quod supra n. 498. dicebatur probabilistas esse viros eruditos, & pios, non negamus, sed sunt homines, & non infallibiles, ut supra n. 407. & infra a. n. 799. dicitur.

§. II.

Appellatio, & missio ad Sapientes tutò fit ad SS. Patres.

502. VUlgaris modus resolvendi dubia Conscientiæ est quærere sapientes, aut in se ipsis, aut in eorum scriptis: quod esse optimum medium certum est. Sed est non parum difficilè discernere, qui sint hi veri sapientes? Nam quisque sapientissimos reputat eos, qui vel proprij sunt suæ familiæ, aut scholæ, vel qui suo genio magis concordant, & fortè quos emptos habet. Et quod plus est, quis quamvis sciolus, non sibi vendicat nomen sapientis? Audiatur D. Aug. lib. de vtilitate credendi ad Honoratum c. 13. tom. 8. cum supposuisset Quærendos esse sapientes, inquit: *Hinc rursus, oritur difficillima quæstio: Quonam enim modo stulti sapientem invenire poterimus; cum hoc nomen*

men, tametsi nemo fere audeat palam, plerique tamen ex obliquo sibi vendicant, cum de rebus ipsis, quarum cognitione constat sapientia, inter se disentiant, ut aut nullum eorum, aut certum unum necesse sit esse sapientem? sed quinam est iste: quo pacto queat dignosci plane, atq; percipi omnino non video.

503. Cum ergo recurramus, seu regulariter appellemus ad sapientes & prudentes, & plerumque res ad arbitrium sapientium, & prudentium relinquatur; est dubium, quinam certo, aut tuto sint isti? In primis certum est omnes auctores contentos in Sacris Bibliis esse certissime sapientes, & prudentes, quorum dicta verissima sunt. De Conciliis Generalibus Catholicæ Ecclesiæ nemo contradicet, de Romanis Pontificibus etiam nobis idem exploratum est. Quid autem dicendum de SS. Doctoribus Ecclesiæ, & SS. Patribus? Videtur omnino dicendum, dum de fide, & de moribus agunt, quemlibet etiam in singulari reputandum esse sapientem, & prudentem, eorumque dicta saltem esse plerumque vera, quod nemo facilè nagabit.

De SS. Ecclesiæ Doctoribus probatur: Nam ipsa illos ut Magistros sibi, examinata eorum doctrina diligenter, elegit: illos sua lumina appellat: illos Divinæ legis amatores declarat: illosque nobis Doctores designat: Sed Ecclesia non errat, nec fallit: ergo ipsi nobis esse possunt lumina, & regula, quibus Vivamus.

504. Pro alis SS. Patribus etiam constat: Cum enim ex Ecclesiæ declaratione habemus singulos esse salvatos: ac proinde scivisse pro se saltem rectam morum docrinam: nec aliter alios docuisse; suam docrinam ex fontibus Salvatoris derivasse; prudenter judicari potest esse veram. Deinde ut in eorum libris patenter cernitur; ipsorum doctrina ad virtutem, & sanctitatem ducit frequenter, scripturas sacras scrutabantur, illisque suos libros implebant; & dum alios docebant, indubium est, quod non sine sufficientia id agebant: & tandem de quolibet dici merito potest: *justum deduxit per vias rectas, & ostendit illi Regnum Dei, & dedit illi scientiam Sanctorum*. Sap. cap. 10. Igitur meritò illos, & quemlibet eorum possumus sapientes, & prudentes judicare, & eorum doctrinam plerumque, ut veram, & tutam amplecti. Tandem; quia Doctores Ecclesiæ, & Sancti Patres raró inter se difident, ab initio Ecclesiæ eorum regulæ, & doctrina continuatur, & vix inter ipsos circa res fidei, & morum contradictio reperitur; quod est signum veritatis in ipsorum dictis: nec reperitur in illis *hoc probabile, & illud probablile*: & si aliquando hic terminus in eorum scriptis est, non sumitur in sensu communi prout nunc inter recentiores; sed pro eo quod secundum rationem veram probari poterat.

505. Dices hos sapientes nimis strictos esse; aliosque regulariter placere hominibus: nimiamque esse difficultatem in quærendo nunc in Sanctis Patribus resolutiones morales, aut ex illorum doctrina conclusiones deducere: Cæterum hujusmodi excusatio nullius momenti est. Quod enim in suis doctrinis stricti sint, quid mirum, si non aliter est via salutis juxta doctrinam Salvatoris nostri, & Magistri. Deinde est stricta amantibus in hoc mundo animam suam. Secus verè diligentibus Deum, ut supra à num. 399. ostensum est, & infrà dicemus num. 1038. & 1088. Propterea ab Ecclesia eorum doctrina ut tuta, & salubris nobis proponitur. Secus si aliqua fuerit aliena, vel contraria Sanctorum Patruum doctrinæ: quare huic, & non alteri standum est.

506 Esse difficile deducere ex SS. Patrum libris resolutiones, aut conclusiones morales, si præcise tantum quis versatur in studio recentiorum, non diffitemur: secus si ad antiquos animum applicemus. Habemus Angelicum Præceptorem, in cujus operibus inveniemus ferè omnia necessaria, vel ipsa dubia expresse discussa, vel principia perspicua unde possimus resolutiones deducere. Similiter in D. Bonauentura, S. Antonino, S. Raymondo de Peñafort, & apud ipsos assidua allegatio Sacræ Scripturæ, Sacrorum Canonum, & aliorum SS. Patrum. Idem habetur in aliis Auctoribus antiquis, ex quibus aliquos dedimus §. præced. in fine. Et insuper hæc via, & difficultas jam complanata est à pluribus doctissimis, & pietate pariter insignibus Auctoribus post præfata decreta Alex. & Innoc. quales sunt Episcopus Genetus supra-

supralaudatus. Merbesius in grandi opere morali, Natalis Alexander ex Sacro Ordine Prædicatorum: qui ex puris Sacrorum Canonum, Conciliorum, & SS. Patrum fontibus omnes materias morales non sine ingenti labore, & non minori utilitate tractant, & exponunt contra laxantes quoslibet: neminem probo, neminem nomino. Tandem noviter prodiit in lucem Tribunal Conscientiæ in unico corpore Auctore Mag. Martino Ubigand Ordinis Prædicatorum, qui mira perspicuitate, & brevitate, & non sine pluribus fundamentis resolvit materias morales conformiter ad miram Doctoris Angelici doctrinam. Non ergo adest difficultas, quæ à Probabilistis objicitur in deducendo morales resolutiones ex prædictis veris doctrinis.

507 Sed inquires. Proposuisti SS. Patres esse sapientes, & prudentes ad quos tuto possumus appellare, & illis adhęrere: Nunquid supersunt alii sapientes, & prudentes præter declaratos ab Ecclesia, ut dictum est? Respondeo aliquos esse, sed non plurimos; nam certum est doctrinam in Ecclesia habituram perpetuitatem, ut tutò per illam homines viam salutis incedant. Quinam autem sint non meæ exilitatis est illos nominare, odiosum nimis foret, & lite plenum, cur hos, & non illos designaverimus. Duo breviter animadverto; primum, quod non habeat quis ante oculos cordis aliud quærere in Auctoribus nisi veritatis inventionem, & hoc sincero corde, & postposita omni passione humana, aut inclinatione, affectioneve transitoria, aut temporali. Secundum, ut caveat affici, vel allici ad Auctorem, vel Auctores, quia suæ nationis sunt, vel suæ gentis, aut familiæ, & sic ejus doctrinas facere suas: quod non raro contingit ob affectiones, & proprietates, sed omnino attendat, an regulariter anttingant veritatem, habeantque claram famam pietatis, & eruditionis, nec in modo resolvendi contra legem laxi sint.

508 Demū quando Authores disident interse, ità ut tam in numero, quam in qualitate auctoritatis, & quoad fundamenta sunt æquales, seu ferè æquales, cum solum possint verum dicere, qui ex una parte sunt, quia ex alia falli necesse est, (implicat utraque dicere verum,) Sapientes dici non possunt. Quoniam ut docet D. Augustinus de utilit. credendi cap. 15. *Deus enim est veritas, nec ullo pacto sapiens quisque est si non veritatem mente attingat*. Sed de hoc etiam tractatur infr. quæst. 4. art. 4. Illos tamen more solito, uel Urbanitatis causa sapientes appellamus, aut propter eruditionem, quam ostendunt, aut quia in multis veritatem suis discursibus attingunt; licet in dissidio apposito illis non assentiamur.

§. III.

Modus regulandi conscientiam per doctrinam sententiæ benignæ non videtur conformis doctrinæ Sanctorum Patrum.

509 Certum est non reperiri in aliquo Ecclesiæ Doctore, aut S.Patre, posse summi pro regula honestatis opinionem minus probabilem, nec illam, quæ æquè est indifferens ad verum, & falsum, seu ad bonum, & malum: & multo minus illas reflexiones; *Qui operatur probabiliter, operatur prudenter*; nec illas de non sufficienti promulgatione legis, de possessione libertatis in omni materia, nec illam distinctionem de peccato materiali, & non formali, ubi est dubium de legis existentia prout à probabilistis affertur,) Et ideo nec Medina, nec alii celebriores, qui per multum tempus modum opinandi sententiæ benignæ amplexi sunt, mentionem aliquam fecerunt alicujus S.Patris: quod non omitterent, si in illorum doctrina aliquod subsidium in suum favorem daretur. Quare signum est latuisse SS. Patres formam vivendi per recentiorum doctrinam; atque adeò non esse illis conformem: Et si non latuit illam, ut non tutam rejecisse.

510 Dices: Non mirum potuisse latere SS. Patres, & illam in lucem protulisse alios Auctores; Siquidem multa noviter inventa sunt, quæ alios antiquiores latuerunt. Sed contra. Quamvis enim circa artes aut liberales, aut mechanicus id contingat, secus in materiis circa fidem, & mores in ordine ad congruentius, & debitè regulandas conscientias. Unde D. Th. 2. 2. quæst. 1. art. 7. ad 4. ait: *Ultima*

con-

consummatio gratiæ facta est per per Christum; unde & tempus ejus dicitur tempus plenitudinis Galat. 4. *Et ideo illi qui fuerunt propinquiores, Christo, vel ante, sicut Joannes Baptista, vel post, sicut Apostoli, plenius mysteria fidei cognoverunt: quia circa statum hominis, hoc videmus quod perfectio est in juventute, & tanto habet homo perfectiorem statum, vel ante, vel post, quanto est juventuti propinquior.* Ubi Cajetanus commentatur: *in determinatione quæstionum fidei standum est doctrinæ antiquorum Doctorum SS. Patrum, quos illustratos divino lumine, & quoad doctrinam, & quoad vitam magis, quam posteriorum, ubi discrepant posteriores ab illis.* Hæc Cajet. Qui non solum loquuntur de doctrina præcisè fidei, sed etiam vitæ; ut ait Cajetanus; & Ang. Doct. docet tunc habuisse perfectiorem statum quoad doctrinam, & vitam: perfectio autem non consistit in sola fide.

511 Forma igitur docendi, & vivendi, quæ non est ad præscriptum SS. Patrum admittenda non est. Unde Noster Divus Cyrillus Alexandrinus ad Nestorium: *Plurimum refert*, ait, *si ad SS. Patrum scripta, quam maximè illa facere studeamus: iterumque, atque iterum an ad præscriptam ab illis fidei formam vivamus explorantes, omnesq; nostras cogitationes, rectis illorum inculpatisque sententiis scitè conformare satagamus.* Non ergo modo docendi regulare conscientiam per recentiorem probabilismum, sed formæ, & modo SS. Patrum conformari debemus: quia cum careat Sanctorum auctoritate, alienus à veritate censendus est.

Non modo caret talis modus SS. Patrum suffragio, sed ex eorum doctrina positive colligitur contrarium. Imo clarè id docet S. Chrysostomus in Epist. 2. ad Corinth. cap. 13. Sic nos hortatur, & docet. *Ne igitur multorum opiniones habeamus, sed res ipsas* (hoc est rei veritatem) *inquiramus. Quomodo autem non absurdum propter pecunias aliis non credere, sed ipsas numerare, & supputare: pro rebus aliis nō credere, pro rebus autem amplioribus aliorum sententiam sequi simpliciter? Præsertim cum habeamus omnium exactissimam trutinā, & gnomonem, & regulam, divinam inquam legum assertionem. Et ideo obsecro, & oro vos omnes, ut relinquatis quidnam huic, vel illi videatur, de quo his ab scripturis hæc omnia inquirite.*

512 Ubi S. Doctor evidenti ratione demonstrat suam assertionem: *propter pecunias aliis non credere &c. pro amplioribus, seu excellentioribus, quales sunt ad animæ salutem pertinentes, aliorum sententiam sequi simpliciter*: idest sine discussione, an res in se ita se habeat. Quid aliud est doctrina probabilismi? in rebus humanis, mercibus &c. res ipsas inquirimus: an sit Deus diligendus & quando; an sit licitum hoc, vel illud; in praxi probabilismi non ita: Sed quidnam huic, vel illi videatur: Cęterum Doctor S. orat omnes, ut hoc tamquam absurdum relinquamus, & ab Scripturis Sanctis hoc inquiramus; via probabilismi hunc modum cum sanctis reliquisse videtur, quos rarò memorat.

Idem docet Os aureum homil. 44. in Mathæum. *Si vestimentum empturus unum giras negociatorem, & alterum; & ubi meliores vestes inveneris, & pretio viliori ab illo comparas. An non oportet populum circuire omnes DD. & inquirere ubi sincerè veritas Christi vēditatur, & ubi corrupta, & veriorem eligere plusquam vestimentum.* Quid clarius contra modum dicendi recentiorum? Hi docent te posse plures Auctores girare, usque dum invenias aliquem, vel aliquos, qui licitum tibi dicat, de quo dubitas esse mortale, tametsi prius invenisses plures, & urgentiori fundamento asserentes contrarium. Numquid tunc quæreres sincerè veritatem Christi? aut potius te ipsum, tuamque commoditatem circa res transitorias? Item, dum consultor evolvit Auctores præsertim probabilistas, ut quærat probabilitatem, & si illam invenit, licet judicet ibi adesse falsitatem, securitatem præstat, quærit sincere tunc veritatem Christi? Et quid urgentius quam illatio S. Doctoris ex similitudine quærentium vestem? Si dicas loqui de veritate practica reperta in opinione probabili, confundis probabilitatem cum veritate Christi, quæ est prima, & infallibilis veritas. Deinde in vi sua manet paritas: nam empturus vestem non sequeretur ejusmodi probabilitatem, aliàs haberetur stultus.

513 Auctoritates D. Basilii M. & D. Isidori supra art. 8. §. 1. num. 463. adduximus.

ximus. Similiter S. Gregorius Nazianzenus; *At plerisque secus videtur, inquies. Quid vero mea interest, qui rei veritatem magis curo? Hoc enim vel me condemnaverit, vel absolverit; hoc ipsum miserum, vel beatum rediderit. Quid aliis videtur, quid ad nos, quemadmodum neque alienum somnium?* Ita orat. 27. Ad conscientiæ securitatem docet non satis esse scire, quod aliis multis videatur: Sed esse necessarium judicium ferre de veritate, seu esse circa veritatem securum.

514 D. Bonaventura, de processu Religionis processu 5. cap. 3. *Dubia interpratatio pracepti est periculosa, sicut pons semiputridus à qua præcipitis, & profundæ, de quo dubium est, an sub transeunte corruat, an subsistat.... Ut si Deus approbet illam opinionem evadet, sine lucro meriti, si autem reprobet damnetur: Maxime cum tales opiniones quandoque periculiosiores sunt, quam apertæ transgressiones: quia ubi scit homo se delinquere, inde facile corrigitur: Ubi autem nescit se peccare, & insuper credit sibi licere, inde nec in morte purè convertitur propter falsam spem, quod forte licuerit, vel minus in eo peccaverit, baculo aruudineo, & confracto innitens.* Hactenus Doct. Seraph. Ubi satis indicat periculum eligendi opiniones, & non sufficere illam reflexionem adinventam recentiorum: nam dicit: *insuper credit sibi licere*, & tamen non ob hoc illum excusat.

Deinde in eodem opusc. cap. 28. *Cum Deo disputare velle stultum est, & quasi velle convincere eum, ut non debeat judicare hoc esse peccatum mortale, quod nostra opinio non vult pro mortali habere. Sua extimatio est regula justitiæ infallibilis, non nostra angulosa opinio, quam nostram conscientiam appellamus. Solis radius numquam facit angulum, semper enim directe in opposita sibi ferit, sive enim nobis appareat, sive alites extimemus.* Alias adducit auctoritates, & ponderat Tyrsus de recto usu opin. dissert. 13. à num. 36.

§. IV.

Ex aliis SS. Patribus roboratur assumptum.

515 Divus Antoninus in propriis terminis versat præsens punctum, & cum sit adeò perspicuus pro antiqua sententia, nonnulli recentiores dicunt stare clarè pro sua tamquam antesignanum. Nam 1. par. summ. tit. 3. cap. 10. § 10. Regula 6. in medio, ait. *Solet autem impedire proportionem scrupulorum sententia aliquarum auctoritatum non bene intellectarum; & ideo declarandæ sunt: ut illa, quæ habetur extra de sponsalib. scilicet: in dubiis tutior pars est eligenda, propter quod scrupulosus eligit viam rigidiorem. Sed ad hoc respondetur; quod eligere viam tutiorem consilii est, non præcepti.* Quid clarius contra probabilioristas?

Sed non sistendum solum in verbis relatis, truncata S. Præsulis doctrina. Itaq; docet nonnullas regulas pro scrupulis removendis, & in sexta præallegata, docet aliquorum auctoritatem impedire remotionem scrupulorum: eo quod nesciunt scrupulosi intelligere illam comparationem *tutior pars in dubiis est eligenda*. Nam aliquando comparant tutum, seu certò bonum cum meliori bono, & trepidant, tunc an ex vi regulæ prædictæ juris, & D. Augustini; teneantur ad melius, & perfectius. Neque advertunt se ipsos, tunc non esse de dubiis, de quibus loquantur auctoritates illę, nam hę loquuntur de dubiis alicujus objecti, an sit illicitum. Et ideo respondet D. Antoninus, *eligere tutiorem esse consilii, & non præcepti*. Adducitque exemplum: *Alioquin oportet multos ingredi Religionem in qua tutius vivitur, quam in sæculo. Non ergo de necessitate oportet tutiorem eligere, quando etiam alia via potest eligi tuta*. Loquitur ergo manifeste de comparatione viæ certo tutæ ad perfectionem.

Deveniendo verò ad dubium, vel quęstionem, dum occurrunt oppositæ opiniones circa objectum, an sit illicitum: Adducta illa sententia Eccli. c. *Qui amat periculum, peribit in illo*; subdit: *Hinc est, quod B. Thomas, & alii dicunt, quod ille, qui*

agit

agit id, de quo est dubium: Utrum sit mortale, vel non, peccat mortaliter, quia periculo se exponit mortalis. Cùm ergò in aliqua materia morali sunt variæ, & contrariæ opiniones, ille, qui adhæret opinioni latioris viæ, videtur se exponere periculo mortalis, quia in dubio, cùm possit illa opinio esse falsa. Sed ad hoc respondetur: quod utique iste, qui agit scienter, de quo dubitat esse mortale, permanente dubitatione, mortaliter peccat, etiam si illud in se non esset mortale, sumendo propriè, & strictè dubitationem; videlicet prout rationes sunt æquè ponderantes ad utramque partem, nec magis declinat ad unam, quàm ad aliam. Hactenus D. Antonin. Ubi manifestè loquitur de dubio probabili, & nuncupat dubitationem propriè, & strictè, dùm intellectui æquales rationes, vel opiniones sunt æquè probabiles.

516 Iterum se explicat subdens: *Sed si quis dubitet leviter per modum scrupuli, sicut dubitat, seu formidat habens opinionem de aliquo, quia ita inhæret illi sententiæ, quod tamen formidat de opposito. Sic agendo contra tale dubium, dum adhæret opinioni alicujus Doctoris, & habet rationes probabiles pro ipsa magis, quàm pro opposita opinione, etiam si ipsa opinio, quam ipse tenet, non esset vera. Talis enim non operatur in dubio mortalis; sed secundùm opinionem probabilem.* Quis non videat in præallegatis auctoritatibus perspicuè traditam doctrinam, & viā probabilioristarum, & quàm ex diametro se opponit viæ recentiorum. Et hinc apparet, quid censendum sit de vocibus plurium recentiorum dicentium: nos velle introducere in Ecclesia Dei hanc novitatem periculosam probabiliorismi, dum adeo clarè, & absque controversia in hoc Patre doctissimo, & Sanctiss. traditum reperitur.

Nec est ommittenda ejusdem Sancti doctrina d. 1. part. tit. 20. cap. unico §. indubiis: Ubi doctrinam præallegatam ex professo exponit; dicens. *In dubiis tutior pars est eligenda: Istud dictum, quod est quasi regula; sic consuevit allegari communiter; & est sumptum ex cap. juvenis de sponsalib. &c. Nota tamen, quod est dubium probabile, & est dubium scrupulosum. De probabili hic loquitur: Cùm scilicet rationes sunt ad utramque partem quasi æquales, & peccatum grave est se exponere tali dubio, ubi est mortale. Est & aliud scrupulosum, ubi scilicet ex levi suspitione timet quis in aliquo actu esse peccatum, ubi non est; & istud ad consilium boni Viri est deponendum.* Gregor. *Bonarum mentium est, ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est; idest timere, non tamen asserere*, dist. 5. ad ejus.

517 S. Bernardinus, qui obiit ann. 1443. tom. 1. fer. 2. post Quinquag. art. 3. cap. 1. in fine, ait: *Secundum Scotum, & Hostiensem quandò sunt diversa jura, & opiniones, quæ tamen non sunt contra Deum, & bonos mores, cæteris paribus humanior præferenda est, cap. fin. de transaction., aliàs enim standum est illi, qui meliori rationi innititur.* Hæc S. Bernardinus. Ubi distinguit, si agatur de pœnis infligendis, & non sit in jure determinatum quid faciendum, sed sit sub opinionibus, Iudex humaniorem debet sequi, de quo dictum est supra artic. præced. à num. 479., & ad hoc citat dictum cap. fin., quod de pęnis imponendis à Iudice tractat, ut ibi docet Glosa: *At si agatur de rebus circa mores, aut offensam Dei, debet stari opinioni, quæ meliori rationi nititur*; & ad hoc citat cap. *Cappellanus de feriis*; Ubi agitur de moribus; & ideo allegat pro se Scotum, qui expressè docet nostram sententiam in Prologo lib. Sent. qu. 2. in fine: *Multa in actibus humanis sunt dubia, utrum sint peccata mortalia; etiam suppositis omnibus doctrinis Doctorum, & Expositorum. Tamen non est dubia via salutis; quia à talibus tanquam à periculosis debet homo sibi cavere, & se custodire, nedum exponit se periculo, nè incidat in peccatum*: ita Scotus.

§. V.

Doctrina Cœlestis S. M. Tharesiæ circa opiniones.

518 Adeo hæc Magistra Seraphica sapientia cęlesti illustrata fuit, & ejus prudentia omnibus cognita, quod in omni ferè materia ad ipsam, ut ad Cœleste Oraculum accurrebatur. Et ideo Pater Gratianus cum orta fuisset non levis quæstio circa conscientiæ obligationem, sapientissimam Magistram consuluit. Cujus responsio habetur in tom. 2. suarum Epistolarum Epist. 36. *Quanto alas contiendas,*

(ait) *que dice de las opiniones me he olgado mucho, que V. Paternidad aya sustentado lo mejor. Que aunque esos Padres ternan bastantes razones; mas terrible cosa es a quella hora non hacer lo mas seguro, sino acordarse de puntos de honra; que ja alli se acaba la del Mundo, y se comienza à entẽder lo que nos importa solo mirar la honra de Dios. Quiza te mieron major daño con la alteracion de la enemistad. Verdad es que Dios provee con la gratia, quando nos determinamos a hacer por solo el una cosa. V. P. no tiene que tener pena en ese caso: mas sera bien que de alguna razon en disculpa de esos Padres.*

Idest: *Quantum ad contentiones, quas mihi exponit circa opiniones, valde lętata sum, quod P. V. quod tutius est, sustinuerit. Nam tametsi Patres illi rationes sufficientes habebunt: At terribile est in illa hora non efficere, quod est tutius, sed apices honoris reminisci, dum jam Mundi gloria evanescit; & incipit percipi, quantum nostra interest, solùm ad Dei honorem attendere. Forsitan majus detrimentum timuerunt ob perturbationem inimicitiæ. Verum est, quod Deus providet sua gratia, dum nos deliberamus quãlibet rem propter ipsum solum facere. P. V. nihil mœroris habeat in ipso casu. Cœterum bonum erit, quod P. V. aliquam rationem prębeat in excusationem Patrum illorum.* Hæc Seraph. Magistra.

519 Ubi in Scholio præallegatæ Epistolæ P. Fr. Petrus ab Annuntiatione quondam Prælector nostri Collegii Segobien. Vir pius, & non parum eruditus sic scribit: *Ex num. 2. apparet, quod P. Fr. Hieronymus antequam discederet à Compluto, disputationem habuit cum quibusdam Religiosis, qui opinionem parum tutam propugnabant pro mortis periculo; cui fortiter se opposuit. Et super hoc consuluit Ecclesiæ Doctricem. Et ex ejus responsione colligitur, quæstionem fuisse: Utrum offensus in hora mortis teneatur reconciliari offensori? Et cum hæc difficultas talis sit, quod in eius resolutione, magis doctus multum temporis, & papyri insumeret, id quasi duobus verbis pro parte affirmativa S. Mater exequitur. Et rationem reddit; quia durum est non facere in hora illa, quod est tutius, sed reminisci inanis æstimationis proprii honoris cum salutis æternæ periculo. Quod motivum afferunt, qui sentiunt, quod in hora mortis datur obligatio operandi, quod tutius, & probabilius est. Nihilominus pusilanimitatem meam fateor; quod opinionẽ hanc percipere nunquam potui; & qualiter opinio, quæ tuta non est in casu mortis, pro vitæ tempore tuta sit. Dicent, quod ob periculum, cui exponitur, cui post mortem nullum potest adhiberi remedium. Benè: ergò jam periculum est illi opinioni minus probabili adhærere; undè hæc opinio à Seraphica Ecclesiæ Magistra qualificata, & approbata est.* Hactenus P. Fr. Petrus ab Annuntiatione.

520 Sed quia singula verba Magistræ Cœlestis adducta, plena sunt vera sapientia, dignaque attenta ponderatione, & reflexione, aliquam notulam addere existimavi: *Valdè lætata sum*, inquit: non quia P. Gratianus sustinuit opinionem faventem commodo, & levamini operantis secundùm carnem, & sanguinem; sed quia defendit tutam prospicientem veram animę salutem, & Dei honorem, ut postea dicit. Secundo ait: *Nam tametsi Patres illi rationes sufficientes habebunt*. In quo supponit apud illos Patres opinionem ipsorum fuisse absolutè probabilem, cùm haberent sufficientes rationes, & essent Viri pii, & docti, aliàs non auderent disputare cum Patte Gratiano viro pio, & valdè erudito. Nihilominus respondet Magistra N. *Terribile est in illa hora non efficere quod est tutius*. Terribile idem est, ac formidabile, horrendum, ut exponit Calepinus. Sic nuncupat Sancta usum illius opinionis minus tutæ faventis libertati contra legem. Nec ad significandum esse periculosum, & non tutum, energia majori uti poterat. In quo manifestè opponitur communi modo loquendi recentiorum appellantium sententiam, seu opinionem stantem pro libertate, benignã, ejus usum salubrem, animabus proficuum: Cœterum apud doctrinam Sanctorum, non ita. Tertiò: *Verum est, quod Deus providet sua gratia* (prosequitur) *dum nos deliberamus quamlibet rem propter ipsum solum facere*. In his verbis docet, quamnam intentionem, & finem debemus habere, nimirum, *propter Deum solum*; præterea docet modum inveniendi in dubiis rectas resolutiones circa conscientiam, posito dicto fine; ad ipsum Deum recurrere, qui sua gratia providebit. In quo excludit difficultatem, quam plerique

que aſſumunt pro excuſatione ad ſequendam utramque partem probabilem; quia non eſt poſſibilis veritatis inventio: Contrarium nos docet Magiſtra N. *Verum eſt Deum providere ſua gratia, cui nihil eſt impoſſibile.*

521 Ulterius ipſa Seraphica Doctrix refert in cap. 5. ſuę Vitæ, quod ſibi contigit, ut fideles caveant periculum ſequendi doctrinas. Dicit detrimentum grande, quod paſſa eſt adhærendo opinionibus quorundam Confeſſariorum: *Quod erat veniale peccatum* (ait) *mihi dicebant nullum eſſe: quod mortale graviſſimum erat, aſſerebant eſſe veniale. Hoc mihi tantum damnum attulit, quod non ſit multum, quarè narrem hìc, tanquam monitum pro aliis, ut tantum malum caveant. Ante Deum enim benè video mihi excuſationem non eſſe. Sufficiebat namque res ex natura ſua bonas non eſſe, ut illas mihi caverem. Credo Deum ob mea peccata permiſiſſe, ut ipſi deciperentur, & me deciperent: Ego etiam alias decepi, dicens illis idipſum, quod mihi dictum fuerat. In hac cęcitate perſtiti, ut credo, per 17. annos, uſque dum Pater Dominicanus errore me liberavit.* Hactenus S. Thereſia: In quo eſt ſupponendum veritatem dicere; ipſamque exiſtimaſſe Confeſſarios licita docere; deindè Sanctam illa exequi ſine remorſu conſcientiæ. Et quid aliud debebat exiſtimare fœmina in rebus moralibus, niſi credere Confeſſariis, quos pios, & doctos exiſtimabat? In talibus circunſtantiis non haberet Probabiliſta difficultatem, quod honeſtè, & meritoriè operabatur S. Thereſia; & quod nullum detrimentum, ſed potius profectus in virtute adveniebat illi: & tamen contrarium experta eſt; Nam verum eſt illud: *Si cæcus cæco ducatum præſtat, ambo in foveam cadunt.*

522 Sed dices circa primam auctoritatem S. Thereſiæ: quod ibi loquitur expreſsè de opinione in periculo mortis, ubi adeſt diverſa circunſtantia tunc, ratione periculi ammittendi vitam æternam. Sed contra: nam in magis communi ſenſu probabiliſtarum idem eſt in vita, ac in mortis periculo; ut latè probat Baptiſta 1.2. diſp. 208. dub. 9. Quia extra articulum mortis ita tenetur homo vitare peccatum, ac in mortis articulo. Secundò, quia articulus mortis non habet aliam legem Dei, aliam conſcientiam, aliam regulã morum, quàm tractus vitæ. Tertiò: quia conſcientiam excuſare à peccato conſiſtit in indiuiſibili, cùm nulla detur major ſecuritas, quàm non peccare. Ita hic celebris probabiliſta, & tandem infert: *Contrariam ſententiam nullam, vel parvam habere probabilitatem.* Cùm ergò S. Thereſia ſic rejicit illam opinionem, licèt probabilem in articulo mortis, idem dicendum ſenſiſſe etiam extra in vitæ decurſu; & quod non aliter reſponderet, evidenter eſt nobis credibile.

523 Adſtipulatur doctrinę S. Matris judicium ejus ſocii, & filii tam in vita, quàm in doctrina ſimillimi, B. Joannis à Cruce N. Doctor. Myſtici, & Parentis; qui *libros cęleſti ſapientia refertos de Myſtica Theologia conſcripſit admirabiles planè omnium judicio*: Verba ſunt ſan. mem. Innocentii XI: in quodam Brevi ſpeciali. Hic Vir piiſſimus, & doctiſſimus in ſuis ſententiis, ſent. 7. ait: *Si quis tibi perſuadere conetur doctrinam laxam, tametſi miraculis eam confirmet, ei credendum non eſt.* Quam ſententiam allegat Genettus Epiſc. to. 1. c. 1. q. 8. pro noſtra ſententia contra viam probabiliſmi.

ARTICULUS XI.

De doctrina D. Auguſtini circa uſum opinionum.

§. I.

Juxtà D. Auguſtini doctrinam tenetur quis quęrere veritatem, nec aliter poteſt aſſentiri ſententiæ faventi libertati, niſi quandò ſibi perſuadeat eſſe veram, per ſe excludentem prudentem formidinem.

524 IN pluribus locis S. Doctor hanc verſat materiam, ex qubus aliqua adducemus in præſenti. Epiſt. 6. *Omnes*, ait, *aut ſumus, aut tenemur eſſe Cives illius Civitatis, cujus Rex, & Imperator eſt veritas, nè ſimus ex alia, cui falſitas dominatur, & vanitas.* Lib. 22. de Civit. Dei cap. 23. *Excubandum eſt, nè opinio veriſimilis fallat, nè decipiat ſermo verſutus; nè ſe tenebræ alicujus erroris offundant; nè quod bo-*

num est, malum, aut quod malum est, bonum esse credatur, nè in his, quæ agenda non sunt cupido præcipitet. Cujus periculi rationem præbet Serm. 12. de tempore; ibi: *Nam voluntatis propensio auctoritatem vitiis quęrit, & quod malum est, bonum, aut bono proximum esse suadet*. Igitur secundùm hanc doctrinam debemus sollicitè quærere veritatem, & non facilè credere, seu adhærere dictis Scriptorum, imò nullam fidem adhibere illis, quatenus æquè amplectuntur utrumque probabile simul in praxi, siquidem certum est tunc suadere malum ut bonum, & bonum ut malum: Utrumque enim, cùm sint contradictoria, bonum simul esse non possunt.

525 Lib. 1. contra Academicos cap. 4. *Quisquis minus, quàm oportet, veritatem quęrit, is ad finem hominis non pervenit. Quisquis autem quantum homo potest, ac debet, dat operam inveniendi veritatem, etiam si non inveniat, beatus est, seu eximitur à peccato, totum enim facit, quod, ut faciat ita, natus est*. Et lib. 12. cap. 25. acriter invehitur contra nimis adhærentes sententiis suis: *Superbi sunt, neque noverunt Moysi sententiam, sed amant suam, non quia vera est, sed quia sua est. Alioqui, & aliam veram pariter amarent, sicut & ego amo, quod dicunt quando verum dicunt, non quia ipsorum est, sed quia verum est*. Quid cum hac doctrina illa recentiorum, juxta quam nunc dat quis consilium Petro talem contractum non esse usurarium, & Joanni postea contrarium; & hoc licèt judicet sententiam huic faventi esse falsam? Facit nè hoc, quia judicat esse verum? Minimè: Sed quia quatuor, vel quinque Auctores hoc dicunt. Certissimum est in uno ex illis duobus errare; quod damnat idem S. Doctor tom. 2. Epist. 7. *Nimis perversè amat, qui & alios vult errare, ut error suus lateat. Quantò melius, & utilius, ut ubi ipse errarit, alii non errent, quorum admonitu errore careat. Quod si noluerint, saltem comites erroris non habeat*.

Item lib. 2. cap. 8. cujus verba referuntur in cap. in Canonicis, 6: 19. dist. ait. *In Canonicis Scripturis Ecclesiarum Catholicarum, quam plurium auctoritatem sequatur. Inter quas sane illæ sunt, quæ Apostolica Sedes habere, & Epistolas accipere meruerunt. Tenebitur igitur hunc modum in Scripturis Canonicis, ut eas, quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis, præponat eis, quas quædam non accipiunt. In his vero, quæ non àccipiuntur ab omnibus, pręponat eas, quas plures, & graviores accipiunt, eis, quas pauciores, & minoris auctoritatis Ecclesiæ tenent*. Hæc S. Doctor: cur non ait posse tenere quaslibet, etiam si essent Ecclesiæ minoris auctoritatis, nisi quia est probabilius, & consequenter in casu posito tutius? ergo ex mente Augustin. illicitum est usus opinionis minus tutæ, & minus probabilis.

526 Si dicas D. Aug. loqui de Scriptura, & ejus usu in his, quæ expectant ad fidem, non vero in his quæ ad mores pertinent. Contra: nam præterquamquod esset absurdum non debere nos ad Sacram Scripturam recurrere in pertinentibus ad mores, sicut in pertinentibus ad fidem, ipse S. Doctor expresè loquitur etiam de concernentibus ad mores; ut post relata verba prosequitur. *In his omnibus libris timentes Deum, & pietate mansueti quærunt voluntatem Dei, cujus operis, & laboris prima observatio est nosse istos libros; deinde quę in eis apertè posita sunt, vel præcepta vivendi, vel regulæ credendi; solertius, diligentiusque investiganda sunt, quæ quanto quisque plura invenit, tanto est intelligentia capacior*. In iis, quæ aperte in scriptura posita sunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem, moresque vivendi. Quàm diversus modus sentiendi in SS. Patribus invenitur circa inventionem veritatis circa mores, à modo sentiendi, & loquendi aliquorum recentiorum. Non ergo est limitanda doctrina D. Augustini., & aliorum SS. Patrum circa modum regulandi conscientias, & opinandi ad controversias fidei.

527 Cæterum ubi ejus divinum ingenium hanc controversiam de usu opinionum exprofesso profunde discussit, videre oportet librum 3. contra Academicos, prętertim cap. 16, quem locum referunt Auctores doctissimi, maximè, qui impugnant modum opinandi recentiorem, asserentes D. Aug. ibi referre, & refellere modum opinandi, quem profitebantur academici, esseque eumdem, qui in via probabilismi his temporibus defenditur: nimirum: cum quis

quis agit, quod sibi probabile videtur, non errat, nec peccat. Quod validè impugnat S. Doctor ostendens hujus modi doctrinam omnibus criminibus patrocinari; eò quòd, quisque facile sibi persuadebit id, quòd perpetrat esse sibi probabiliter licitum.

Itaque refert ibi D. Augustin. doctrinam Academicorum, qui ita asserebant: *Turpe est errare: & ideò nulli rei consentire debemus: sed tamen dum agit quisque quod ei videtur probabile; non peccat, nec errat. Id ergo* (inquit Aug.) *adolescens, cum audierit insidiabitur pudicitiæ uxoris alienæ.* Et latè prosequitur S. Doct., probans quod ex doctrina illa probabilitatis infertur, *si potest quis vivere ex proprio probabili, vel ex alieno, inveniet excusationem peccati, nec à judice debere condemnari. Vos* (ait) *me jocari arbitramini. Libet dejerare per omne divinum; nescire me prorsus, quomodo iste peccaverit, si quisquis, quod agit probabile videtur, non peccet..... Taceo de homicidiis, parricidiis, sacrilegiis, omnibusque omnino, quæ fieri, & excogitari possunt, flagitiis, aut facinoribus, quæ paucis verbis, aut quod est gravius, apud sapientissimos judices defenduntur? Qui autem non putant ista persuaderi probabiliter posse, legant orationem Catilinæ, qua Patriæ parricidium, quo uno continentur omnia scelera, persuasit. Illud est capitale, illud formidolosum, illud quoque optimo cuique metuendum, quod nefas omne, si hac ratio probabilis erit: cum probabile cuique visum sit esse faciendum, non solum sine scelere, sed etiam sine erroris vituperatione committatur.* Hactenus D. Aug. videtur ergo S. Doctor refellere manifestè modum discorrendi, seu inferendi: *probabile*: ergo *licitum*: ergo *non peccat, non errat*: ob maxima inconvenientia, quod ponderandum maximè persuadet.

§. II.

Explicatio circa doctrinam D. Augustini refellitur.

528 Respondebis cum professoribus contrariæ sententiæ, D. Augustinum non improbare, nec impugnare veram probabilitatem, quam statuit benigna sententia; sed quamdam probabilitatem chimericam, & sophisticam. Quod colligitur, tum ex ipsis criminibus, quæ commemorat ibi in cap. 15. antecedenti ad allegatum cap. 16. quæ ab omnibus peccata censentur: & ideo nequeunt vera probabilitate defendi. Tum etiam ex verbis ipsius S. Doctoris supra à nobis relatis: *Non enim faciendum esse adulterium pro vero habuit: probabile occurrit; sequutus est, fecit.* Si ergo pro vero habuit; quomodo verè probabile esse existimavit? Sed contra: Namque Augustinus datam præoccupat, & reiicit responsionem: Quoniam probabilia, de quibus ibi agit, testatur, quod apud *sapientissimos judices defenduntur*, qui non alii, nisi viri sapientes judicantur. Quid aliud repetunt recentiores, nisi recurrendum esse ad sapientes, ut quid probabile practice habeatur? ergo qui illos sapientissimos sequebantur probabile practicè poterant existimare. Confirmat in exemplo Catilæ, ad cujus orationem de Patriæ parricidio perlegendam remittit: *Qui autem putat &c.* existimat ergo S. Doctor crimina illa aliqua vera probabilitate suaderi, esse licita, quam excusare non posse contendit contra Academicos, ac consequenter idem videtur contra opinantes recentiores.

529 Nec refert quod relata crimina censeantur apud omnes manifesta peccata. Quoniam licet nudè, & absolutè sumpta, & suo nomine nuncupata, horrifica censeantur ab omnibus: secus potest contingere quando probabili aliquo colore cohonestantur in individuo, ut in aliquibus casibus. Poterunt enim talibus apparentiis vestiri per ingenia subtilia, quod fiat existimatio extrahi à ratione homicidii, perjurii &c. Et alii videntes, à sapientibus sic propugnari, poterunt existimare esse probabile, & consequenter licitum. Neque enim Catilina nudum, & absolutum homicidium persuasit, sed veræ probabilitatis fucco cohonestatum. Nec D. Aug. contra Academicos præfata crimina nudè, & absolute sumpta, suaderi posse probabiliter licita, prætendit, sed alio aliquo titulo probabiliter ea cohonestante.

530 Quod autem hoc ita evenire possit, quis inficiabitur? Ad eamus Auctores, & non paucos, qui non parum sapientes ha-

habiti sunt. Nonnulli docuerunt licitum esse dari temporale pro spirituali, quando temporale non datur tamquam pretium; sed dumtaxat tamquam motivum conferendi. Et hoc habere locum etiam si temporale sit principale motivum dandi spirituale, imo etiam si sit finis ipsius rei spiritualis, si illud pluris æstimetur, quam res spiritualis. Et tamen certum est esse simoniam, juxta decretum Innoc. XI. prop. 46. & 47. Id vero ejus Auctores docuerunt, non quod sustinerent, aut sentirent simoniam esse licitam, sed illam palliarunt, & cohonestarunt alio titulo. Idem evenit circa usuras, ut videre est in propositione 40. & 41. ejusdem decreti. Nullus Catholicus dixit homicidium absolutè sumptum, nec adulterium, perjurium, falsum testimonium nudè, & absolutè sumpta esse licita. Et tamen plerique, seu nonnulli recentiores, & ex nobilioribus docuerunt, superaddito titulo defensionis, licitum esse clerico, & etiam religioso occidere calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua religione minantem, quando alias modus defendendi non suppetit: & etiam occidere accusatorem, falsos testes, & judicem, à quo imminet iniqua sententia, si alia via innocens damnum vitare non potest. Insuper maritum non peccare occidentem propria auctoritate uxorem in adulterio comprehensam. Præterea invocare Deum in testem mendacii levis non esse mortale: juramentum cum pura restrictione mentali cum causa non esse peccatum, nec veniale, & sine ulla causa, veniale tantum. Copulam cum conjugata consentiente marito, non esse adulterium. Fornicationem, neque pollutionem voluntariam, jure naturali non esse malam, & alia similia. Videatur ergo quanta crimina facta sunt probabilia practicè, uno vel altero titulo superaddito cohonestata, & hoc à pluribus Auctoribus Catholicis, & non ex vulgaribus, sed ab illis, qui prædicta suis rationibus suadebant, & magistrali etiam auctoritate confirmabant. Et tamen jam scimus esse tamquam vera crimina à Sede Apostolica patefacta. Unde igitur doctrina talium propositionum ortum habuit, *nisi ex modo opinandi, qui irrepsit alienus omnino ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina &c.* ut nobis Summus Christi Vicarius Alex. VII. manifestat?

531 Nunc ergo inquiritur: probabilitas in his casibus adductis fuit chimerica, & sophistica, sicut illa Academicorum, vel non ita fuit? Si quis dicat, quod non; cur etiam non potuit sic esse apud Academicos in eventibus similibus, sicut in casu Catilinæ ab Augustino adducto? Si vero dicatur in omnibus adductis casibus fuisse sophisticam, & chimericam eorum probabilitatem, unde discernanda est recta probabilitas? Doceat nos signa veræ probabilitatis. Si dicat in illis non fuisse veram probabilitatem, quia non nitebantur gravi fundamento, nec prudenti rationi; nihil dicit: quia restat aperiendum, quæ nam sit ejusmodi ratio; cum auctoribus illarum opinionum rationes pro illis graves, & prudentes visæ sunt. Si denique dicat, quod opiniones præfatæ non fuerunt visæ omnibus, aut pluribus sapientibus, juxta diffinitionem Aristotelis; hoc non possunt dicere probabilistæ. Quia illis satis est ad probabilitatem testimonium, seu assertio trium, aut quatuor Doctorum recentiorum: At hoc non deerat probabilitati Academicorm, ut testatur D. Augustinus: *Apud sapientissimos judices defenduntur*. Ergo secundum S. Doctorem idem inconveniens sequitur ex modo opinandi recentiorum, ut ex illo modo Academicorum.

Nec juvat id, quod in responsione, quam impugnamus, adducitur ex Sancto Doctore: *Non enim faciendum esse adulterium pro vero sibi persuasit; probabile occurrit, sequutus est, fecit*. Ex quo videtur colligi, quod ibi non erat probabilitas chimerica. Cæterum hoc nihil suadet, sed potius confirmat, quod intendimus. Quoniam hic modus sentiendi, & dicendi reperitur in doctrina probabilistarum communi. Ipsi etenim asserunt, quod licet, quis habeat pro vero, aut certo aliquod obiectum esse illicitum; si tamen videt apud alios sapientes dari opinionem probabilem, quod sit licitum, possit judicium suspendere, & sententiam illorum sequi; sine eo quod sibi sit chimerica talis probabilitas.

532. Dices si doctrina Divi Augustini accipienda est, ut nos volumus, nunquam lici-

licitum erit adhærere alicui opinioni probabili; ſed ſolum poterit quis licitè operari, dum omnino certus eſt de obiecti honeſtate: ſiquidem Sanctus Doctor abſolute loquitur de probabili, & hoc omnino refellit. Hoc autem eſt damnatum ab Alexandro VIII. ergo non ita, ut nos volumus, debet accipi doctrina Auguſtini.

Reſpond. negando ſequelam. Refellit enim S. Doctor probabile ut ſic, & in genere, non verò tali modo probabile: quippe non requirit omnimodam certitudinem, ſed contentus eſt majori probabilitate, quam nos defendimus, quæ ſecum affert quamdam moralem certitudinem. Conſtat hoc ex ipſo S. Doctore lib. 1. de adulterinis coniugijs; cap. 26. tom. 6. In ejus enim tempore erat dubium, an eſſent baptizandi in mortis articulo cathecumeni, ſi adhuc oppræſſi ſunt, ut nec petere baptiſmum, nec ad interrogata reſpondere poſſint. Erat duplex ſententia, alia affirmans, & altera negans licitum, illis conferre baptiſmum. Sanctus Auguſtinus affirmativam, ut probabiliorem amplectitur; negativam verò, non improbabilem damnat, ſed ſolum non probatam refellit. Et ideò concludit: *Non tamen propterea debemus damnare eos, qui timidius agunt, quam nobis videtur agi oportere.* Quapropter eodem ſenſu accipiendum eſt illud principium, quod ipſe docet lib. 1. contra Donatiſtas cap. 3. nimirum: *Graviter peccat in rebus ad ſalutem pertinentibus, vel eò ſolo, quod pro certis incerta præponeret*: & cap. 5. *efficere id quod incertum eſt, an ſit peccatum, certum eſt peccatum.* Ubi certitudo, quam exigit, non debet omnimoda eſſe, ſed moralis; cæterum exigere ſolum probabilitatem, vel minorem, vel etiam æqualem longè eſt à mente S. Doctoris, cum ex ſe conſtat, tunc effici id, quod incertum eſt an ſit peccatum, certum eſt, eſſe peccatum. Aliæ authoritates ex ipſo adduci poſſent, ſed id ommittimus, quia in decurſu hujus controverſiæ ſæpius ad clariſſimum hoc lumen recurrimus.

ARTICULUS XII.

Quænam ſit mens Divi Thomæ circa uſum opinionis probabilis.

533. QUoniam, quæ hactenus diximus, & Deo dante dicturi ſumus ex doctrina hujus præclari, & Sanctiſſimi Doctoris lucem, & firmitatem accipere intendimus, utpotè ipſius diſcipuli addictiſſimi, cujus veſtigia, & viam planè ſecuram ſequentes propter maximam ipſius in Eccleſia authoritatem, (ob ingenij, doctrinæ illibatæ, virtutumque præſtantiam) comparatam, ideò hoc loco exponendam duximus ejus ſententiam, Sed ut quid ſit exponenda? Cum adeò expreſsè, quam ſequimur, doceat ſententiam, & militet adverſus contrariam, quod ſupervacaneum videatur hoc in controverſiam vocare. Ipſe namque non ſemel de re iſta adeò diſtinctè, & clarè loquutus eſt, ut nullo prorſus egeat interprete, ut ex mox dicendis patebit. Utinam plurimæ propoſitiones, & loquutiones illius nullum interpretem haberent multoties. Multi enim non quærunt ſenſum S. Doctoris fere ſemper de ſe facilem, & perſpicuum, ſed proprium ſenſum alte præconceptum; & ipſius ſenſui palam contrarium per interpretationem, & non rarò ridiculam, & ipſi Angelico Magiſtro irreverenter affigunt. Profecto multo minus illum offenderent, ſi ſimpliciter & clarè contrarium aſſererent, & hoc indicarent: quamvis præcipuè in doctrina morum ipſi frequenter repugnare judicium non leve ſit animi non ſincerè veritatem amantis, & quærentis.

§. I.

Explicatur Doctrina Angelici Doctoris ex quolit. 8. art. 13.

534. QUæſtionem noſtram tractat principaliter ex profeſſo Doctor Angel. in illo celebri articulo 13. quodlibeti 8. Circa quod eſt notandum; quod verus titulus illius articuli ſic ſe habet: *Quando ſunt diverſæ opinio-*

niones de aliquo facto, utrum ille qui sequitur minus tutam peccet; sicuti de pluritate præbendarum. Ita expræsse ponitur ab ipso S. Doctore in titulo quæstionis 6. sub qua adest prædictus articulus. Titulus dictæ quæstionis 6. sic est: *Deinde quærebatur de his, quæ pertinent ad culpam. & circa hoc quæruntur quinque*: & tertio loco; seu quæsito; ait: *Quando sunt diversæ opiniones de aliquo facto, utrum ille, qui sequitur minus tutam, peccet; Sicut de pluritate præbendarum*: Cujus resolutio habetur dicto articulo 13. in ordine illius quodlibeti. Quare titulus ille specialis. *Utrum, qui habet plures præbendas, peccet*, non ab ipso S. Doctore, sed ab alio fuit appositum. Nam in æditionibus antiquis, etiam in partibus Summæ Divi Thomæ non apponuntur tituli ante singulos articulos, sed post titulum quæstionis simul, ut in ipsis patet. Quare illud de pluribus præbendis, ut in exemplum ponitur; quæstio verò absolutè, & generalis per generalia principia à S. Doctore resolvitur. Undè manifestè constat hanc nostram controversiam, de regulis generalibus ad quæstiones morales resolvendas, discutiendam ex professo sumpsisse; nam quæstionem de habente plures præbendas in speciali tractavit quolib. 9. art. 15.

535. *Respondeo dicendum*, (resolvit Magister Angelicus) *quod duobus modis aliquis ad peccatum obligatur: uno modo faciendo contra legem. ut cum quis fornicatur: alio modo faciendo contra conscientiam, & si non sit contra legem, ut si conscientia dictaret alicui, quod levare festucam de terra sit peccatum mortale.*

In hoc nulla datur difficultas, siquidem ut operatio sit bona, debet non dissentire legi, nec Conscientiæ, ut S. Doctor docet, & rationem assignat 1. 2. qu. 19. art. 6. & nos diximus supra. 1. parte quæst. 2. artic. 3. à num. 22. *Ex Conscientia autem* (addit) *obligatur aliquis ad peccatum, sivè habeat certam fidem de contrario ejus, quod agit, sivè etiam habeat opinionem cum aliqua dubitatione.* Ita textus D. Th.

Assignavit Doctor Angelicus in initio suæ responsionis primam regulam generalem, qua debet actio regulari, ut non sit peccatum, nimirum, quod non sit contra legem, aut contra conscientiam. Nunc aliam regulam generalem proponit: nempe, quod quis peccat, dum certo credit esse peccatum, vel etiam si id credat cum aliqua dubitatione, v. g. vult quis variare officium divinum, si habet certam existimationem, quod contrarium, nempe variare officium, est illicitum, peccat: & pariter si habet opinionem quod est illicitum, ratione cujus dubitat esse peccatum; etiam peccat; quia ad peccandum non requiritur judicare pro certo adesse peccatum, sed sufficit habere dubitationem an sit licitum. Et est sciendum, quod secundum Divum Thomam quæst. 14. de verit. art. 1. *Quando intellectus non magis inclinatur ad unam, quam in aliam partem, propter apparentem æqualitatem rationum, tunc est in statu dubitantis.* Undè fit, quod stante æqualitate fundamentorum, seu opinionum probabilium expræssa est S. Doctoris sententia intellectum esse indubio, & operari cum illo esse peccatum: de quo agitur infra quæst. 3. artic. & loc. cit. num 244. Deinde notandum, quod dubitatio prædicta, debet esse rationabilis, & alicujus momenti; quia si ex parte minus tuta sunt adeò efficacia fundamenta, quod modicam relinquunt dubitationem, potest dubitatio deponi: nam ut idem S. Doctor docet 2. 2. quæst. 70. art. 2. *Certitudo non est similiter quærenda in omni materia..... Sufficit probabilis certitudo, quæ ut in pluribus veritatem attingat & sic in paucioribus à veritate deficiat.* De quo etiam infra dicitur per tot. quæst. 5. In æqualitate opinionum, vel dum opinio est minus probabilis certum est non ita cōtingere, quod pro illa parte, quæ stat pro libertate, ut in plurimum veritas attingatur.

536. *Illud autem, quod agitur contra legem semper est malum, nec excusatur per hoc quod sit secundum Conscientiam.* Ita textus D. Thomæ.

In hac ultima propositione videtur adesse non modica difficultas. Nam esse aliquid secundum conscientiam, non aliud est, nisi intellectum judicare esse licitum, & non dubitare in actione dari aliquam malitiam. Quomodo ergo ibi potest dari pec-

peccatum? Sed ommiſſis alijs expoſitionibus, dicimus loqui Sanctum Doctorem de conſcientia erronea, & vincibili, quæ dum actu operatur, non advertit actionis malitiam, dum id contingit ex negligentia, paſſionibus, aut concupiſcentijs, vel pravis affectibus, quos multi voluntariè non perimunt, & ſic in eorum culpa eſt carentia cognitionis. Undè licet actio illa contra legem non ſit directè voluntaria, eſt voluntaria indirectè, & imputabilis. Quare non loquitur Divus Thomas de conſcientia errante invincibiliter: nam dic. quodlib. 8. art. 15. ait conſcientiam excuſare, *quando procedit ex ignorantia ejus, quod quis ſcire non poteſt, vel non tenetur*. Sed notandum, quod in doctrina D. Thomæ circa jus naturale, & circa id, quo quiſque tenetur ſcire, raro inveniri poteſt conſcientia erronea invincibilis, ac proinde in prædicta ſententia videtur nobis dari regulam: *Illud quod agitur contra legem, ſemper eſſe peccatum, quando tenemur hoc ſcire*: ut vigilantes ſimus in ſtudio ſciendi noſtras obligationes: quod in Prælatis, Rectoribus animarum, & Confeſſarijs valdè eſt timendum. Expoſitio data verbis Divi Thomæ eſt Divi Antonini 1. part. ſum. tit 3. cap. 10. §. 10. Adriani de reſtit. in 4. §. Quia jam dictum eſt, Goneth. tom. 3. tr. 6. de legib. diſp. 3. art. 3. & aliorum.

Et ſimiliter, quod eſt contra Conſcientiam eſt malum, quamvis non ſit contra legem; Quod autem nec contra conſcientiam, nec contra legem, non poteſt eſſe peccatum.

537. Hic duplicem regulam nobis proponit Divus Thomas in prima, *malum*. Significat eſſe peccatum formaliter: Eſſe tale quidquid eſt contra Conſcientiam, ſciunt omnes; quamvis non ſit contra legem: & ratio in alijs locis affertur à Divo Thoma, quia voluntas in illud tendit tamquam in contrarium legi, utpotè ſic ab intellectu ſibi oſtenſum. Alia regula eſt manifeſta, quia quod non diſcedit à voluntate Dei, nequit eſſe peccatum.

Dicendum eſt ergo, quod quando duæ ſunt opiniones contrariæ de eodem, oportet eſſe alteram veram, & alteram falſam.

Hic clare opponitur modo opinandi recentiorum aſſerentium utramque eſſe veram practicè. Nam indubium eſt S. Doctorem loqui de opinionibus practicè ſumptis, ſiquidem quod examinat in hoc articulo; eſt dubium: an qui ſequitur minus tutam peccet. Etiam opponitur probabiliſmo: quia in hujus via, veritas opinionum ſumitur penes probabilitatem, quæ ad nos refertur, & non penes res, ut in ſeipſis. D. Thomas ſumit veritatem, & falſitatem penes convenientiam, vel diſconvenientiam ad obiectum, & ideò omne judicium probabile, vel eſt verum, dum conſonat obiecto, vel falſum, dum eſt diſſentaneum. Et ſic in doctrina Divi Thomæ intellectus attendere debet ad veritatem obiecti in ſe ipſo, ut rectum judicium eliciat, non ad præcisè probabile, quod habet in intellectu.

Aut ergo ille, qui facit contra opinionem Magiſtrorum, utpotè habendo plures præbendas, facit contra veram opinionem, & ſic cum faciat contra legem Dei, non excuſatur à peccato, quamvis non faciat contra conſcientiam. Sic enim contra legem Dei facit. (Hoc intelligendum juxta dicta ſupra de ignorantia vincibili, licet enim hoc non exprimat, illud ſupponit ex principijs generalibus de ignorantia.) *Aut illa opinio non eſt vera, ſed magis contraria, quam iſte ſequitur ita, quod licet verè habere plures præbendas: & tunc diſtinguendum eſt: quia aut talis habet conſcientiam de contrario, & ſic iterum peccat contra Conſcientiam faciens, quamvis non contra legem.*

Docuit S. Doctor, quod ſi quis ſequitur opinionem magiſtrorum aſſerentium eſſe licitum habere plures præbendas, licet exiſtimet eſſe veram, non excuſatur; quia reipſa facit contra legem Dei. Nunc autem addit. *Aut illa opinio, &c.* ideſt, vel prædicta *Magiſtrorum opinio affirmativa de habendo ſimul plures præbendas, quam ſequitur, eſt reipſa vera, & tunc eſt diſtinguendum*; Nam ſi habet conſcientiam de contrario, ideſt, ſi exiſtimat ſibi non eſſe licitum, peccat contra conſcientiam, quãvis non contra legem.

538. *Aut non habet conſcientiam de contrario, ſed certitudinem, ſed tamen in quamdam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum: & ſic ſi manente tali du-*

dubitatione plures præbendas habet, periculo se committit, & sic procul dubio peccat, utpotè magis amans beneficium temporale, quam propriam salutem: aut ex contrarietate opinionum in nullam dubitationem inducitur, & sic non committit se discrimini, nec peccat.

Hæc doctrina difficilis aliquibus visa est, adeo ut textum S. Doctoris aliter esse legendum, & corrigendum existimaverint. Sed non ita est, si rectè intelligatur. Difficultas est: si non habet conscientiam de eo, quod sit illicitum habere plures præbendas, sed potius habet certitudinem illas habere posse, quomodo inducitur propter sibi contrariam opinionem in aliquam dubitationem: *& sic, si manente &c.?* Quomodo componitur certitudo judicandi *habere posse*, & dubitare de hoc ipso? Dicimus componi posse, non simul collective, seu pro eodem tempore, bene tamen divisivè, seu pro diverso tempore. Proquo sciendum est Divum Thomam per certitudinem, non intelligere, & absque ulla licet minima formidine, sed certitudinem moralem, quæ habetur ex principijs magis verisimilibus, & magis accedentibus ad veritatem, relinquentibusque aliquam formidinem, de qua non curat, qui opinatur, quia ita, sicut opinatur, existimat esse verum, licet formidet, quod posset contingere esse falsum. Hoc, & non plus exigit S. Doctor ad opinativum assensum, & licitè operandum, ut ex ipso diximus supra in hoc §. & infra quæst. 5. ar. 1. & 2. num. 805.

Cæterum quia hæc certitudo moralis est dispositio quædam opinantis, (ut ipse D.Th. docet q.14. de verit. art. 1.) & ut talis facile mobilis, non habet statum verè firmum in subjecto; & sic intellectus, quamvis prædictam certitudinem habeat, respiciens aliàs ad contrariam partem, & ejus fundamenta, potest induci ad dubitationem, & scrupulum, & si hæc non deponit, periculo se committit, & sic proculdubio peccat. Secus si non habeat dubitationem, vel illam deponit, non se committit discrimini, nec peccat. v. g. Sacerdos judicat pro certo moraliter posse celebrare sacrum ante matutini recitationem, quia ita sentiri, & fieri communiter conspicit. At reflectendo ad rubricam, & nonnullos graves Doctores contrarium sentientes, licet prius certò moraliter judicet primum, potest in dubitationem induci ob contrariam opinionem: & si dubitationem non deponit, peccaret, secus si illam deponit. Hoc non raró contingit scrupulosis, & conscientiæ timoratis.

539 Si ergo bene perpendatur Ang. Doctoris resolutio in hoc articulo 13. manifestè apparebit, quam alienus sit ab ejus mente recentiorum modus resolvendi. Si datur opinio Magistrorum, quid egebat tot distinctionibus, & principiis? Unica reflexione dubium resolveret probabilista. Si non est certum dari legem, si in sententia Magistrorum est probabile, jam est licitum: ita dicit probabilista, at D. Thomas: *Si ex contrarietate opinionum, inducitur in dubitationem, & sic operatur proculdubio peccat, quia se committit periculo, & amat magis beneficium temporale, quam propriam salutem.* Quomodo ergo, qui existimat actionem esse magis malam, quam bonam, potest non dubitare? Verè S. Doctor repellit omnes distinctiones, & subtilitates; quibus probabilista se tueri conatur.

§. II.

Rejicitur responsio, & interpretatio junioris.

540 Occurrit Neothericus titulo, lydius lapis: D. Thomam, (dum exigit depositionem dubii debere fieri, ut quis non peccet: & dum requirit certitudinem ad licitè, & honestè operandum,) intelligi de certitudine reflexa comparata artificio, seu reflexione probabilismi, præscindente à certitudine, seu ab objecti reali veritate. Quia aliàs D. Thomæ doctrina nequit interse componi. Unde concludit nihil contra suam sententiam concludi, sed potius per illam confirmari.

Verum quamvis plura folia in hoc suo conatu dictus Author consumpsit, ex nullo loco, aut verbis S. Doctoris in omnibus suis scriptis potest reperiri aliquod vestigium, nec ab Authore illo adducitur, ex quo divinari possit attendisse D. Th. ad illas suas reflexiones, & idem de Authoribus

bus ante annum 1570. in quibus illarum mentio nullatenus reperitur, nisi post illud tempus, in quo incæpit oriri probabilismus. Sed jam adducit fundamentum sibi certum, & firmissimum, ob quod D. Th. (velit, nolit,) debuit attendere, ut eliceret judicium certum de licito operationis: nam tale judicium si non excedit rationem opinativi, nequit dici certum, nisi per inauditum paradoxum: Sed sine artificio reflexionum ex opinione quantumvis probabili nequit tale judicium comparari: ergo dum D. Th. requirit certitudinem, debet intelligi non de judicio directè opinativo, sed de comparato per reflexionem. Aliàs esset velle transire ad tutiorismum jam damnatum, quod de tanto Doctore alienum est.

541 Cæterum principium adductum, quod per discursus probabiles in materia morali, & in ordine ad regulandas conscientias, nihil posse concludi, nisi per illas reflexiones in doctrina D. Th. & Arist. potius est paradoxium. Nam ut §. præc. dictum est, & infr. quæst. 5. dicitur, ad honestè operandum non requiritur certitudo Logica, aut Metaphysica, aut infallibilis, sufficit certitudo moralis ex principiis verisimilibus. Ut cum D. Th. 1. 2. q. 96. art. 1. ad 3. & 2. 2. q. 70. art. 2. & D. Antonino in sum. 1. par. tit. 3. cap. 10. §. 10: docent omnes antiqui, & plurimi hujus temporis. Sicut sufficit in rebus humanis, & etiam in hominum commerciis.

Omnia huc usq; dicta in hoc art. confirmantur, & simul refelluntur evasiones, quas recentiores adhibent Thomisticæ doctrinæ. Ang. Doctor quodl. 9. art. 15. ait: *Omnis quæstio, in qua de peccato mortali quæritur, nisi expressè veritas habeatur, periculose determinatur; quia error, quo non creditur esse peccatum mortale, quod est mortale, conscientiam non excusat à toto, licet fortè à quanto... Præcipuè autem periculosum est, ubi veritas ambigua est, quod in hac quæstione accidit. Cum enim hæc quæstio ad Theologos pertineat, in quantum dependet ex jure divino, & naturali; & ad juristas inquantum dependet ex jure positivo, inveniuntur in ea Theologi Theologis, juristæ juristis contrarii &c.* Quis non videat quanta dicit S. Doctor opposita probabilistis? Si dantur Theologi, & Juristæ, licet inter se oppositi, amplecti potest quodlibet. Si est veritas ambigua, possessio stat pro libertate. Licet veritas non habeatur expressa, facilè componitur per non inventionem illius. Hæc docent probabilistæ, hæc sua præcipua principia. Sed quam aliena à doctrina Ang. Præceptoris, ejus verba manifeste testantur.

542 Idipsum non minus clarè constat Opusculo 73. de usuris, ubi sic Deum deprecatur. *Omnis homo à natura non degenerans, veritatem amat, & eam scire super omnia desiderat. Quam si quis concupiscit vero corde, & eam quæsierit in simplicitate cordis, ipsa se ipsam manifestabit, & Deus, qui hoc promittit verax est, & eam præbet diligentibus se, sicut scriptum est*: Sap. 6. *præoccupat eos, qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat*. Et Eccli. 1. *Fili concupiscens sapientiam, conserva justitiam, & Deus præbebit eam tibi*.

Non ita docent probabilistæ, sed quod, plerumque veritas non est invincibilis, & ideò sufficit ad bene operandum invenire probabile, quidquid sit, an sit verum, aut falsum, imo licet magis appareat falsum, quam verum. At D. Thomas innixe veritatem quærit, & ideo prosequitur.

Invoco ergo ipsam (sapientiam) *ne me errare permittat in periculum animæ meæ, & aliorum laqueum; Sed illuminare dignetur oculos caliginosos ipso suo lumine, sine quo nemo valet ad lumen veritatis usquequaque pertingere. Amen. Quoniam vero in dubiis, quorum veritas agnita salutaris est, & incognita periculum ingerit humanæ saluti, ad modum utile est veritatem investigare. Et temporibus nostris audivimus, multas controversias inter Doctores, non solum in naturalibus quæstionibus, verum etiam in moralibus; in quibus periculum est diversa sentire, & opinari; & præcipuè in illa parte iustitiæ, quæ commutativa dicitur à Philosophis, & ista parte eiusdem, quæ vitium usuræ prohibet. Ideo circa hanc materiam declarare veritatem, & dubia elucidare, quantum Deus donaverit, & noster labor conamine pauperis investigationis nostræ attingere poterit, in hoc opere, propositum nostrum est.* Hactenus Doctor verè Angelicus.

543 Ubi notandum, quam cautus procedit

Aa 2

cedit, ut non erret in quæstionibus moralibus in suæ animæ periculum, & aliorum laqueum. Quanto magis nos timere debemus. Quomodo orat, licet habet pro una, & altera parte Doctores, propter periculum opinandi. Quanto magis nos debemus orare, ne decipiamur in animæ periculum, licet habeamus pro utraque parte Doctores opponentes, quia etiam tempore D. Thomæ in Controversiis de Usuris utraque opinantium pars impunè defendebatur, & sine censura, & nota, sicut modo opiniones inter se oppositæ defenduntur. Et tandem qualiter S. Doctor totus est in investiganda veritate in se, & in ipsis rebus; probabilista vero contentus est inventa probabilitate; de veritate in objectis in se parum, aut nihil curat, dum modo habeat probabile. -- Plures aliæ auctoritates adduci possent ex D. Th. sed quia passim in hoc opere ad ejes doctrinam recurrimus, ipsas pro suis locis reservamus.

§. III.

Obiectiones contrariorum dissolvuntur.

144 Contra hactenus dicta objicit celebris Neothericus probabilista doctrinam D. Th. ex quodl. 3. art. 10. ubi ait: *Qui ergo assentit opinioni alicuius Magistri contra Manifestum scripturæ testimonium, sive contra id, quod publice tenetur secundum Ecclesiæ authoritatem, non potest ab erroris vitio excusari*. Ex quo sic discurrit ille Auctor. Ne ergo dicamus S. Doctorem in una eademque pagina sibi contradixisse, debemus dicere textum primum obscurum intelligendum esse juxta secundum. Cum ergo dicit; *quod agitur contra conscientiam semper est malum, & conscientiam non excusare*: intelligendum est, de eo, quod agitur contra legem adeò claram, & manifestam, ut de illa non possit haberi conscientia erronea, nisi culpabilis, ut apparet ex verbis S. Doctoris proxime relatis.

Confirmatur. Quia D. Th. ibi docet non posse excusari sequentem opinionem Magistri contra manifestum scripturæ testimonium, aut contra quod publice tenet Ecclesia: ergo dum non adest tali testimonium, aut Ecclesiæ auctoritas, excusatur. Nam juxta notum principium: exceptio firmat regulam incontrarium.

545 Resp. in primis, attribuere D. Angelico, quod doceat hominem solum non excusari, dum datur clarnm scripturæ testimonium, aut lex manifesta, & clara; aliter vero excusari, non videtur posse fieri, salva ejus auctoritate, & sanitate doctrinæ. Deinde, interpretari D. Th. quod loquatur, quando id quod agitur est contra legem claram, & manifestam, non potest habere conscientiam erroneam, nisi vincibilem, & culpabilem, est dicere: quod idem sunt, conscientia erronea, culpabilis, & vincibilis; ac errare contra legem claram, manifestam: quod est manifeste falsum, quia stat legem non esse claram, & dari talem conscientiam vincibilem: imo si lex est clara, & manifesta, non datur ignorantia, nec vincibilis circa ipsam. Cæterum qnam contraria sit talis interprætatio Doctori Angelico, constat ex testimoniis supra adductis, præsertim ex quodl. 9. art. 15. ex opusc. 72.

Ad authoritatem, quæ objicitur, dicimus verissimum esse, quod ibi docet S. Doctor, nimirum ex illo capite, dum adest testimonium manifestum scripturæ, vel contrarium tenet Ecclesia, non excusari ab erroris vitio, & peccato: Sed non asserit, quod ex aliis capitibus etiam excusari non possit: nimirum dum dubitatur de lege, vel saltem dum datur cognitio probabilis solũ ex parte legis, & nõ ex parte libertatis. v.g. Furari quatuor, aut sex argenteos est peccatum mortale, quia est materia gravis: non dari parvitatẽ materiæ in jejunio ad S. Cõmunionẽ; est certum: & circa hoc non invenitur Sac. Scripturæ clarum testimonium, nec Ecclesia plane id declaravit. Unde ex aliis capitibus potest non excusari. Idipsum manifeste tradit D. Th. d. quodl. 9. art. 15. *Omnis quæstio in qua de mortali quæritur, nisi expresse veritas habeatur, periculose determinatur*. Et postea: *periculose determinatur, ubi veritas ambigua est*: in quo casu non datur testimonium manifestum, nec traditio Ecclesiæ; ergo inepte attribuitur talis doctrina Ang. Præceptori.

546 Ad confirmationem ex argumento in contrarium, respondetur talem modum

dum arguendi non valere, dum deducitur affirmative, ut in objectione fit. Ut videre est in casu cap. licet vobis de privilegiis in 6. Ubi conceditur privilegium celebrandi excommunicatis exclusis: ergo concessum est admittere alios. Non valet, quia ex aliis capitibus datur prohibitio respectu aliorum, qui non sunt excommunicati, ut tradit Doctiss. Passerinus in d.cap.licet: Barbosa tract.in loc. com.arg.loc.27.n.28.

Præterea admittimus auctoritatem D. Th. ut jacet, & ex illa arguitur contra sententiam benignam: Dum quis assentit opinioni contra manifestum scripturæ testimonium, non excusatur: Sed est testimonium manifestum in scriptura, quod: *qui amat periculum, peribit illo*: Ergo cum adsit hoc periculum in usu opinionis minus, aut æquè probabilis, & minus tutæ, qui sic operatur, vel assentit tali opinioni, non excusatur. Deinde est manifestum scripturæ testionium: Eccli. 37. *ante omnia opera tua verbum verax præcedat te, omne autem consilium stabile*; unde qui sic non operatur, non excusatur: Sed illum qui utitur opinione æquè probabili, non præcedit Eerbum Verax, nec consilium stabile, cum sit talis opinio indifferens ad falsum, & verum: Ergo non excusatur ab erroris vitio. Non ergo stat pro sententia benigna D. Th. Sed contra.

547 Objicies 2. Mens Angelici Præc. debet venari ex intelligentia discipulorum ipsius, maximè ex doctissimis Religiosissimæ Familiæ Prædicatorum: Sed plures ex hoc Sacro Ordine Thomistæ (qui nolunt nec in apice discedere à doctrina S. Doctoris) tenent esse licitum usum opinionis minus etiam probabilis, ut in ipsis videri potest: ergo hæc & non alia est mens D.Th.

Resp. 1. Magister Ubigandt in tribun. conf. tr. 2. exam. 3. num. 22. ex eadem familia. dist. min. sunt Thomistæ multi, & juniores transeat; multi seniores, & saniores neg. min. & consequentiam. Itaque omnes Thomistæ usque ad annum 1560. nullatenus talē usum admiserunt; & singularibus privatorum hominū, & de Angelica Thomistarū Schola non est ferendū judiciū ex singularibus privatorū hominū, & juniorum Doctorum sententiis, sed ex Thomistis antiquioribus, utpotè ipsi Ang. Doctori Vicinioribus. Deinde etiam post illud tempus anni 1560. non defuerunt plures probabilismum impugnantes, præcipuè ab anno 1640. & his temporibus in omnibus Regnis, & Provinciis Catholicis, maxime extra Hispaniam Religio Dominicana quasi uniformiter rejicit probabilismum validè, & efficaciter. Ita etiam respondet Contenson tom. 3. dissert. 6. cap. 2. & alii plures.

Resp. 2. Magister Marius Diana ex eodem Sacro Ordine de regulis conscientiæ par.3. cap.9. §. 2. Ubi cum sibi objecisset, *quod multi, & graves Thomistæ* ita D. Th. interpræantur. *Esto*: (ait) *quid inde eiusmodi Thomistas, si qui sint, non probo, male interpretantur D. Thomam*. Cum enim adeò clara sit mens Sancti Doctoris, & sic interpretatio sit violenta, non facit ad rem. Deinde, quia dum plerique Thomistæ admittunt usum probabilis, nullam adducunt authoritatem, nec in favorem, nec in contrarium: Sed amplexi sunt, quod in aliis Auctoribus scriptum videbant.

Resp. 3. P. Tyrsus cum Mag. Contenson ubi supra, nobiliores Thomistas hujus temporis, & alios plures, non loqui de opinione minus probabili formaliter existente in intellectu operantis; sed de minus probabili existente apud alios Authores. Nam, licet dicant, opinionum v.g. asserentem esse illicitum pingere in die festo esse probabiliorem, & addunt posse contrariam minus probabilem: hoc dicunt, quia pluribus fundamenta prioris opinionis visa sunt verisimiliora; sed nihilominus potest mihi repræsentari minus probabilis, quam opposita, & sic potero amplecti hanc asserentem esse licitum; quæ aliis est minus probabilis, non autem mihi. Et quod in hoc sensu loquantur prædicti Auctores, videtur indubium. Quia non est præsumendum de Viris piis, & insignibus, motos fuisse fundamento illo frivolo: Nimirum hoc ipso, quod aliqua opinio probetur ab aliquo, seu aliquibus Actoribus, in ea circunstantia, in qua eis repræsentata est verisimilis, vel verisimilior, hoc ipso possit ab omnibus præsentibus, & futuris approbari in circunstantia, quæ apparet aliis minus probabilis, & etiam falsa. Quod quidem si in aliis actionibus humanis pertinentibus ad res transitorias diceretur, haberetur ut futile,

tile, & imprudentissimum. Quam expositionem, & responsionem latè, & eruditè prosequitur Tyrsus de recto usu opin. prob. disert. 1. 2. & 3. adducens doctrinam præfatorum probabilistarum.

QUÆSTIO III.

De delectu opinionis verè, & practicè probabilis attentis fundamentis ex ratione desumptis.

548 SAcra Theologia non solùm utitur locis ex auctoritate, & doctrina, de quibus actum est quæstione præcedenti; sed etiam nititur fundamentis ex rationibus petitis, dum conformantur prædictæ doctrinæ, vel ab ipsa non declinant. Nam idcircò Alexander VII. illam summam luxuriantium ingeniorum licentiam opinandi reprobat, quia alienam à simplicitate evangelica, & SS. Patrum doctrina. Obidque deinceps assumptum nostrum firmari curabimus fundamentis, à ratione, ante oculos semper habentes Eloquia sacra, Ecclesiæ decreta, atque SS.Patrum doctrinam, & inter ipsos Angelicum Præceptorem.

ARTICULUS I.

Intellectum non posse assentiri uni parti contradictionis, dum est æquè probabilis, an ratione philosophica probetur.

§. I.

Pro majori declaratione nonnulla præmittuntur.

549 PRimo est animadvertendum, quod quamvis Auctores nostræ sententiæ sæpè disputent seorsim, majoris claritatis, & distinctionis quæstionem, in casu, quo utrinque motiva sunt æqualia, & in qua ex una parte datur excessus. Cœterum talis separatio inutilis videtur, nisi ad repetenda, & inculcanda in secunda quæstione eadem, quæ circa primam dicta manent. Siquidem ex eisdem principiis venit resolvenda utraque difficultas. Quare in progressu controversiæ nostræ curabimus difficultatem resolvere in casu, quo motiva utrinque sunt æqualia, siquidem in via, quâ eligimus, hac resoluta, secunda ex consequenti potiori jure resoluta manebit.

Præmittendum est secundo: Opinari, seu assentiri alicui opinioni nobis esse liberum quoad exercitium; quia cùm objectum non proponatur cum evidentia, sed cum formidine, manet intellectus indifferens, & sic potest voluntas suspendere assensum; undè, ut assentiatur, debet à voluntate determinari. Pariter est certum, quod, quoties motiva dissentiendi excedunt motiva assentiendi notabiliter, vel econtrà, potest intellectus determinari ad dissensum positivè, vel ad assensum opinativum partis, pro qua adsunt ejusmodi motiva excedentia. Quod videtur à nemine posse negari.

550 Tertio notandum: Auctores convenire in eo, quod etiam quando ex una parte dantur motiva præstantiora, est nobis liberum suspendere assensum, vel dissensum, non solùm quoad exercitium, sed etiam aliquo modo quoad specificationem, nimirum remotè, seu mediatè; v.g. An possim variare Officium Divinum. Ego visis fundamentis existimo non posse, quia mihi

mihi apparent pro hac parte motiva multò graviora. Possum tamen suspendere assensum circa objectum, & etiam dissentire mediatè, & quasi per circuitum. Possum enim divertere intellectum ad alia, vel retrahere ab attentione motivorum me inclinantium ad dissensum, & ad ponderandum motiva pro alia parte ad assentiendum, & maximè, & universalissimè sic me disponendo interveniente amore, aut odio, passione, vel non parvo affectu ad commoditatem temporalem, seu alio titulo, & tunc poterit intellectus assentiri esse sibi licitum Officium Divinum variare; seu posse contractum simoniacum exercere. Cœterum, qui sic opinaretur, potius voluntatis suæ placitum erit, quàm opinio in se, vel sibi verè probabilis, sed potius operaretur juxta illud, Ps.35. *Noluit intelligere, ut benè ageret*, ut infra tractatur art. 2. 3. & 4. sequentibus.

Quare quæstio procedit, dum sedulò, & benè perpensis motivis utriusque partis, tam ab intrinseco, quàm ab extrinseco existimas adesse æqualia motiva pro parte, quod sit licitum variare Officium, & pro parte contraria: an sic rebus permanentibus possis pro tuo libito judicare variationem esse licitam, & sic recitando de uno Martyre in locum Officii Sabbathi, vel Dominicæ, honestè operari. Affirmant Authores benignæ sententiæ, docentes intellectum posse assentiri uni parti, quæ sibi placuerit, vel utrique simul.

Sed non eundem modum, seu viam propugnandi hanc suam sentẽtiam sequuntur ejus Authores: Nam alii procedunt per judicium reflexum, desumptum ex variis principiis, seu reflexionibus, de quibus infra diffusè agendum est; & hic modus est magis communis præcipuè inter moderniores, & ideo reflexistæ nuncupantur. Alii verò attendentes artificium per reflexionem nihil firmitatis adducere opinioni directè, docent neminem licitè posse amplecti opinionem, nisi subjectivè, & formaliter sit in amplectentis intellectu, & illam reputet veram. Attamen censent posse intellectum ex imperio voluntatis judicare absolutè veram opinionem, & illi assentiri, pro qua pro priori ad assensum illi apparent ejus fundamenta, vel æqualia, vel leviora.

§. II.

Vera sententia proponitur, & probatur.

551 Dicendum est intellectum non posse assentiri parti æqualiter probabili, vel minus probabili, ac proinde tunc solùm posse vel nihil omninò judicare, vel parti probabiliori assentiri. Conveniunt in hoc omnes Authores nostræ sententiæ; & fuit communissima antiquorum, Sylv. verb. dubium, & verb. opinio, Richard. de Mediavil. in 2. dist. 36. artic.2. qu.4. ad 1., Major. in 4.qu. prolog., Henric. de Gandabo, Conradi, & aliorum. Pro eodem refert Elizalde 1.p.de recta doctrina mor. Palavicinum, Andr. Blanchum Comitollum, Lęsium, Layman, Brethscrum, Vazq., & Suar. 1.2. tract.2. de actibus humanis disp.10. sect.1. Ubi ait: *Nunc autem dico voluntatem non posse movere intellectum, nisi sub ratione veri* (& infra:) *Quando autem est tale medium, quod non infert necessitatem, tunc potest movere voluntas ad assensum; & mihi probabile est non posse movere, nisi in illud, quod verisimilius, & probabilius apparet*. Ex tantorum auctoritate apparet non esse ita securam, & fundatam sententiam, seu viam probabilistarum, nixam in imperio voluntatis ad movendum intellectum, ut ipsi autumant.

552 Probatur primo: ex diffinitione opinionis traditæ à D. DThoma, & communiter recepta; nempè: *opinio est assensus determinatus unius partis contradictionis cum formidine alterius*, 1.part. qu.9. art.9. ad 4., & 2.2. qu.2. art.1. ex Arist.1.poster. cap. 26. Sed implicat intellectum assentiri simul duabus contradictoriis: ergò nec ex imperio voluntatis potest intellectus assentiri utrique parti, vel æquè probabili, aut minus probabili. Siquidem ejusmodi partes affirmativa, & negativa, v.g. contractum esse usurarium, & non esse usurarium, opponuntur contradictoriè, ut supponit diffinitio D.Th. & Philosophi.

Secundo: Probatur ex doctrina ejusdem S.Doctoris qu.14. de veritate artic.1. cujus verba adducta sunt supra quæst. præced. art.6. §.4.nu.437. Ubi docet in ęqualitate rationum intellectum manere in statu dubi-

dubitantis; & in 3. dist.7. qu.unic. artic.4. ubi diffiniens dubium sumptum pro actu dubitationis, ait: *Est motus rationis supra utraque parte contradictionis cum formidine determinandi ad alterum ex defectu medii sufficientis ad inveniendam veritatem*. Ex quibus formatur ratio. Dum intellectus solùm habet æqualia motiva, & objectum est utrinque æqualiter probabile, est in statu dubitantis, aut in dubio, ut docet D.Th. & ex se videtur per seipsum; siquidem deficit illi sufficiens medium ad inveniendam veritatem, sine quo intellectus nequit ad aliquam partem determinari, & multò minus ad utrumque simul: Sed hoc ipso nequit deponere dubium, cum ad hoc requiritur specialis ratio, aliàs irrationabiliter, & cœco modo procederet: ergò nequit opinari æqualiter probabilia, seu assentiri utrique parti æqualiter probabili, & multò minus assentiri minus probabili, ut volunt probabilistæ.

553 Respondebis: D. Thomam intelligi de dubio negativo, non verò positivo, seu probabili; undè ad argum. ommittitur major intellecta de dubio positivo: ad inclusam probationem neg. non dari ejusmodi sufficiens motivum: Nam quando dubiũ est positivum, seu probabile, datur pro utraque parte motivum grave, & sic ad utramlibet potest determinari intellectus: secus in dubio negativo, ubi pro neutra adest tale motivum; ut si dubitas, an astra sint paria, an Turca ludat.

Sed responsio contradicit expressè Divo Thomæ; nam in loco de veritate expressè loquitur de dubio probabili, cùm apponat æqualitatem rationum, quæ movent ad utramque partem. In alio verò docet Intellectum dubitare defectu medii sufficientis ad inveniendam veritatem: Sed manifestum est, quod manente æqualitate fundamentorum deficit tale medium: Siquidẽ nequit judicare, quænam ex duobus partibus sit vera, aut falsa sine manifesto erroris periculo; ut ex se constat: ergò.

Deindè: dum intellectus est in dubio, aut habet aliquam rationem dubitandi, aut non habet? Si hoc secundum, non est propriè dubium, sed ignorare, & nescire: ut si interrogaris, an sydera sint paria, vel Turca ludat: non rectè respondes dubito; sed nescio: Siquidem esset ridiculum dubitare sine aliquali ratione: si primum. Tunc etiam ipsi nobis contrarii dicunt adesse verum dubium, dum intellectus habet aliquas rationes leves, quę sufficientes non sunt ad illum determinandum, nec ad istam, nec ad aliam partem, & qui in hoc esset statu, & se determinaret ad elgendam partem minus tutam sine aliqua nova gravi ratione, se exponeret peccandi periculo, & de facto peccaret. Assentimur libenter huic doctrinæ; sed ex illa refellitur data responsio, & ulterius probatur nostra sententia. (Quomodo ad dubitandum requiritur ratio, agemus infra n.732.

554 Casu quo extrema sunt æqualiter probabilia; (v.g. an teneatur quis recitare cum interna attentione, una opinio ait teneri, alia non teneri) intellectus non habet gravia fundamenta, sed tantùm levia, aut nulla ad se determinandum ad unam, vel alteram partem: ergò nequit opinari ęqualiter probabilia. Prob. antec. Ut intellectus opinando rationabiliter procedat, debet utriusque partis motiva librare, illaq; non absolutè, & solitariè, sed respectivè, & comparativè ponderare: Sed fundamenta unius partis respectivè ad alia ejusdem ponderis nequeunt gravia, & levia dici, sed potius nulla; ut in bilance habente æquale pondus: ergò nisi manu, aut voluntate unam lancem ascendere facias, vel descendere, manebit in æquilibrio: Ergò non aliter, posito æquali pondere motivorum in utraque parte opposita, necesse est intellectum ad nullam inclinare, sed manere in statu dubitantis; aliàs electio opinionis erit absque ratione ad placitum voluntatis, de quo actum est supra à num. 450., & à num. 462.

Dices: non est inconveniens, nec cõtra rationem, quod, dum absolutè sunt gravia motiva ex parte utriusque oppositę opinionis æqualia, immò & ex una parte minora, intellectus ex imperio, vel placito voluntatis determinetur ad quam voluerit, & etiam utramque simul amplectatur. Ut in hoc casu: Titius ante baptismum cum duabus consummavit matrimonium: est dubium, an sit irregularis? D.Augustinus, & D.Hieronymus in resolutione se contradicunt. Cur non potero prius assentiri Divo

vo Auguſtino nihil demendo D. Hieronymo; & deindè aſsentiri D.Hieronymo, nihil detraendo à S.Auguſtino; Vel dicere, & aſsentiri huic actui: Utrumque SS. Doctorem amplector: & ſic nullum deſpiciendo prudentiſſimè faciam, & æqualiter honorem adeò debitum tantę utriuſque auctoritati reddendo, rectiſſimè procedam. Sic etiam fieri poteſt, dum æqualia fundamenta à ratione utrinque occurrunt.

555 Sed contra: nam adhuc in exemplo adducto imprudenter proceditur; nam ſi prius aſsentitur D.Auguſtino non faciens mentionem D.Hieronymi, hoc ipſo affirmo eſse verum, quod ſentit Auguſtinus; unde implicitè ſentio eſse falſum, quod docet Hieronymus, & econtrà: quia nequeo hoc verum affirmare, niſi contrarium falſum exiſtimetur: ergo potius honor debitus utriq; S.Doctori non defertur, uni, aut alteri adhærendo. Sed quomodò deferam? Sanè præſcindendo, & ſuſpendendo judicium, non ſtante Eccleſiæ determinatione. V.g. ex duobus Viris graviſſimis fide dignis alius dicit ſe vidiſse tali die Matriti Petrũ, alius ipſum eadem die vidiſse Hiſpali: Cui credes, cum ſint ejuſdem auctoritatis, & fidei? Si primo, alteri injuriam facis, ſi ſecundo, irrogas injuriam primo: utrique credere, eſt chimericum, quia eſse, & non eſse Matriti contradictoria ſunt.

556 Præterea juxta Ariſt. 3. Methaph. c. 1. *Dubitationis ſolutio inventio eſt*. Ubi D. Th. lect. 1. ideſt, *cum invenitur, quod ſit verum id, circa quod dubitatur*. Sed per imperium voluntatis nihil novum circa veritatem additur: ergo nequit hoc imperio dubium ſolvi. Deniq; jura clamant contrarium: nimirum in dubio ęqualium probationum, æqualium jurium ſemper recurrunt ad alias regulas, ut eſt conditio poſſeſſionis, favendum eſt reo in dubiis &c. Numquam enim recurrunt ad voluntatis imperium: ex vi cujus ſolum poterit fieri depoſitio dubii benè, vel malè juxta notata ſupra §. 1. hujus art.

Reſpondebis tandem principali rationi, & conſequenter poſt illam adductis; quod licet repugnet intellectum aſſentiri ſimul duabus opinionibus inter ſe oppoſitis per idem medium; nihilominus non pugnat talis aſſenſus per media diverſa. Et ratio videtur manifeſta: quia ad contradictionem requiritur, quod fiat affirmatio ejuſdem de eodem: ubi autem media ſunt diverſa, non affirmatur idem de eodem, & ſecundum idem; quod ad contradictionem requiritur. Unde nulla erit contradictio in eò, quod intellectus aſſentiatur huic propoſitioni, *variari poteſt officium divinum*: ex illo motivo, quod de ſubſtantia præcepti tantum eſt, quod horæ perſolvantur: unde ſolum deficitur quoad modum, & ſic ſolum eſt culpa venialis: & ita docent plures, & graves Auctores. Et pariter aſſentiri alteri, quod *non poteſt variari* ex alio motivo: quia præceptum etiam eſt de modo, in quo datur materia gravis: & gravis culpa. Et ſic docent alii plures graves, & docti. Sed quia hujuſmodi reſponſio continet doctrinam univerſalem, concernentem materiam magni momenti, oportet illam diligenter examinare.

ARTICULUS II.

An per diverſa media poſſit quis ſimul aſſentiri utrique parti probabili inter ſe oppoſitæ? ubi diſcutitur: an modus opinandi novi probabiliſmi ſit juxta, aut contra principia Scholæ Thomiſticæ.

557 CUm in via probabiliſtarum (ut proximè viſum eſt) ad conciliandas ſimul in intellectu opiniones oppoſitas præcipuè fiat recurſus ad diverſa media: oportet examinare, an hoc modo legitime inferatur aſſenſus utrique parti inter ſe oppoſitæ: an vero in tali modo detur deceptio orta ex inconſideratione modi legitimè inferendi. Ex reſolutione hujus puncti pendet jacere firmum fundamentum pro legitimo, & vero modo opinandi, ut per aſſenſus verè, & non fallaciter opinativos, poſſint formari judicia practica rectè operandi. Aliàs, ſequetetur, quod Ang. Doctor ſapientiſſimè dixit: *ille graviſsimè ignorat, & periculoſiſsimè, qui errat circa principia priora. Ille autem, qui errat tantum circa concluſiones, poteſt reduci per principia, in quibus non errat*. Ita de ente, & eſſentia in princ. & opuſc. de uſuris in princ.

Et quia supra sæpè diximus, intentionem nostram esse in hoc opusculo habere ante oculos SS. Patrum doctrinam, præsertim D. Thomæ: cujus principia, & veramens, ubi nisi in ejus schola quærendam, & inveniendam existimandum esse? Ideo in hoc articulo cupimus investigare, an modus opinandi, & assentiendi utrique extremo opposito, & consequenter an via novi probabilismi sit juxta principia Thomisticæ Scholæ. Cum autem divagari per tot ejus Auctores, esset nimis molestum, & arduum, immo, & impossibile; ideo doctrinam, & principia Thomistica concernentia præsentem materiam summere curabimus, ex Salmanticensibus, & Complutensibus nostris. Nam juxta communem modum sentiendi non est facilè alios invenire, qui magis adhæreant doctrinæ D. Thomæ, & cum ejus principiis majorem habeant concordiam. Hoc non est nostri expendere, sed relinquendum saniori, & defæcatiori cæterorum judicio. At non omittimus aliquorum placita adducere.

558 Primum sit illa Epistola elegantissima RR., & sapientissimorum Patrum Prædicatorum ad Collegium N. Salmaticen., & refertur tom. 10. Salmanticensi in principio, & tom. 1. Reformat. Discalceat. Carmelit. lib. 1. cap. 16. in fine. In qua Epistola inter alia dicitur: *Vestris ergo laboribus, ac vigiliis, præterquod maxima ad S. Thomæ gloriam magna est accessio, sub mota sunt obstacula, quibus veritas Thomistica præpediebatur, ne libero pede curreret; nec enim diversa multorum Auctorum, aut comparanda erunt, aut legenda volumina, ut totius doctrinæ Thomisticæ notitia, ac defensio habeatur &c.* Deinde sapientissimus Gonet in 6. editione N. S. M. Theresiæ dicata, post plura inquit. *Quid de Salmanticensibus Theologis dicam? Quibus vix ullum S. Thomæ æmulum ingenio, diligentia, soliditate parem reperire est &c.* Addimus P. Hieronymum Vives eruditissimum; lib. 1. de scient. med. disp. 3. n. 32. ubi in margine habet: *Cursus Carmelitanus, qui pro decem millibus computandus.* Et in corpore inquit: *Quod dixerim, ut quoties legeris cursum Carmelitanum allegatum, adeò egregium, quid concipias in Schola D. Thomæ, ut hoc solo sententia, cui patrocinatur, pro vere Thomistica sit habenda &c.*

Sed non ommittendum judicium viri ingeniosissimi nullius scholæ studio addicti, sed liberrimæ sententiæ: is est illustrissimus Joann. Caramuel in commentar. Regulæ S. Benedicti n. 345. ita loquitur: *Qui Carmelitarum doctrinam admirari voluerit, legat libros, quos temporibus variis ediderunt, Complutensi Philosophico cursui, & Theologiæ Salmanticensi sententiæ aliàs probabiles debent quod sint expugnabiles securæ, & certæ. Sic loquor, & non sum Thomista. Commendo Scholam, laudo libros. Illam, quia nulla melior, illos, quia nulli meliores. Liberè dico; si deberem scholæ alicui nomen dare, illi potiùs quam alteri, & in illa illis potiùs aliis uterer: sed amo sentiendi libertatem.* Hæc monere voluimus ut nostram resolutionem auctoritate fulciamus, quoniam ut præscribit S. Joann. Chrysostomus in Ps. 95. *Non oportet quidquam dicere sine testibus, solaque animi cogitatione.*

§. I.

Nequit intellectus, vel per diversa media assentiri utrique parti opposita, nec aliud sustineri potest in doctrina Scholæ Thomisticæ.

559 Ne vocibus inhæreamus (ajunt Salmaticen. tr. 17. de fide disput. 2. dub. 6. n. 134.) *præ oculis habendum est; hæc duo esse longe diversa; judicare signatè aliquod medium esse probabile, ex eoque inferre opinativè conclusionem; & assentiri exercitè opinative conclusioni per medium probabile. Nam primus actus est actus scientiæ, & necessarius; secundus vero est actus opinionis, & cum formidine eidem annexa, habentque differentes rationes satis manifestas. Objectum enim prioris actus est aliquid necessarium: nam sicut verum est, quod ex principiis necessariis sequitur necessaria conclusio, ita ex principiis probabilibus sequatur conclusio probabilis. Objectum autem posterioris actus est aliquid contingens, nempe illa res, aut veritas, quæ ex principio probabili exercite deducitur. Deinde veritas prioris actus sumitur non per adæquationem ad*

pro-

propositionem objectivam de in esse, sed ad propositionem modalem, quę proinde potest esse vera, & si propositio de in esse sit falsa. Veritas autem posterioris actus sumitur per conformitatem ad rem ipsam sive propositionem objectivam de in esse, atque ideo nequit esse vera, nisi res, in quam fertur, ita se habeat: & concludunt. *Per opinionem intelligimus actum opinativum, quo quis assentiatur absolutè per medium probabile*. Hactenus Salmant. quod explicant exemplo physico.

560 Et potest breviter explicari exemplo morali: in illa quæstione: an sexagenarii teneantur jejunare. Perpendit quis principia probabilia, ex quibus deducit hanc conclusionem absolutè: *Senes sexagenarius non tenetur jejunare*: hic assensus est opinativus tantum, & probabilis, quia attingit objectum per medium probabile, & potest esse falsus (& ego ita esse judico.) Deinde potest signate de eodem medio, & conclusione judicare: *Probabile est, quod senex sexagenarius jejunare non tenetur*. Et hic assensus est certus: nam supposita probabilitate principiorum, manifestè sequitur, quod conclusio ex illis deducta est probabilis: sicut ex principiis necessariis sequitur necessaria conclusio. Præsens difficultas procedit de opinione quod sit talis, & de assensu per medium probabile. Non de propositionibus modalibus, & reflexis, de quibus infra dicemus nihil conducere ad inferendam honestatem in objecto, quando ex propositionibus directis, & probabilibus non infertur.

561 Complutenses antiqui in logica disp. 20. qu. 4. §. 1. n. 35. cum retulissent datam responsionem per diversa media &c. sic illam efficaciter refellunt. *Contra hoc est primo, & bene nota; quia ex hujus inconsideratione decipiuntur adversarii; quia intellectus, in quolibet syllogismo, quando post assensum præmissarum, assentitur conclusioni, assentitur ei absolutè sumptæ, & in se ipsa considerata, non vero in causa, ut ajunt, seu formaliter quatenus continetur in medio. Tum quia jam factum est in præmissis, ut vidimus* disp. 17. n. 29. *Tum quia alias rueret ars syllogistica, quæ consistit in eo, quod intellectus videat extremitates absolutè uniri cum quodam tertio, judicet absolute uniri inter se. Ergo semper in conclusione syllogismi judicat intellectus prædicatum absolute convenire subjecto. Sed impossibile est, quod de eodem prædicato absolutè sumpto simul judicet intellectus convenire contingenter, & non convenire contingenter eidem subjecto: ergo etiam per diversa media non potest simul habere assensum opinativum, & scientificum*. Hucusque Complut.

562. Ex adducta doctrina habetur; quod veritas actus opinativi debet haberi ex eo, quod intellectus judicat se conformari cum obiecto, ut est in se; & consequenter debet assentiri tali obiecto absolutè, & simpliciter, ut est in se; licet per medium probabile, & non prout obiectum est in intellectu: & ex hoc deducunt Salmanticenses, & Complutenses esse impossibile intellectum posse simul judicare idem prædicatum conuenire, & non convenire contingenter eidem subiecto. Sed animadvertendum est, qui sunt illi contrarij, de quibus asserunt Complutenses, quod ex inconsideratione illa decipiuntur? erunt ne solum Philosophi, vel Theologi solum speculativi; vel etiam morales, & practici? Audienda pro hujus rei cognitione, quæ refert perdoctus Elizalde 1. par. de recta regula morum lib. 2. quæst. „ 15. §. 1. Non omnino dissimilis est (ait) „ origo controversiarum de parte morali „ ex Logica. Ad illius finem disputant „ dialectici de demonstratione, ac subinde „ de scientiarum unitate, & evidentia; „ an scilicet differat ab opinione, qua ratione cum illa stare possit, aut pugnet. „ Inde existit controversia, quæ tota ad „ speculationem, nihil ad mores videbatur pertinere, an eadem de re per diversa media, demonstrativum unum, „ probabile alterum, mentis assensus opinativus, & scientificus possint convenire, simulque stare. Negant Thomistæ „ omnes ex duplici principio de leges artis syllogisticæ, quod vi medij, unde „ infertur conclusio, sequatur assensus, „ non solum illationis, sed etiam rei illatæ. Undè deducunt evidentem, & „ probabilem ejusdem rei assensum; quod „ perinde est, ac rem pro indubitata habere, & cum formidine, ne secus sit, „ illi assentiri. Recentiores nihil morati

Bb 2 quam-

„ quamlibet diffidentes in speciem, scien-
„ tiam, & opinionem, eas conciliant vi
„ diversorum mediorum. Atque ex hac
„ controversia omnino speculativa, quasi
„ ex scintilla incendium, conflata est hæc
„ cæterarum omnium origo de re morali
„ controversia, quam recentiores con-
„ tendunt stare tutam de utraque parte
„ contradictoria. Hæc ibi, & addit Elizalde ibi: Quod si ex verò documento Aristotelis: error quisque exiguus circa rerum originem, & principia fit in progressu decies millia major, facile erit ex hac origine ad conclusiones coniecturam facere.

Hæc duxi, quamvis videantur nimis diffusa, transcribere: ut in ipsis apertius conspiciatur deceptio ex inconsideratione, quam notarunt præviè Nostri Complutenses. Quæ satis suadent modum opinandi probabilismi esse contrarium principijs scholæ Thomisticæ, & expresse contra Salmanticenses, & Complutenses, qui eamdem doctrinam stabiliunt, quæ (ut ipsi asserunt, & ex proxima auctoritate constat,) est omnium Thomistarum. Et ulterius probatur assumptum ex doctrina, & fundamentis prædictorum in locis allegatis: & fit exemplum suprappositum: an sexagenarius teneatur jejunare. Probabilista utrumque amplectitur; huic consulit quod tenetur, alteri, (in quo non datur major excusatio) dicit teneri. Et rectè dicit, se consulere.

563. Contra sic. 1. Repugnat intellectum per judicium opinativum circa honestatem obiecti simul assolute assentiri, quod in se sit illicitum, & quod in se non sit illicitum: sed juxta doctrinam nostrorum authorum jam adductam, qui modo dicto consuleret, haberet simul tale judicium, seu assensum, siquidem absolute assentiretur, quod sexagenario licitum est non jejunare, & simul non est illicitum, quæ sunt contradictoria: ergo &c.

Confirm. ex eo dicunt adversarij in his assensibus non dari contradictionem, quia eliciuntur per diversa media, nam per idem medium quis potuit unquam cogitare deduci conclusiones inter se contrarias? sed juxta doctrinam expræssam dictorum authorum nostrorum, immo, & omnium thomistarum, nec per diversa media tollitur contradictio, nec sunt compossibiles illi duo assensus: ergo talis positio est contra scholam Thomisticam.

564. Probatur secundo fundamento sumpto ex Salmanticen. dicta disputat. 2. num. 144. Ad tollendam oppositionem contradictoriam, & privativam non sufficit diversitas causarum, aut mediorum, ex quibus effectus proveniunt: atqui medium, quo dicis hunc assensum: sexagenarius tenetur jejunare, & medium, quo assentiris, quod non tenetur; comparantur inter se ut causæ ad hos assensus sibi correspondentes: ut ex ipsis terminis liquet: ergo non tollitur contradictio per recursum ad diversitatem mediorum, ex quibus procedunt. Minor, & consequentia patent. Major autem probatur. Tum quia omnes effectus privativè, aut contradictoriè oppositi proveniunt à diversis causis, & medijs diversis, siquidem effectuum diversitas revocanda est in eorum causas. Ergo insufficiens est diversitas causarum ad reddendam possibilem eorum coexistentiam inter se: alias nunquam daretur contradictio inter effectus, quod est falsum. Tota hæc est doctrina Salmanticensium.

Confirmat. 1. Gratia sanctificans, & peccatum non possunt consistere in eodem subiecto: & gratia causatur à Deo, peccatum, ab homine; lux provenit à corpore luminoso, & tenebræ à corpore opaco, & implicat coexistere in eodem subiecto. Item accedendo ad rem præsentem falsitas in intellectu provenit à defectibilitate virtutis intellectivæ creatæ, veritas à lumine rationis: quo non obstante implicat eumdem intellectum esse verum, & falsum circa idem obiectum.

Confirm. 2. ex eisdem Salmanticen. dicto numero 144. & ex Compluten. dicta disput. 20. num. 36. Quia si diversitas mediorum sufficeret ad coexistentiam præfatorum assensuum, possent esse simul assensus certissimus fidei, & etiam erroneus. v. g. Deus est trinus, Deus non est trinus: hoc est absurdum: ergo illud ex quo sequitur. Sequela ostenditur, quia sicut contradictio à nobis intenta inter duas opiniones oppositas ejusdem obiecti provenit à diversis medijs, ita contradictio re-

reperta inter aſſenſum fidei, & errorem illi contrarium procedit à diverſis medijs, & principijs; ergo ſicut prior illa contradictio vitatur ratione diverſorum mediorum, pariter poſterior excluditur per diverſa media. Undè intellectus ex virtute revelationis divinæ poterit credere Deum eſſe trinum; & per illud principium, quæcumque ſunt realiter idem inter ſe, ſunt idem uni tertio &c. poterit credere Deum non eſſe trinum, quod eſt abſurdum.

§. II.

Nec formido opinionis prodeſt, ut compatiantur ſimul prædicti aſſenſus.

565. NEc per hoc quod aſſenſus opinativus ſit cum formidine, tollitur repugnantia inter præfatos aſſenſus: Nam cum obiectum intellectus ſit verum, dum aliquid judicat, id debet judicare ſub ratione veri: Unde judicium opinatiuum exiſtens in intellectu debet eſſe abſolutè de obiecto in *eſſe*, ſeu ſibi apparente vero in ſe, (ut expreſſe docent Salmanticenſes, & Complutenſes) licet cum formidine, quod fortè poſſit aliter eſſe. Quare opinio exiſtens ſubiectivè in intellectu idem eſt ac aſſentiri, aut dicere: *judico abſolute, licet cum formidine ſexagenarium teneri jejunare*: opinio contraria eſt idem, ac dicere: *judico abſolutè eſſe verum, quod tenetur jejunare, licet cum formidine*: ac proinde in hoc ſecundo judicio implicitè aſſerit primum judicium non eſſe verum. Atqui hæc duo judicia contradictoriè opponuntur, nec contradicti o vitatur ratione diverſorum mediorum, ut probatum eſt, & citati authores docent. Ergo &c.

Confirm. ex diffinitione opinionis, quam tradit Divus Thomas 1. part. quæſt. 79. art. 9. ad 4. *Opinio eſt actus intellectus, qui fertur in unam partem conradictionis cum formidine alterius*: quam omnes Thomiſtæ propugnant. Itaque dum intellectus aſſentitur huic obiecto: *Contractus A. eſt licitus*, fertur, ſeu movetur in hanc partem contradictionis, quaſi accedendo; & ideo rationes, ex vi quarum fertur, dicuntur motiva: Econtra dum negat eſſe licitum, recedit ab hoc obiecto: ſed implicat aliquid reſpectu ejuſdem termini, ſimul ad ipſum moveri, & ab illo recedere, nec per diverſa media: ergo aſſenſus oppoſiti, de quibus eſt quæſtio, nec per diverſa media coexiſtere poſſunt.

566. Sed obijcies expreſſum D. Thomæ teſtimonium in 3. diſtin. 31. quæſt. 2. artic. 1. q. 1. ad 4. opinio, & ſcientia, quamvis ſint de eodem, non tamen ſecundum idem medium, ſed ſecundum diverſa, & ideo poſſunt eſſe ſimul: ergo corruunt hucuſque dicta. Nihilominus omnes Thomiſtæ conſentiunt repugnare opinionem cum ſcientia. Quod clariſſime docet D. Thomas pluribus in locis, quos referunt Salmanticenſes dicta diſput. 2. num. 135. præſertim quæſt. 14. de verit. art. 9. ibi: *Dicendum, quod non videtur eſſe poſſibile, quod aliquis habeat de eodem ſcientiam, & opinionem, quia opinio eſt cum formidine alterius partis, quam formidinem ſcientia excludit*. Et 22. quæſt. 1. ar. 5. ad 4. ibi. *Dicendum, quod ſicut Philoſophus dicit a diverſis hominibus de eodem omninò poteſt haberi ſcientia, & opinio, & infra. Sed de eodem, & ſecundum idem non poteſt eſſe ſimul in eodem homine ſcientia, nec cum opinione, nec cum fide. Quia de ratione ſcientiæ eſt, quod id quod ſcitur, exiſtimetur eſſe impoſſibilè aliter ſe habere; de ratione autem opinionis eſt, quod id quod ſcitur, exiſtimetur eſſe poſſibile aliter ſe habere*. In quibus locis tamquam in vltimo teſtamento proprium dictamen explicat Doctor Angelicus. Unde ad locum in contrarium reſpondent Complut. n. 43. & Salmantic. n. 149. D. Th. mutaſſe ſententiam, nam in locis proximè citatis ad idem argumentum, (cui alibi reſpondet admittendo coexiſtentiam ſcientiæ, & opinionis) dicit eſſe impoſſibile. Aliam ſolutionem aſſignant Salm. cũ Joanne à S. Thoma in cit. loco D. Th. vbi poteſt videri, & etiam ſolutio ad alia argumenta, quæ, ne ſimus nimium diffuſi, ommittimus.

§. III.

§. III.

Implicant assensus oppositi etiam divisive, nisi addatur nova ratio ex parte alterutrius.

567 RESpondebis, admisso quod juxta Thomistas nostros non possint esse simul in eodem intellectu ejusmodi oppositi assensus, hoc non tollit quod possint esse successivè, & diverso tempore: nunc dicendo sexagenarium teneri jejunare, & postea contrarium amplecti, suspendendo prius judicium, & è contra: quod sufficit ad libertatem opinandi prætensam in via probabilismi. Et ideò Noster Laurentius à S. Teresia t. 3. controv. 8. n. 21. licet amplectatur sententiam benignam considerans nonnulla ex his, quæ adducta sunt: ait: *Hæc, & alia, quæ adduci possent, ostendunt rem hanc difficiliorem esse, quam prima fronte appareat*. Et ideò respondet; concedendo, repugnare intellectum simul, & in eodem tempore assentiri utrique parti: secus in sensu diviso, seu diverso tempore; & rationem assignat; quia dum actu accedit ad unam, actu recedit ab altera, servata tamen potentia ad aliam, dum voluerit.

568 Cæterum si hæc responsio debitè intelligatur, non inficiaremur illam admittere. Pro cujus intelligentia est notandum, quod etiam si intellectus rationabiliter, & prudenter assensum præbuerit parti probabiliori, potest à voluntate moveri, ut deserat motiva ob quæ illi opinioni assentiebatur, (juxta dicta supra art. præced. §. 1. num. 550.) & assentiatur contrariæ. Quod si fiat intuitu inveniendi veritatem, & seriò inveniat urgentiora motiva, rectè, & prudenter assentiri poterit, secus si alia intentione non recta, passione, affectu, inclinatione, aut commoditate movetur ad quærenda motiva, tunc intellectus facilè obcœcatur, cum verum sit illud axioma D. Th. 2. 2. q. 60. art. 3. *Quia unusquisque facilè credit, quod appetit, (& etiam verificaretur illud;) noluit intelligere, ut bene ageret*. Si divertit attentionem à motivis impellentibus ad partem tutiorem, & attentionem figit in alia, quæ magis conducunt ad libertatem, & commodum, ut sæpè contingit, non difficulter assentietur parti minus tutæ, & contra legem; sed imprudenter, nec à peccato excusabitur, ut fusius art. sequenti tractabitur. Quare si responsio data intelligatur de mutatione opinionis, seu assensus primo modo hic explicato, consentimus, si vero secundo modo, tamquam certissimum habemus, illicitè procedere.

Quare difficultas est, quando fundamenta utriusque partis sunt æqualia, vel minora ex parte unius, an intellectus possit assentiri cuicumque voluerit? Et supponimus tutiorem amplecti posse, quia in illa certissimè habetur honestas. Dicimus ergo intellectum non posse assentiri, adhuc successivè, parti, in qua non existimet dari majora fundamenta, & magis accedere ad veritatem. Hoc efficaciter probatur fundamento secundò latè apposito art. præced. §. 2. per totum.

569 Deinde probatur, supponendo priùs, quod operans, dum exercere vult aliquod opus, vel actum elicere, debet ponderare utriusque partis fundamenta seriò, & intentione invendi veritatem, & illis benè pensatis judicium facere secundum rationem; in quo nemo prudens non consentiet. Hoc supposito probatur. Judicium opinativum assentitur objecto, prout existimatur esse reipsa ita in se, ut docent Auctores nostri locis supra adductis: sed hoc ipso nequit assentiri parti æque, vel minus probabili: ergo. Prob. minor. Nam cum objectum intellectus sit verum, nequit assentiri objecto, ubi determinatè non existimat esse verum, nec voluntas potest illum extrahere extra suam sphæram, sicut non potest facere quod visus audiat, aut auditus videat: cum autem datur æqualis probabilitas, intellectus in neutra agnoscit determinatè verum, aut falsum, ut constat. Unde si alicui parti v. g. minus tutæ assentiretur, sè hoc modo haberet; *Ego benè existimo dari æqualia fundamenta, vel majora adjudicandum contractum hunc esse usurarium, & illicitum: nihilominus judico assensu firmo, & absoluto, licet cum formidine non esse usurarium, & esse licitum in se; quia habeo fundamenta, licet minora ad hoc judicandum*. Quomodo poterit fieri ad libitum similis assensus, ità ut veritas attingatur?

570

570 Ulterius explicatur: duo, vel tres testes affirmant equum pertinere ad Titium, alii tres omnimodæ qualitatis, asserunt esse Semphronii. Poterit Judex ad libitum judicare reipsa pertinere ad istum, vel illum determinate? Si audires illorum dicta, ad quam partem te inclinares, si rationabiliter procederes? Certè ad nullam. Immo esset impossibile nec simul, nec successivè secluso omni alio motivo, judicare pertinere ad aliquem ex duobus determinatè, etiam si voluntas cogere vellet intellectum ad judicandum pro aliquo determinatè, sed remaneres in statu dubitantis. Hoc contingit, dum intellectus existimat dari pro utroque extremo æqualia fundamenta. Si autem pro una dantur minora, multo minus poterit illi assentiri. Hæc est expressa doctrina D. Th. loc. sup. n. 305. citatis; & etiam Aristotelis 3. Meth. cap. 1. *Quatenus dubitat eatenus simile quidam ligatis patitur: Utroque enim modo impossibile est ad ulteriora procedere.* Ubi Ang. Doct. *Sicut enim ille, qui habet pedes ligatos, non potest ad anteriora procedere secundum viam corporalem, ita ille qui dubitat, quasi habens mentem ligatam, non potest ad ulteriora procedere secundum viam speculationis.* Dum autem fundamenta sunt æqualia intellectum esse in statu dubitantis est expressum D. Thomæ locis d. §. 2. citatis.

571 Confirm. ratione qua Joan. à S. Thoma utitur in 1. 2. quæst. 1. disp. 3. n. 22. Habita visione, vel demonstratione, quod non possit quis uti actu fidei pro diverso tempore, ex eo patet, quia manente scientia, & memoria demostrationis præteritæ semper manet impedimentum fidei, sicut qui semel vidit Romam, non potest amplius credere Romam esse, licet actu non videat illam: Hæc citatus Auctor: Sed hæc ratio etiam militat in casu nostro: Siquidem intellectus ut rationabiliter agat, & ad unam partem prudentem se inclinet, debet perpendere, & habere in memoria fundamenta alterius partis: ergo sicut repugnat collective, seu in eodem tempore utrique parti assentiri, etiam repugnat divisive, seu diverso tempore, quia fundamenta æqualia, vel majora v. g. partis negativæ impediunt assensum affirmativum pro alia. Et si assentiatur, procederet irrationabiliter, quod probant omnia quæ hactenus dicta sunt in hoc opere, & specialiter art. seq. dicetur, & deinceps.

Respondebis doctrinam adductam nostrorũ Auctorum, & aliorum Thomistarum vendicare sibi locum solum in judiciis speculativis, secus in practicis, & hoc, & non aliud probare rationes propositas, & auctoritates D. Thomæ: potest enim judicium speculativum esse falsum, & tamen practicum esse verum: quia ex diverso medio sumitur utriusque veritas. Deinde possunt coexistere præfati assensus oppositi practicè sumpti per principia reflexa probabilistarum. Præterea quis ignorat dari plures Thomistas doctrina, & pietate præstantes amplectentes probabilismum, & consequenter propugnantes, & astruentes præfatos duos assensus oppositos? Ex quibus infertur non esse contra principia Scholæ Thomisticæ modum opinandi novi probabilismi. -- Cæterum non est alicujus momenti responsio hæc, si bene perpendantur principia, fundamenta, & auctoritates ex Thomistica Schola adducta. Et ulterius occasione impugnandi hanc responsionem, & quæ pro illa adducuntur, ulteriora, efficaciaque fundamenta extruemus, quibus magis constabit veritas doctrinæ, quam in hoc articulo propugnamus: quod fiet articulis quatuor sequentibus, præsertim art. 4.

§. IV.

Argumenta contraria solvuntur.

572 OBjicies 1. auctoritates D. Th. tum 1. 2. q. 17. art. 6. Ubi loquens de opinionibus ait: *In talibus assensus ipse, vel dissensus, est in potestate nostra.* *Tum etiam* q. 14. de verit. art. 1. inquit: *Intellectus determinatur per voluntatem, quæ eligit assentiri uni parti determinate, & expresse propter aliquid, quod sufficiens est admovendam voluntatem, non admovendum intellectum, utpote, quæ ubi bonum, & conveniens est, assentitur.* Quid clarius. Resp. ad 1. S. Doctorem loqui de potestate voluntatis non immediata ad utrumque extremum, sed de immediata respectu unius partis, & mediata respectu alte-

alterius. Modo dicto §. præcedenti n.568. & artic. præcedenti §. 1. num. 550. Ad. 2. dicimus intelligendum de motione immediata quo ad exercitium. v. g. intellectus cognoscit majora fundamenta adesse, quod possit variari officium divinum, potest præscindere, & assentiri nec huic, nec alteri parti contrariæ: quia nullum objectum, nisi sit evidens, potest illum necessitare: & ad auferendam hanc suspensionem requiritur motio voluntatis libere decernentis ex aliquo motivo proprio ipsius intellectus, ut hic uni parti assentiatur, ad quod etiam requiritur, quod ex parte illa detur motivum præstantius, & magis inclinans intellectum ad ipsam: ut expresse docet ipse S. Doctor dict. art. 1. Ubi ait: *quandoque vero intellectus inclinatur magis ad unum, quam ad alterum, sed tamen illud inclinans non sufficienter movet intellectum ad hoc, ut quod determinet ipsum in unam partium totaliter, unde accipit quidem unam partem, tamen semper dubitat de opposita, & hæc est dispositio opinantis.*

573 Objicies 2. assensus fidei est nobis liber non solum quoad exercitium, sed etiam quo ad specificationem: Siquidem potest quis assentiri mysteriis fidei solum ex imperio voluntatis, & etiam dissentiri, & amplecti errores contrarios; ergo ex imperio voluntatis potest intellectus assentiri etiam parti minus probabili. Prob. antec. ex D. Th. 2. 2. quæst. 2. art. 1. ad 3. ibi: *Intellectus credentis determinatur ad unum, non per rationem, sed per voluntatem: Et ideo asensus hic accipitur pro actu intellectus, secundum quod à voluntate determinatur ad unum*. Et confirm. quia in actis Apost. cap.7. dicitur quod propositis mysteriis fidei eodem modo, quidam crediderunt, alii vero dissentierunt.

Resp. D. Thomam, dum docet, quod ex imperio voluntatis intellectus determinatur &c. loqui de motione mediata, quam potest voluntas exercere applicando intellectum ad considerationem unius partis potius quam alterius, quatenus antecedenter erat intellectus quasi indifferens: non verò potest intelligi, quod voluntas determinet intellectum immediate, ita quod ex proprio ipsius motivo non adhæreat determinatè assentiendo mysteriis fidei. Nam si hæc in mediata indifferentia tribueretur intellectui ad prædictum fidei assensum, & etiam ad assentiendum erroribus, timebit deceptionis periculum, quando mysterio assentitur: quandoquidem contrarium tunc illi probabile apparet, itaut possit illi errori proxime assentiri. Quod est absurdum.

Ad confirm. resp. quod licet eodem modo fuit fides proposita, non eodem modo audientes fuisse dispositos, non eodem modo appræhendisse mysteria, seu illis attendisse; non eodem modo fuisse omnibus collatam gratiam præsertim efficacem; *quia non volentis neque currentis &c.*

574 Objicies 3. Ita si habet voluntas ad bonum, sicut intellectus ad verum: At voluntas potest ex duobus æqualibus, vel inæqualibus quodlibet, immo, & bonum minus eligere: ergo etiam intellectus saltem quatenus subjicitur imperio voluntatis circa verum: -- Respondetur hanc paritatem potius nobis favere, & contra adversarios militare: Nam etiam voluntas nequit eligere pro sua libertate ex duobus bonis sibi propositis alterum illorum, dum sunt omnino æqualia, & multo minus id, quod est minus bonum. Quod quidem videtur expressum D. Thomæ 1.2. quæst. 13. art. 6. ad 3. ibi: *Nihil prohibet, si aliqua duo æqualia proponantur secundùm eamdem considerationem, quin consideretur alia conditio, per quam emineat, & magis flectatur voluntas in ipsum, quàm in aliud*. Ergò non flectetur, si non emineat. Quarè hanc sententiam expresè docent Salmanticenses Nostri tom.3. in 1.2. qu.13. in coment. dicti artic.6. ubi cum hoc dubium, seu quæstionem excitassent, respondent: *Nobis verior, magisque ad mentem Angel. Præceptoris videtur pars negativa; (& se remittunt pro ejus probatione ad ea, quæ tradiderunt in eod.tract.de Voluntario disp.2. à n.14.)* Idem docet, & probat latè, & efficaciter Alvar. in 1.2.disp.54.citans Cajet.Conrad.Ferrar. Soncin. &c. Undè ex hoc potius confirmatur assumptum nostrum esse doctrinam Salmanticensium, & Thomistarum. Quarè neganda est minor argumenti.

Et admiso, quod voluntas posset eligere æquale, aut minus bonum, datur disparitatis ratio respectu intellectus: quia æqua-

æquale, vel minus respectu voluntatis retinet rationem boni respectu alterius oppositi; undè non extrahitur voluntas ab objecto proprio. Non sic respectu intellectus in utraque parte opposita objecti opinabilis; tunc enim extrahitur intellectus à suo objecto, quià in æquali, in nulla parte apparet determinatè verum, in minori magis apparet falsum.

§. V.

Concluditur quid tenendum juxta doctrinam Thomisticam, & veritatem.

575 EX dictis in hoc articulo, & precedenti per rationem philosophicam concluditur; non posse intellectum assentiri opinionibus oppositis circa idem objiectum, nec in eodem tempore, nec diverso, stantibus æqualibus motivis ex parte utriusque, & multo minus illi, in qua existimat dari motiva minora. Quia, non aliter id fieri potest, nisi quatenus intellectus procedit per diversa media, aut opiniones subsunt diversis mediis, v. g. in illa celebri quæstione: an tenearis recitare Officium divinum cum attentione interna sub peccato mortali, præscindendo an tenearis sub veniali. Dicis: utrique extremo te posse assentiri ex diverso motivo, ex uno elicis hanc conclusionem, *teneor*, & ex alio *non teneor*: ac proinde dicis esse licitum sine tali attentione recitare, quatenus subest huic opinioni, & non esse licitum quatenus subest alteri. Ex dictis igitur concluditur hoc repugnare. Primo: quia hoc modo nulli sibi adinvicem contradicerent, dum scribunt, vel disputant: Nam qui disputant, & affirmant, & negant: & planè non per eadem motiva, & per easdem præmissas; sed per diversas negant hi, & illi per alias diversas affirmant. Aliàs rueret tota ars Syllogistica, ut notarunt rectè Auctores nostri.

576 Secundo, (ut ipsi Auctores nostri docent, tam Complut. quam Salmantic.) Enuntiatio conclusionis, circa aliquod objectum, elicitur absolute, & prout *de inesse*, quatenus attingit objectum, prout est in se, seu ut existimetur absolutè ita esse in se; non vero ut subest præmissis, seu motivis: Absolutè enim enunciat: Homo est animal: Joannes est homo: ergo Joannes est animal, absolute, non quatenus sub est præmissis, est animal. Hinc apparet fallacia illa concludendi: omne quod est probabile, seu de quo est opinio probabilis, est licitum: sed hoc reperitur circa modum recitandi; nimirum datur opinio probabilis licere recitare sine attentione interna: ergo est licitum sic recitare. Hæc conclusio est absoluta, illique intellectum absolute assentiri significat; non ut subest opinioni probabili; & consequenter assentitur objecto, ut in se est: quod ex vi præmissarum facere nequit, cum ex illis non inferatur absolutè conclusio. Unde solum poteras inferre; ergo prout subest opinioni probabili, est licitum. Et sic nihil diceres.

Tertio Sacerdos recitaturus est recitationem in se, non ut subest opinioni probabili de Machado, vel Dianæ, hoc enim ad secundas pertinet intentiones, quæ non sunt de rebus, recitare vero pertinet ad res, & pariter bene, vel male recitare. Quid ergo dictat tibi conscientia tua de actione recitandi in se? Si aliud quodlibet tibi dicit, quod non pertineat ad licitum, vel illicitum in se, nihil tibi dicit; Nam tibi hoc unum interest: an talis modus recitandi in se tibi liceat, vel non liceat? Si ad hoc non respondet tibi conscientia, non poteris licite ad actionem procedere. Quomodo ergo in eodem, vel diverso tempore potest tibi dictare tua conscientia recitationem hujusmodi sine attentione tibi licere in se, si habes æqualia, vel majora motiva, quod talis modus recitandi est illicitus in se? Ex quibus apparet, quam contrarius sit modus hic opinandi, Auctorum nostrorum doctrinis, & quanto jure notarunt Complutenses deceptionem, & quòd hoc modo ruit ars Syllogistica.

ARTICULUS III.

Utrum sectari opinionem minus tutam, dum probabilior non apparet, sit juxta veram prudentiam, an potius juxta prudentiam carnis?

§. I.

Proponitur conclusio, & quibusdam suppositis probatur.

577 Dicendũ est, quod adhuc admisso intellectum posse assentiri parti æqualiter, vel minus probabili, insectanda sententia minus tuta, si operanti probabilior non apparet, non operatur secundum veram prudentiam, sed imprudenter, & secundum prudentiam carnis. Ita omnes Auctores antiqui ante ortum novum probabilismum, & omnes antiprobabilistæ. Pro quo animadvertendum est, id quod ex D. Th. docent N. Salmant. tom. 3. de bonit. & malit. disp. 1. dub. 5. num. 65. Quod sicut ordo artificialis ejusque obliquitas, & rectitudo attenditur, per comparationem ad finem particularem, quem artifex intendit; ita ordo moralis consideratur per habitudinem ad finem ultimum humanę vitæ, qui se habet ad hominem, in quantum agens morale est, sicut finis particularis ad artificem, inquantum artifex est. Undè tota rectitudo, vel deformitas in ordine morali, atque adeo tota bonitas, vel malitia mensurari debet secundum proportionem, vel improportionem ad prædictum finem; nec censendum est hìc, & nunc moraliter bonum, quod ex aliquo capite redditur fini ultimo improportionatum. Hactenus prædicti Patres.

578 Quibus addendum id, quod docet D. Thomas 1. 2. qu. 57. art. 4. ad 3. ibi: *Prudentia est benè consiliativa de his, quæ pertinent ad totam vitam humanam, & ad ultimum finem vitæ humanæ*: Quod magis explicat articulo sequenti in corp. ibi: *Ad hoc autem, ut quis benè operetur, non solum requiritur quid faciat, sed etiam quomodò faciat, ut scilicet secundùm electionem rectam operetur, non solùm ex impetu, & passione. Cum autem electio sit eorum, quæ sunt ad finem, rectitudo electionis duo requirit; scilicet debitum finem, & id, quod convenienter ordinatur ad debitum finem. Ad debitum autem finem homo convenienter disponitur per virtutem, quæ perficit partem animæ appetitivam, cujus objectum est bonum, & finis; ad id autem, quod convenienter in debitum finem ordinatur; oportet, quod homo disponatur directè per habitum rationis.* Hæc Angel. Doctor, qui concludit: *quod per prudentiam perficitur ratio, ad hoc, quod convenienter se habeat ad ea, quæ sunt ad finem.*

579 Ex his facilè probatur assertio nostra: Modus regulandi conscientiam nitendo opinioni minus tutæ, & tantùm ęquè, vel minus probabili non est secundùm prudentiam: ergo potius sic operans, imprudenter operatur. Consequentia patet; & anteced. prob. Nam medium, quod eligitur in ordine ad finem moralem vitæ humanæ, qui consistit in bono virtutis, immo est ipse Deus, debet esse conveniens tali fini, & habere proportionem cum illo, ut ex se constat, & docet D. Thom. & Salmanticen. supra: & hoc est medium, & non aliud, quod eligit prudentia, & est secundùm prudentiam, ut ipsimet docent. Sed opinio, de qua est quæstio, & operatio per illam regulata, non est medium habens proportionem cum præfato fine, nec est illi conveniens: quomodò potest dici conveniens fini, & bono morali, medium, quod æquè est difformè, ac conforme, æquè conveniens, & disconveniens tali fini; & multò minus quod magis difforme, & disconveniens existimatur? ergò non est secundùm prudentiam.

580 Confirm. Medium, quod eligitur in ordine ad aliquem finem debet conducere ad finis illius consequutionem, aliàs imprudentissima esset electio: Sed opinio minus tuta, æquè, vel minus probabilis, & operatio ipsa regulata, existimatur æquè, vel magis opponi consequutioni prædicti finis, cùm iste positivè, & determinatè est honestus, & exigit proportionatam honestatem; operatio regulata per talem opinionem est indifferenter mala, ac bona, inhonesta, ac honesta, vel potius magis inhonesta apparet: ergò imprudens est talis electio.

Ulterius confimatur paritate, & exẽplo

plo adducto à Salmanticen. ex D.Thoma. Ordo moralis consideratur per habitudinem ad finem ultimum humanæ vitæ, itaut se habeat ad hominem inquantum agens morale est, sicut finis particularis ad Artificem, inquantum artifex est: At si artifex intendens domum ædificare, si pro ædificio eligeret materiam; v.g. lapidem, trabem, &c., quæ æquè indifferentia essent ad destructionem domus ædificandæ, conduceret operarios, de quibus æqualiter existimaret ædificaturos, ac destructuros, quid diceremus? Operaretur secundùm prudentiam artis ædificatoriæ? Si diceret: nitor opinioni probabili æque, & etiam minùs? Nonnè non riderent omnes? Cur ergò in ordine ad superiorem finem vitæ humanæ, qui est bonum honestum, vel potius ipsummet bonum per essentiam, in cujus assequutione consistit tota nostra fœlicitas, erit secundùm prudentiam, quæ nos ad illum dirigit, eligere simile medium?

581 Et quia tota vis sententiæ benignę nititur in modo opinandi secundum prudentiam, alia videamus exempla: In primis ex partibus subjectivis prudentiæ, de quibus D.Thom. 2.2. qu. 50., & Salmanticenses in arbore Virtutum à num. 41. Si Princeps statueret legem indifferentem ad nocendũ bono Reipublicę æquè, ac ad illud conservandum; aut si Capitulum generale conderet constitutionẽ, quæ ęqualiter esset indifferens ad violandã castitatem; hujusmodi Gubernatores dicerentur in hoc prudentes, & procedere rectè secundùm prudentiã regnatricem? Idem de Generali Exercitus, qui omnibus cõsideratis, eligeret medium, quod æquè, vel magis esset verisimile futurum esse excidium sui Exercitus, quàm conducens ad victoriam consequendam. Ergò cùm intellectus sit princeps, & gubernator in hoc Mundo minori, imprudenter operatur eligendo medium æqualiter, vel magis contrarium bono honesto, quod est finis humanæ vitæ, quem debet intendere per virtutes, & maximè per prudentiam.

Quis item infirmus prudenter renueret summere potionem, quia aliquantum est amara, quam omnes Medici affirmant valdè conducere ad sanitatem recuperandam: & acciperet aliam, quia dulcis, de qua est ęquè, vel magis probabile illi mortem allaturam, licèt probabile esset ipsi non esse nocituram? Certum est enim, quod nemo existimaret infirmum verè, & seriò propriam sanitatem intendere. Idem posset exemplificari in aliis innumeris actionibus, & modis se habendi hominum in rebus, & negotiis humanis; qui adeo seriò, & vigilanter attendunt in eligendis mediis non utcumque probabilibus, sed saltem moraliter certis; & quæ reipsa conducant ad finem, quem intendunt: nec se fidunt dictis unius, duorum, vel trium, sed inquirunt rerum veritatem, aliàs imprudenter agere existimarentur. Quid ergò dicendum circa negotia vera, & adeo præstantia, ut sunt leges divinæ, animarum salus? Quid de prudentia, quæ simpliciter est talis, & vera virtus, & inter morales nobilissima, & omnium caput, & initium? *Quid illa virtus, quæ prudentia dicitur*, (ait D.Augustin. lib.9. de Civit. Dei c.4.) *nonnè tota vigilantia sua bona discernit à malis, ut in illis appetendis nullus error obrepat, nec in istis vitandis*? Responsioni, & objectioni vulgari, quam huic efficaci argumento adhibent probabilistę, occurremus infra.

582 Tandem deveniendo ad praxim, & accedendo ad sectantes exercitè opinionem minus tutam, relicta probabiliori, seu æquè probabili pro lege, inquiramus, ut dicant seriò, ex qua intentione oritur in illis regulariter electio ejusmodi opinionis? Et debemus supponere doctrinam omninò certam Doctoris Angelici, exponentis prudentiæ munus, 2.2. qu.49. artic.7. *Ad prudentiam*, ait, *præcipuè pertinet rectè ordinare aliquem in finem, quod quidem rectè non fit, nisi & finis bonus sit, & id, quod ordinatur ad finem, sit etiam bonum, & conveniens fini*. Electio ergò præfata est nè ex charitate? Hæc nullo modo admittit, quod est indifferens, ut maximè displiceat, aut placeat Deo. Erit ex motivo alterius virtutis? Ista in ejus operatione supponit appetitum rectum (ut docet D.Thomas 1.2. qu. 58. art.3. ad 2.) cujus rectitudo consistit in intentione boni honesti, & hoc non stat cum periculo transgrediẽdi legem Dei, nec qui intendit talem finem, prudenter eligit, quod cognoscit verisimilius impeditu-

rum, quam conducturum ad ejus consequutionem.

Quid ergò responsurus, nisi quod regulariter ita eligit, quia est conforme suæ libertati, aut appetitui delectabili, aut desiderio alicujus cómodi temporalis &c.? Si exercet contractum, vel actionem, de qua dubitat, an sit usuraria, seu simoniaca, nixus opinioni, de qua existimat potius esse falsam, quid regulariter quæritur, nisi commodum temporale? In quo casu ait D.Thomas quodl.8. art. 13. *Quod periculo se exponit, utpotè magis amans beneficium temporale, quam propriam salutem*. Ergò talis electio non est juxta veram prudentiã, Sed secundum prudentiam carnis, quæ mors est, ut ait Apost. c.8. ad Rom.

§. II.

Ulterior probatio assertionis ex doctrina D. Thomæ, & Salmant.

583 Animadvertendum est (ut ex Divo Thoma docent nostri Salmanticenses de bonitate, & mal. disput.5. dub.1. num. 5.) proximam regulam moralitatis, à qua tota bonitas moralis dependet, esse judicium practicum de convenientia hîc, & nunc actus eliciendi, seu imperium, qui sunt proprii actus prudentię. Undè non aliter in quocumque actu humano poterit esse bonitas moralis, nisi quatenus huic judicio conformetur, & ab eo imperatur; quod est res perspicua. Judicium autem hoc plura requirit, quorum quolibet deficiente, amittit rationem prudentię, & regulæ, & fit actus vitiosus, vel imprudentiæ, vel prudentiæ carnis, vel temeritatis, &c., quæ cum vera prudentia habent oppositum. Obidque tot assignantur partes prudentiæ, sicut eubulia, synesis, &c., quæ ad eam, ut præambulæ, ordinantur, sed etiam providentia, circunspectio, ratio, & aliæ, quæ ejus actum committantur; de quibus D.Th.2.2. q.49.

584 Potissimè autem ad judicium veræ prudentiæ requiruntur tria: Primò rectitudo voluntatis, quæ est bona intentio finis, ad quem actus humanus per prudentiam dirigitur: ut D.Thom. 2.2. qu.47. artic. 13. ad 2. Deindè requiritur bonum consilium, & judicium verum de mediis eligendis; ut tradit D.Thom. 2.2. quæst. 49. art.6. ad 3. Tandem requiritur ad actum prudentię tanquam simpliciter necessaria circunspectio, & attentio circunstantiarum hîc, & nunc occurrentium, & collatio eorum cum fine, & cum his, quę sunt ad finem; ut dicta q.49. art.7. docet idem Doct. Ang. Hæc ex Salmant. loco cit.

Ex quibus formatur hæc ratio: ad verum judicium prudentiæ, ut modò visum est, requiritur intentio finis honesti, sanum consilium de mediis, & circunspectio, & cautio de circunstantiis, quorum si aliquid desit, non datur actus prudentiæ; sed actus, qui non apparet verisimilius conformior rectæ rationi, non habet ejusmodi requisita; ergò non est actus veræ prudentiæ. Prob. min. Actus, qui verisimilior apparet difformior, aut æquè difformis, ac conformis rectę rationi, omnibus circunstantiis hìc & nunc occurrentibus pensatis, non est capax sani consilii, sed consilium erit ita pariter difforme: non invenitur in ejus electine vera circunspectio, & cautio, hæc enim semper cavent malum vitare, & consequenter rejicere, quod indifferenter, seu magis malum apparet, quàm bonum. Tum etiam, quia dabile non videtur, auctorem naturæ, & gratiæ tot virtutes, & adeo prę-stantes, & inter morales excellentiores, instituisse ad approbandum, & regulandum hunc actum: *Sive hæc opinio (docens non dari obligationem confitendi circunstantiam notabiliter aggravantem gravissimæ quantitatis furti) sit vera, sive sit falsa, vel quamvis potius sit falsa, & contra Christi præceptum, volo facere meam confessionem licitè sine manifestatione gravissimæ quantitatis furti à me ablatæ, dicendo, furatus sum quantitatem gravem*. Qui prædictam opinionem amplectitur, virtualiter facit hunc discursum. Et numquid nobis debemus persuadere illas nobilissimas virtutes, imò ipsum Deum approbare ejusmodi discursum?

585 Confirmatur ratione ipsorum Salmanticensium loco supra citato: *Sicut vera, & scientifica conclusio in syllogismo speculativo non sequitur, nisi existentibus principiis, veris, & necessariis, &c. ita in syllogismo practico, imperium, quod simul cum actu imperato se habet ut conclusio, non potest esse rectum,*

ctum, & actus prudentiæ, nisi finis, qui in hoc ordine rationem principii sortitur, sit bonus, & honestus. Hæc ibi. Ubi igitur est finis bonus, & honestus illius judicii certi determinantis ommissionem illius circunstantiæ, seu confessionem cum illa ommissione? Finis hujusmodi debet esse bonum virtutis, & huic fini debet esse conveniens actus ille: at operans judicat potius esse disconveniens: ergò repugnat esse actum veræ prudentiæ. Ex quo & ex cœteris dictis in hoc articulo satis constare potest; longè abesse à veritate judicium elicitum, vel deductum ex vi opinionis minus tutæ, & tantum æquè, vel minus probabilis; quanta vis reflexio fiat; nam quod non est conveniens fini morali recto, & honesto virtutum, nequit esse prudens, nisi prudentia humana, vel carnis: Sed de hoc infra latius erit sermo refellendo illud: *Omne, quod est probabile est certò prudens*.

586 Tandem probatur assertio nostra: Actus prudentiæ, seu illius dictamen, debet operanti dictare idipsum, quod ipse judicat dictare, & approbare legem æternam, & voluntatem divinam, cùm hæc sit prima regula, & dictamen prudentiæ sit secunda, ac proindè ut sit recta, debet cum illa conformari; ut latè tradunt Salmanticens. dicto tract. de bonitate, & mal. disp. 1. toto dub. 5., & est commune inter Theologos: sed repugnat judicium, seu discursum præfatum, & alios similes, qui virtualiter fiunt in electione opinionum æquè, vel minus probabilium contra legem; dictari, & approbari à lege æterna, & divina voluntate: ergò nequeunt esse actus prudentiæ. Hanc rationem latius prosequimur infra hac q. 3. art. 7. & 8.

ARTICULUS IV.

Utrum judicium practicum debeat concordare cum speculativo, quandò nulla adsit ratio ex parte objecti de novo?

587 EXplicatur titulus quæstionis in illo dubio: An quando beneficia sunt inæqualia, liceat absque simoniæ vitio inæqualitatem compensare, sola Episcopi auctoritate, data pecunia, vel aliqua annua pensione detracta ex pinguiori beneficio. Judicas cum probabiliori sententia talem compensationem esse simoniacam, sed admittis sententiam contrariam esse probabilem. Probabilistæ communiter docent, sive existimes utramque sententiam esse probabilem, sive tutiorem esse probabiliorem, te posse variare hoc judicium, quod appellant speculativum, & elicere judicium practicum contrarium circa licitum, quod duabus viis fieri posse dicunt: Primò, quia licet in universali judicares illam actionem simoniacam in casu particulari occurrenti, vel consulendo, vel operando, adhæres opinioni contrariæ, qua formas judicium practicum, quod hìc, & nunc licita est compensatio. Secundò, quatenus licèt habeas judicium universale, & etiam particulare compensationem hìc esse simoniacam, elicis judicium particulare de licito contra utrumque præmissum judicium, & consequenter judicas te non peccare.

§. I.

Eligitur pars affirmativa, & auctoritate, & ratione probatur.

588. DIcendum est judicium practicū discordare non posse à speculativo, nisi operans habeat de novo aliquam rationem, vel occurrat circunstantia, quæ se teneat ex parte obiecti. Et quia dubium optimè resolvit, & hanc assertionem confirmat perdoctus Episcopus Genettus, adducam hic ejus doctrinam, tom. 1. tract. 1. cap. 5. quæst. 4. Ubi ita inquit: *Verum quidem est opinionem speculativam dubiam* (loquitur dum opiniones sunt æque probabiles) *posse fieri probabilem in praxi, si occurrat aliqua circunstantia, quæ dubitationem amputet, & efficiat, quod auxilio alicujus novæ rationis, eadem opinio, quæ ex probabili facta fuerat dubiosa, fiat ex dubiosa probabilis. Sed si nullæ adsint circunstantiæ, aut rationes, quæ dubium tollant, opinio semper remanet dubia, & consequenter tenemur sequi tutiorem, ut supra dictum est. Nam nullo modo dici potest: quod etiam si simus dubij de rectitudine actus*, v. g. *Utrum possit pingere in die festo*,

festo, possumus tamen in praxi id agere, de quo speculativè dubitamus, quamvis nulla adsit in praxi circunstantia diversa ab ijs, quas in theorica perpendimus, quod est manifestè contrarium auctoritatibus Sancti Thomæ, & Sancti Antonini: 1. par. tom. 3. cap. 10. §. 10. *dicit enim expræssis verbis Sanctus Antoninus; quòd: Cum in aliqua materia morali sunt variæ, & contrariæ opiniones, ille qui adhæret opinioni latioris viæ, videtur se exponere periculo mortalis, quia in dubiò. Et ideo vult dubium practicum oriri ex dubio speculativo de veritate opinionis. Et ita, illud, quod est dubium in speculatione esse semper dubium in praxi, ni occurrat in praxi aliqua circunstantia, quæ efficiat, ut nullum sit amplius dubium, etiam speculativum.* v. g. *si velimus supponere dubium esse, speculativè loquendo, utrum licitum sit pingere diebus festivis, verè dicetur, quod is, qui pingit in die festivo, est in dubio, nisi superveniat in praxi aliqua circunstantia, ut necessitas extrema, quæ afficiat id, quod dubium erat, dubium autem amplius non sit ratione illius circunstantiæ.* Hactenus doctus Episcopus, & verè pius.

Idipsum latè docet Thomas Sanchez, lib. 2. de Matrim. disp. 4. num. 5. ubi ait: quod ex scientia, vel opinione, vel dubitatione speculativa, quam quis habet teneri simile judicium practicum formare: ut si speculativè, & in communi sciat aliquid esse usuram, vel dubitet, tenetur practicè hic, & nunc scire, vel dubitare, nisi ratio aliqua specialis cogat variare judicium practicum. Deviat enim à recta ratione me credere omnem hominem teneri restituere, & me in eodem casu absque aliqua speciali ratione eximere. Deinde quia cognitio speculativa dirigit voluntatem ad opus: ergo tale debet esse judicium practicum, quale est speculativum, nisi specialis ratio variare cogat. Hæc Sanch. qui citat Cordubam, & Lopez, & idem docet in summ. tom. 1. lib. 1. cap. 9. num. 3. & cap. 10. num. 7. & 8. apud ipsum Suar. Vazq. & Azor: neque pro parte contraria rationem, nec authorem aliquem adducit, sed id tamquam certum supponit.

589. Probatur deinde assertio ex adductis in duobus articulis præcedentibus, quæ rectè perpensa illam certam reddunt. Tertio probatur persistendo in illa opinione permutationis, seu compensationis Simoniacæ, supponendo illam sic à te judicari secundum opinionem probabiliorem. In hac hypotesi tu assensum præbes huic parti tamquam probabiliori, proponendo prius, & attendendo ad rationes, & authoritates, an sit sententia communis, an singularis, an omnium, an aliquorum, & qui, & quales sunt hi authores: & similiter ponderasti fundamenta contrariæ sententiæ, ergo repugnat, quod in hoc, vel illo casu particulari sine nova ratione, vel circunstantia judices esse licitum illum modum compensationis. Antecedens est certum: & conseq. probatur; quia: hoc ipso quod in primo assensu judicas in communi esse illam actionem Simoniacam: ergo est prohibita, ergo peccaminosa: ergo illicita: Ergo teneris judicare hic, & nunc esse peccaminosam, & illicitam: alias assentireris duobus contradictorijs, sicut omnis homo est animal, aliquis homo non est animal: ita omnis talis compensatio est Simoniaca: hæc hìc, & nunc est Simoniaca, sed licita.

590. Nec refert, si dicas te per primum assensum judicare actionem simoniacam directè, & per locum ab intrinseco, & à ratione; non vero ut subest opinioni contrariæ probabili, quia sic probabiliter est non simoniaca, & sic te formare judicium particulare de licito. Sed evasio jam præclusa, & impugnata est supra artic. 2. & 3. hujus quæst. 3. Deinde, quia jam in priori assensu ponderasti tum rationes, tum authoritates hujus contrariæ opinionis, & judicasti aliam opinionem probabiliorem, & veram: ergo remanente memoria motivorum implicat te per priorem assensum judicare esse Simoniacam actionem, & alio judicio particulari non esse simoniacam: siquidem quando *sunt duæ opiniones contrariæ de eodem, opportet esse alteram veram, & alteram falsam*: ut docet Divus Thomas quodlib. 9. art. 15. & ex se est manifestum.

Ulterius quia intellectus, dum præbet assensum, v. g. hoc est licitum: vel non est licitum, assentitur obiecto absolutè

&

& ut est in se, ut manet probatum supradicto articulo 2. non ut subest tali rationi, & opinioni; aliter omnia confunderentur: possesque absolute negare, dari sacramentum Eucharistiæ non esse de fide: sumendo hoc misterium secundum se, & per locum ab intrinseco, & à ratione. Tandem quia hoc ipso quod præbuisti assensum, quod compensationis modus est simoniacus, per locum ab intrinseco, dicis contrarias rationes esse falsas, & consequenter authores tuæ opinioni contrarios falli: ergo nequis eorum opinioni adhærere judicio practico: quia intantum authoribus fidem damus, quatenus existimamus habere rationem, nec ipsos falli: ut docet Divus Augustinus Epist. 112. cap. 1. & 5. qui resumit: *tantum unicuique esse credendum, aut deferendum, quantum meriti ad faciendam fidem habere perceperis*.

591. Sed obiicies: stat bene judicium practicum esse practicè verum, & à prudentia imperari, & speculatiuum de eodem obiecto esse falsum: ergo possunt inter se discordare. Ant. prob. ex doctrina valde communi, & præsertim nostr. Salmanticen. tom. 3. tract. de virtutibus in comment. quæst. 57. artic. 5. num. 4. 1. 2. & constat in exemplo Jacob, dum accessit ad Liam, & in adoratione hostiæ, quam existimamus consecratam, & consecrata non est. Et rationem assignant prædicti Patres ibi num. 5. Nam eò ipso quod homo operetur cum illa notitia, & certitudine, quam habere tenetur, prudenter operatur, constat autem non semper teneri ad habendam de rebus notitiam omnino certam, quæ ut plurimum nequit humanis viribus acquiri, sed vel humana fide dignam, vel probabilem, vel ad summum certam moraliter. Ergo hujusmodi falsitas non repugnat judicio speculativo præcedenti ad prudentiam. Hæc illi quæ etiam repetunt ibi num. 7.

Resp. quod quandoque potest præcedere judicium falsum speculativum ad judicium practicum, & quod licitè quis operetur, ita tamen quod de hujusmodi falsitate non constet, (ut Salmanticenses docent dicto num. 7. in fine) Sed invincibiliter ignoretur. Et hoc modo contingit in accessu Jacob ad Liam, & adoratione hostiæ. Cæterum si Jacob haberet notitiam æquè probabilem, quod non esset sua, accederet ne licitè? Idem de adoratione hostiæ, si probabilius constaret non esse consecratam, positivè non adoraretur, ne se exponeret periculo idolatrandi, sed servaretur hostia, ut suo tempore consummeretur, ut Rubricæ disponunt. Sicut si circa statuam tres dicerent esse quodam Idolum, & alij tres, quod est imago cujusdam Sancti, illam non adoraremus ob idem periculum. Undè exempla adducta potius probant, quod nos intendimus. Licet requiramus quamdam moralem certitudinem, seu opinionem notabiliter probabiliorem, dum est minus tuta, ut quis licitè, & sinè peccato operetur, potest contingere, sed raró, opinionem esse falsam: tunc enim invincibiliter ignoratur; Secus dum habes notitiam æquæ, vel magis accedere ad falsitatem, de quo erit infra quæst. 4. art. 7. Et licet Salmanticenses dicant sufficere notitiam probabilem, vel ad summum moraliter certam, non illud eligunt pro regula, sumptum in communi, nec pro dictamine conscientiæ, sed quia volunt præscindere (quia non erat illius loci quæstio adeo implicata) exemplicant disiunctive. Tamen in alijs locis tradunt principia, ex quibus decidi potest hæc controversia. Quare si alicubi admittant probabilem pro regulanda rectè conscientia, intelligi debent de probabilitate non obiectiva, sed subiectiva, alias suis principijs essent contrarij, & doctrinæ doctoris Angelici, quod quidem nusquam ipsos intendere, semper protestantur.

§. II.

Ostenditur insufficientia responsionis ad instantias de venatore, medicina periculosa, &c.

592. SÆpe in hac celebri controversia, cum authoribus nostræ sententiæ, adducimus pro nostræ doctrinæ fulcimento aliqua exempla, seu instantias ex modo se habendi homines in actionibus, & negotijs ad salutem, & vitam corporis, & ad res fortunæ pertinentes. Medicus,

dicus, qui relicta opinione probabiliori, qua judicat hanc medicinam esse salubrem, & uteretur alia, quæ sibi est minus probabilis; peccaret contra charitatem. Infirmus, qui relicto medicamento securo, & uteretur alio, de quo est probabile esse salubre, & esse perniciosum saluti, esset imprudens. Venator, cui tres illi testarentur animal existens in sylva esse feram, & alij quod esset homo, peccaret jaciendo in illud sagittam. Nullus prudenter reciperet aurum probabile pro mercibus certis. Alia etiam adduximus art. præcedenti §. 1. num 585. & quæst. 2. art. 6. §. 4. a num. 451. Ex quibus arguitur, quod si in rebus caducis, ita soliciti sumus, & cavere debemus pericula; quanto magis in rebus ad salutem animæ, & vitam æternam pertinentibus: & si videmus quod in illis casibus, quando judicium speculativum affert notitiam periculi detrimenti, debet practicum ab illo non discordare, non minus statuendum est in materijs aliarum virtutum.

593. Vulgaris responsio ad hæc, & similia exempla à probabilistis assignatur, dando disparitatem. In ejusmodi enim casibus, cùm sint quid facti, per hoc quod sit probabile, non vitatur eventus detrimenti, sed reipsa, & effectivè potst accidere: in aliis verò ad quæ fit illatio, cum sint quid juris, nullum damnum in re, & effectivè sequetur; quare licèt defacto, & coràm Deo adsit lex, ejus violatio est materialis, in illis autèm, quæ facti sunt, est violatio formalis.

Cæterum hujusmodi responsio inutilis est ad salvandam offensam formalem, etiàm in rebus juris, de quibus excitatur dubium, & non adest opinio probabilior notabilitèr pro parte minùs tuta. Jàmque responsio satis repulsa est supra qu. 2. art. 5. per totum, præsertim §. 4. & reiici potest ex dicendis artic. penult. & ult. hujus quæstionis à num. 655. & quæst. 4. art. 2. §. 3. & alibi, & hic aliqua addemus, discutiendo responsionem celebris Neotherici probabilistæ.

594 Hic igitur Auctor, cum præsens punctum attingeret, videtur non sibi visam esse sufficientem datam vulgarem responsionem. Et ideo recurrit ad suas reflexas, in quibus construit totum sui operis artificium. Dicit ergo quod diversa quæstio est, an quod venatori occurrit, sit fera, vel homo, & ista; *an venatori probabiliter opinanti esse feram, liceat in illam telum traiicere*. Diversa etiam est quæstio: an medicina sit probabiliter salubris; ac ista: *An liceat medico uti hac medicina probabili*. Nam priores quæstiones sunt directæ, & speculativæ, secundæ sunt de praxi, & ob legem charitatis, & justitiæ debet damnum vitari. Idem in illa: *Probabile est hoc esse aurum*, non sequitur: *esse probabile solui posse pro certis mercibus*; quia exponit se periculo damnificandi. *Probabile est per unam missam adæquate satisfieri pro duobus stipendiis: ergo probabile est posse illa pro una missa accipere*; non valet, quia prima opinio præscindit à periculo, non vero secunda. Et sic exemplificat latè in aliis opinionibus, in quibus opinio directa est probabilis, & reflexa de licito nequit cum illa conformari.

Docet tunc ita contingere, quando affertur in quæstione reflexa, de (*an liceat*,) aliqua nova circumstantia, ratione cujus resolutio quæstionis reflexæ nequit conformari cum resolutione quæstionis directæ, ut si super addatur lex, votum, promissio, scandalum &c. Per hæc enim limitatur probabilitas, ita ut non liceat stare probabilitati quæstionis directæ: ut in casibus adductis. Licet enim sit probabile animal esse feram; medicinam esse salubrem, in lixivio fieri verum baptismum, & sic de similibus; quia tamen, deveniendo ad quæstionem reflexam de licito, debet super addi nova lex justitiæ, vel charitatis &c. ideò ex antecedenti legis directæ est falsum consequens, quoad resolutionem de licito. Et concludit: quod quando resolutio quæstionis directæ habet pro objecto praxim, tunc solum valebit ad resolutionem quæstionis reflexæ, quando probatum fuerit resolutionem quæstionis reflexæ non super addere circumstantiam, quæ importet legem, vel obligationem aliquam, ut constat ex præmissis. Hæc collecta sunt ex iis, quæ diffusè scribit laudatus probabilista.

595 Cæterum post tam longam seriem, adhuc desideratur disparitatis ratio. Imo omnia præmisa confirmant nostram resolutio-

lutionem: quia eadem ratio, ſeu motiva militant in hypotheſi noſtra, dum aſserimus, eſse illicitum ſectari opinionem pro libertate, & contra legem, dum non eſt probabilior, & in eo quod hoc ipſo quod judicium ſpeculativum non ſit in tali caſu probabilius, nequit eſse certum judicium practicum, ut in exemplis adductis ab adverſario.

Quare inſtaurantur motiva à nobis ſupra ſtabilita. Primò: Nam ut §. præced. paulo poſt initium ex D. Th., & D. Antonino dictum eſt: *Cum in aliqua materia morali, ſunt aliquæ opiniones contrariæ, ille qui adhæret opinioni latioris viæ, videtur ſe exponore periculo mortalis, quia in dubio &c.* ſed in caſu venatoris, & medici jam adducto, ideo nequit reſolvi quæſtio pro parte minus tuta ob periculum operandi contra charitatem, aut juſtitiam; & ſic de aliis exemplis adductis: ergo pariter in aliis materiis idem eſt dicendum: nec in reſponſione data aſſignatur diſparitas; quare ergo caveri non debet periculum etiam in aliis, ut in uſuris, ſimonia &c.?

Secundò. Ideo in adductis exemplis debemus vitare periculum, quia debemus in operando quærere veritatem, & judicare de rebus, ut ſunt in ſe; nimirum quærimus verum aurum, veram medicinam, veram materiam Sacramenti &c. At debemus etiam, ut rectè operemur, quærere objectum moraliter verum, & in ſe bonum, in ſe conforme divinæ voluntati, & quod non ſit uſurarium, ſimoniacum &c. de quo latè tractatur infra à n. 641. ergo eadem ratio militat in aliis materiis.

596 Tertiò. Propterea reſolutio quæſtionis reflexæ in exemplis relatis nequit conformari cum reſolutione quæſtionis directæ; ſeu cum opinione minus tuta, immo ideò hæc non eſt tuta in judicio practico; quia ſuper additur aliqua lex, ſeu circumſtantia, ratione cujus redditur illicita: ut in applicatione unius miſsæ pro duplici ſtipendio; ſed hoc etiam habet locum in opinione æquæ, vel minus probabili circa alias materias virtutum: ergo idem dicendum: major eſt doctrina reſponſionis: & min. oſtenditur. Eſt quæſtio, an talis contractus ſit uſurarius, aſsentiris ita eſse, quia exiſtimas probabilius, licet contrariam opinionem exiſtimes probabilem: in hac hypotheſi datur circumſtantia, ratione cujus limitatur probabilitas hujus opinionis, & redditur illicita ejus praxis: tum quia datur lex, ſeu ratio divina, cui debet conformari tua reſolutio, ut eſt conſtans doctrina D. Th., & Theologorum. De quo infra art. 7. operatio autem regulata per talem opinionem, ſeu hujus electio non poteſt ſic conformari, ut ibidem probatur. Tum etiam quia eſt divina lex, & naturalis vitandi periculum violandi Legem Dei: juxta illud Eccli. c. 3. *Qui amat periculum peribit in illo*: de quo ſupra n. 378. Tùm præterea: quia datur lex prudentiæ, quæ exigit, quod medium, quod eligitur, ſit conveniens fini honeſto, ſeu ultimo in ordine morali: hoc autem nequit ſalvari in electione talis opinionis. De quo ſupra art. 3. præced.

597 Quartò. Hoc ipſo quod opinio pro libertate militet, & contra legem, dum non ſit probabilior, ſed æque, vel minus probabilis, neceſsariò debet inferre in judicio practico eamdem in certitudinē. V.g. eo modo eſt prohibita, peccaminoſa, & illicita actio ſimoniaca, quo eſt ſimoniaca: ſiquidem ſunt tres annuli catenæ neceſsario connexi, & inſeparabiles: eſt ſimoniaca conventio hæc: ergo prohibita: ergo peccaminoſa, ergo illicita: ac per conſequens ſi eſt magis probabile eſse conventionem ſimoniacam: eſt etiam magis probabile eſse prohibitam, peccaminoſam, & illicitam, ſeu non licet illam exercere: in quo conſiſtit judicium practicum: nec prodeſt aliqua reflexio ſupra probabilitatem talis opinionis, quandoquidem reflexio nullatenus extrahit actionem à labe ſimoniæ, & ſi non extrahit, eſt pura imaginatio illam extrahere à ratione peccati, & illicitæ, ac proinde peccatur conſulendo, & in praxi ſectando ejuſmodi opinionem.

598 Quinto. Si quæramus primam radicem, & cauſam; cur in operationibus, quæ poſsunt afferre damnum proximo, debemus cautè procedere, & vitare periculum damni? Non eſt jus, quod ex ſe, ſeu ratione ſui habent homines; ſed ex vi legis æternæ nos ſic obligantis; unde ſi hæc lex ceſsaret reſpectu actionis damnificantis, hæc non eſset peccaminoſa: nam de ratio-

ne peccati est, quod sit contra legem æternam: Ergo si respectu actionum, quæ sunt contra proximum attenditur ad periculum, ne in ipsa actione violetur lex æterna, ne contraveniamus Divinæ Voluntati: quare in aliis legibus pertinentibus ad ipsum Deum non debeat caveri periculum, ut pariter non transgrediatur lex æterna, nec contemnatur Voluntas Divina? Dicere quod Deo nullum infertur damnum, non videtur dici posse absque irreverentia honoris Divini: alias nec offensa certa vitari deberet, cum per illam, nullum damnum recipiat. Dignissima plane consideratione sunt illa verba D. Pauli ad Hæbr. c. 6. de graviter Deum offendentibus. *Rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes*: hinc fit argumentū, si actionē periculum afferentē circa proximum, licet probabile tenemur vitare eodē præcepto, quo damnum dum certum: cur etiam non debemus vitare actionem probabilem peccaminosam Christum crucifigentem, eodem præcepto, quo vitare debemus actionem certo peccaminosam. Ex quibus constare potest reiiciendam esse illam responsionem vulgarem, quod respectu Dei nullum adest detrimentum, & licet detur lex, erit quid materiale, nam idem possemus dicere respectu actionum circa proximum, & pariter vitandam esse offensam in his, quæ sunt juris, sicut in his, quæ sunt facti. Sed jam sese tibi offert difficilis replica; pro qua sit,

S. III.

Difficilis objectio proponitur, & enodatur.

599 DIces insurgendo contra doctrinam nuper à nobis traditam, quod illa exempla nimium probant, atque adeò potius in nos retorquentur. Nam infirmus temere ageret, neque sincere quæreret sanitatem, & vitam, si relinqueret medicinam certò salubrem, & sumeret aliam, quam existimabat verisimiliùs esse salutarem. Venator dubitans an sit homo, vel lupus, animal existens in sylva, & si adsint viginti homines asserentes esse lupum, & non hominem: at vero alii duo affirmarent esse lupum, & non hominem; venator, inquam, tunc peccaret explodendo in animal pilum, ob periculum interficiendi hominem, quamvis tunc esset probabilius esse lupum, quia difficilius falli possunt viginti, quam duo: ergo contra nos, vel numquam erit licitum uti opinione probabiliori, ac per consequens ex dictis exemplis nihil evincitur contra probabilistas, vel erit etiam licitum uti opinione etiam minus probabili.

600 Cæterum nec ob hanc instantiam possunt nobis negare, licet vellent, nempe, innitentem opinioni minus tutæ, & æque aut minus probabili sibi, non quærere diligenter, & sincere Legem Divinam; quod exemplis adductis evidenter convincitur: neque ullam producunt disparitatem, doctrinaque, quam in responsione assignant, manifestè petit principium. Quis cordatus non valde miretur prudentiam istam, juxta quam majori diligentia cavendum est damnum temporale v. g. ammittendi unicum scutum argenteum, quam violare reipsa legem divinam, eo quod ex ista violatione nullum revera Deus damnum patiatur. Quare cum argumentum nostrum nixum prædictis exemplis contineat veram, & evidentem doctrinam, & legitimè probet, quidquid ex illo deduci potest, vel non legitimè deducitur, vel quod legitimè deducitur, absurdum esse nequit. Quapropter etiam plures probabilistæ reiiciunt limitationem hanc, ab aliis probabilistis adhibitam; nimirum: probabile non habere locum, dum datur periculum damni alterius.

601 Respondemus igitur, negando sequelam, nimirum quod ex doctrina nostra, nixa allatis exemplis inferatur non esse licitum usum opinionis probabilioris: nam dicimus consequenter, quod ita philosophandum est in rebus pertinentibus ad proximum, sicut in aliis materiis. Nimirum: quod sicut in rebus pertinentibus ad proximum imputatur violatio legis formaliter, dum adest periculum damni illius, seu violandi legem ejusmodi, ita in aliis materiis, dum datur violationis periculum respectu legis, etiam imputatur ad culpam, non cavere hoc periculum, ut satis supra probatum est. Et etiam sicut est licitum uti opinione subjectivè probabili,

seu

seu dum datur certitudo moralis in aliis virtutum materiis, pariter est licitum uti opinione subjective probabili existente in operante, seu morali certitudine in rebus ad proximum pertinentibus. Quod cum grano salis nuper explicando est accipiendum.

602 Et instatur in eodem casu venatoris. Demus habere fratrem existentem viciniorem animali, vel gaudentem perspicaciori visu, qui contestatur tale animal esse lupum, tunc non peccaret venator ejaculando, licet non sit illi omnimoda certitudo, sed tantum probabilitas. Idem in casu infirmi, cui à ministro informorum, vel à pharmacopola præparatur, vel affertur medicamentum, & tamen illud potest sumere, licet solum illi sit probabile non allaturum detrimentum, licet quandoque contigerit ejusmodi medicamenta non parum nocuisse infirmis. Pariter in Medico; unde potest certus esse semper remedia, quæ applicat certò profutura? quis illud officium sumeret, si non esset sufficiens ad salvandum conscientiam uti judicio prudenti, & verisimiliori? Plures navigationi se committunt, ut ad Romanam Curiam accedant, & etiam ad Indos remotissimos, & possent domi securi manere, & tamen solum est illis probabile non subituros periculũ: idem in aliis plurimis posset exemplis instari. Ergo etiam in rebus ad proximum attinentibus vera probabilitas, adhuc in quibus imminet periculum, non excluditur. Quare eadem regula proportionabiliter debet assignari in materia justitiæ, & charitatis ad proximum pertinente, ac in aliis materiis, & è contra.

603 Pro cujus majori intelligentia est animadvertendum primo: quod ut aliquid sit probabile, & licitum regulariter, sufficit & requiritur certitudo probabilis, quæ ut in plurimum veritatem attingat, ut ait D. Th. 2.2. qu. 70. art. 3. idemque docet 1. 2. quæst. 96. art. 1. ad 3. ibi: *Sufficit certitudo talis, ut aliquid sit verum, ut in pluribus, licet interdum deficiat in paucioribus*; *quod fusius tractatur* infra q.5. art. 1. §. 3. à num. 809.

Secundo notandum, quod sicut non eodem modo obligant omnes leges, sed aliæ magis strictè obligant, aliæ minus, ita non parem diligentiam ubique adhibendam esse ab operante, vel consulente, ut cognoscat veritatem circa honestatem, vel malitiam objecti: & similiter non eadem facilitate possumus devenire in cognitionem cujuscumque periculi; ut illud cavere possimus, vel teneamur, sed dependet ex circunstantiis hic, & nunc occurrentibus: ut ex se constat. De hoc notabili agimus infra quæst. 5. art. 3. à num. 868. Tandem notandum objectum, seu actionem posse probabilem esse respectu intellectus, seu ejus actionis, non vero respectu voluntatis, & operationis illius: ut dicemus infra.

604 His præmissis dicimus; quod in casu venatoris, dum viginti asserunt esse lupum, & duo esse hominem, non dari probabile absolute, seu moraliter, aut respectu voluntatis, sed solum respectu intellectus: potest quidem asentirè, quod sit lupus, sistendo in intellectione, non vero procedere ad operationem voluntatis, volendo ejaculare contra animal. Quia is casus de sic se contradicentibus est irregularis, rarò enim in talibus circunstantiis contingit contradictio. Idemque in aliis exemplis à nobis positis est dicendum. Ut si in prædictis casibus, & similibus contradictio contingat, tanquam res insolita, & rara, & præter universales regulas obligat ad novam investigationem, & habere majorem certitudinem, nec interea poterit circa tale objectum operari. Sicut v. g. octo testes asserunt tale homicidium esse perpetratum à Petro, alii duo deponunt esse commissum à Joanne: quia casus est irregularis teneretur Judex ad majorem diligentiam, & curam novam. Quia, ut dictum est, diligentia debet adhiberi major, vel minor de veritate juxta rei exigentiam. E contra in aliis casibus regulariter contingentibus; quia non plerumq;, sed quia pauci pereunt in navigationẽ ad Romã, vel Indos, respectu tendentium illuc, ideò potest quis dare consilium, seu effectivè se committere ejusmodi navigationi.

605 Nunc ad rem nostram; quia dum opinio est propabilior notabiliter, ut in plurimum est vera, seu attingit veritatem, ideo regulariter potest ad praxim deduci, licitusque est ejus usus: hoc autem non sic contingit in minus probabilibus, quippe,

quę regulariter, & ut in plurimù sunt falsę; & in æquè probabilibus est cōtingens, quod sint veræ, aut falsæ; quippe quę indifferentes sunt ad verum, & falsum; nec de illis dici potest, esse ut in plurimum veras. Unde in his periculum deficiendi est proximum, respectu vero opinionis magis probabilis est remotum, & de hoc vitando non datur obligatio. Unde similiter circa opiniones ad proximum pertinentes idem est philosopandum, quod si respectu alicujus opinionis in ejus praxi datur periculum omnino vitari debet, si est proximum: remotum vero regulariter non exigit sub obligatione vitari: dixi regulariter, quia potest res esse tanti momenti, quod etiam si remotum sit, debeat caveri: & hoc etiam in materia aliarum virtutum potest habere locum; ut in confectione Sacramentorum, in Sacrificio Missæ &c.

606 Præterea addendum nobis videtur, quod circa res facti, non est adeò facile habere judicium prudens, (dum imminet aliquod periculum,) quòd non eveniet damnum, de quo formidatur, sicut circa res juris, in quibus facilius cognosci potest non sequuturam violationem legis, de quo est formido. Nam cum leges à Deo per se, vel per suos ministros imponantur, hoc ipso tribuit gratiam ad ejus obligationes cognoscendas: *Fieri non potest*, (ait D. Aug. de quant. animæ cap. 3.) *quadam providentia divina, ut religiosis animis se ipsos, & Deum quærentibus, idest veritatem piè, & castè, & diligenter investigantibus, inveniendi facultas desit*: idemque docet D.Th. opusc. 73. de usur. in procem. de quo late agitur infr. num. 620.

607 Quoad res autem de facto, non ita contingit, scilicet, quod habeamus hanc facultatem cognoscendi, quod ex illis, dum damnum formidatur, non eventurum. Deinde leges sunt universales, perpetuæ, diuturnæ, fixæ, constantes: Contra vero facta, & eventus damni sunt particularia contingentia, & varia: & hinc est quod admittitur facilius ignorantia facti, quam juris. Quare in dubio circa jus, qui seriò, diligenter, & ex vera intentione inveniendi veritatem adhibuit debitam diligentiam, & sibi apparet probabilius legem ad illum casum non extendi, potest deponere prudenter dubium; quia ut in plurimum tale judicium est verum. In rebus autem facti nisi constet experientia, quod ut in plurimum in tali, aut simili casu detrimentum non eveniet, judicium prudens de damno vitando non eliciet. Unde paritas ex obligatione vitandi damni respectu proximi, ad obligationem vitandi periculi in aliis materiis manet in sua vi, nec adversarii aliquam disparitatem, quæ faciat ad rem assignant. Artic. seq. Videbimus quamdam purè voluntariam.

ARTICULUS V.

Utrum ex eo, quod contingit in quæstionibus facti, rectè concludatur, non esse licitum sequi opinionem æquè probabilem, & minus tutam in concursu alterius æquè probabilis, & tutioris?

Sit exemplum in illa quæstione: An sit peccatum grave detractionis crimen in uno loco publicum, in alio, ubi non est publicum, enarrare? Et supponamus tibi æqualiter apparere probabilem partem negativam, & affirmativam; & cum deliberare velles, occurrit tibi, quod contingit in rebus facti; nam si de existentia facti alicujus adsint motiva æqualia pro utraque parte, Judex nequit sententiam ferre de facti existentia, nec sine temeritate potest alteri parti assentiri: an ex vi hujus instantiæ, & seu exempli tenearis, vel suspendere assensum, vel si vis ultra procedere, necesse tibi sit amplecti partem tutiorem?

§. I.

In quæstionibus facti motiva utrinque æquè probabilia nulli parti tribuunt probabilitatem.

608 Supponendum est in quæstionibus de existentia alicujus facti, dum utrimque motiva sunt æqualia, sive à ratione, sive ab hominum testificatione, non posse intellectum absque temeritate ulli parti contradictionis assentiri, & multo minus parti, ubi sunt motiva minora.

Hæc

Hæc est doctrina communissima tam Theologorum, quam juris pudentum. Constat clare ex cap. ex litteris de probationibus: ibi: *Quod si ambarum partium testes sunt æquè idonei, possessoris testes præferuntur; cum promptiora sint jura ad absolvendum, quam ad condemnandum*: & glosa ibi: *Quod hic dicitur, & in similibus, locum habet in dubiis, & obscuris*. Ex quo patet quod antecedenter ad favorem, qui competit reo, quantum est ex vi probationum nulli parti poterat Judex assentiri.

609 Idem aliis exemplis probatur: duo testes dicunt vidisse tali die Petrum fuisse tali loco sepultum, alii duo affirmant illum vidisse vivum post tres dies ab illo, in quo sepultus asseritur. Ejus uxor non poterit transire ad nuptias: neque cordatus alicui parti poterit assentiri. Joannes ante Judicem petit sibi donari æquum, qui à Francisco nuper defuncto sibi venditus est, pro quo adhibet quatuor testes; sed alii quaquatuor testantur aliquid incompossibile cum ejusmodi venditione. Certum est quod ex vi probationis, nec in foro externo, nec interno pro hac, nec pro illa judicium legitime fertur. Est textus celebris in lege si ita fuerit legat. ff. de rebus dubiis: Ubi: *Si legatum Sempronio amico relictum fuerit, & duo sint Sempronii amici pares amicitiæ rationes habentes, cui debetur? Responsum fuit; rem esse dubiam, & præ omnimoda ambiguitate, & incertitudine legatum vitiari, & neutri deberi* -- Unde est indubitatum inter juris-peritos probationes æquales adinvicem se eludere, nec aliquid efficere, sed quasi non essent reputantur. Ia Card. Tuschus lit. P. concl. 766. num. 33. Tiber. Decia. volum. 2. responso 52. num. 25. Panormit. in cap. licet §. 3. de probat. Barthol. in l. 1. ff. uti possidetis, & alii. Et cum hæc doctrina non fundetur in falsa præsumptione, idem dicendū est, & statuendum in utroque foro, ex communi consensu etiam Theologorum. Hoc supposito, est inter probabilistas desidium: an in præfatis quæstionibus facti motiva utrinque æqualiter probabilia dent probabilitatem cuilibet parti: an relinquant quæstionem sub dubio. Plerique asserunt uni, & alteri parti dare probabilitatem, sed intellectum nulli posse assentiri; sed addunt, quod ex hoc non infertur idem esse dicendum in quæstionibus juris. Alii vero animadvertentes, quod in via sui probabilismi, ex motivis probabilibus, & dantibus utrique parti probabilitatem, sequitur esse licitum, & prudens quamlibet sectari, negant, eiusmodi motiva æqualia probabilitatem tribuere ulli ex partibus, sed quæstionem relinquere omnino sub dubio. An ergo idem dicendum in juris quæstionibus, nunc videndum.

§. II.

Ex eo quod contingit in quæstionibus facti, recte concluditur, idem esse dicendum in quæstionibus juris, & refellitur quædam responsio.

610 Probatur: quia ubi dantur ædem rationes, eodem modo est philosophandum: Sed ædem rationes dantur in hypotesi nostra in quæstione juris, ac in quæstione facti: ergo idem est dicendum, & consequenter, si æqualibus motivis stante quęstione facti nequit intellectus assentiri ulli partium, pariter non poterit in quæstione juris. Prob. min. ideo in quæstione facti intellectus debet suspendere judicium: tum quia cum motiva sint paris fidei, adinvicem eliduntur. 2. quia impossibile est alterutris credere: 3. Quia necesse est hos vel illos falli, & dum est æqualis auctoritas, & probabilitas, prorsus nescitur, quinam veritatem enuntient: Sed omnes hæ rationes apertè interveniunt in dubio, seu quæstione juris, dum sunt æqualia motiva ab intrinseco, & ab extrinseco, ergo &c. Si autem recurras ad voluntatem, ad quam communiter refugiunt probabilistæ, quatenus, ut ajunt, potest movere intellectum ad assentiendum cuilibet parti, eadem voluntas pariter reperitur circa quæstionem facti: Si ergo in hac non prodest, ut non sit imprudens assensus, nec proderit in quęstione juris.

611 Respondet Neothericus probabilismi quidam defensor assignando disparitatem ipsam experientiam. *Cum ergo*, ait, *experiamur in quæstione de facto hærere dubium intellectum, quoties pro utraque parte videt*

videt fundamenta aquè probabilia; idque non experiamur in quæstione juris; in qua intellectus plerumque uni parti assentitur, quamvis rationes sibi proponantur utrinque probabiles: inde desummo sufficiens disparitatis argumentum. Ita præfatus Auctor. Quis autem non videt hujus responsionis voluntarietatem, & insufficientiam? Nam dubia ad conscientiam pertinentia de peccato, & non peccato non rectè determinantur, & solvuntur per puram praxim, & experientiam: quoniam solum debent solvi per enuntiationem veritatis: praxis autem, & experientia nulla est veritatis inventio, circa an hoc sit, vel non sit peccatum. Ergo &c. Deinde certum est dari passim experientiam, & praxim resolvendi casus conscientiæ:habemus operationis experientiam, an autem sit rectè, vel non rectè facta, nulla est experientia. Occurrit dubium,an pœnitens sit absolvendus:resolvis affirmativè, & absolvis. Cur sic fecisti? Habeo experientiam: multoties sic feci. Sed unde est recte factum? Rectè ne responderes, quia sic faciendo habeo experientiam?

612 Fatemur in aliis rebus, seu artibus multum prodesse experientiam professorum pro rectitudine, vel errore ipsarum. Medicus potest experiri, an per medicamentum melius, aut pejus se habuerint infirmi, ex multis experientiis potest deducere convenientiam applicationis. Idem in Chirurgo, in Nauta, & aliis. Non sic in arte conscientiæ: resoluisti in favorem pœnitentis, nè restitueret, illum absoluisti, cùm deberet restituere, potest contingere creditorem pati grave damnum, & ipsum debitorem fuisse deceptum, & te peccare; tunc damnum non cognoscitur, & minus cognoscitur peccatum, nec an fuerit validum Sacramentum: ergò in arte conscientiæ interveniente æqualitate motivorum ineptè recurritur ad experientiam.

613 Quòd autem multi habeant hanc experientiam resolvendi quæstiones juris per probabile etiam minus tutum, & etiam æquè, vel minus probabile; ex quo Sancto Patre hanc experientiam edocti sunt? Potius contrarium in eorum doctrinis videmus, & magis in suis operibus, præcipuè in Angelico Præceptore, qui toties animadvertit periculũ in resolvendo, dum sunt contrariæ Doctorum opiniones; ut constat ex ejus opusc.73.deusur.in procem.& quodlib. 9. art.25. & ex adductis supra nu. 541. & sequ. Tum deinde, quia verè timentes Deum, & verè cordati, sicut in dubiis facti, ita in dubiis juris, dum sunt æqualia utrinque motiva, negabunt in se hanc experientiam; & similiter omnes Auctores antiqui cum S. Antonino, omnes etiam antiprobabilistæ potius contrarium experiri in se contestabuntur. Et si tu ita, ut ais, adeo facilè assentiris omnibus opinionibus probabilibus, oritur ex inconsideratione,quam Auctores nostri notarunt supra num. 561.; & seq., quia judicium tuum non terminatur ad veritatem, & ad objecta, ut sunt in se, sed ad probabile, quod indifferens est ad falsum, & verum: & quia imbutus es tui probabilismi artificio, ideo facilè utramq; partem falsam sicut veram, & licitam, amplecteris, non vero, sed sophistico fundamento. Quod exemplo stateræ (de quo supra num. 554. dictum est) in qua si cum æquali pondere, vel minori una ex lancibus descenderet,esset non recta,sed dolosa. Undè non ad experientiam,sed adprudentẽ rationem debemus recurrere ad eliciendum judicium in quæstione juris, dum sunt æqualia motiva, sicut in quæstione facti. Undè præcipuè proveniat facilitas in plerisque opinandi, seu adhærendi opinionibus probabilibus, indicabitur nu. 620. maximè ex consueto.

614 Præterea impugnatur data responsio, & simul probatur assertio nostra. Ideo intellectus in quæstione facti manet in dubio, & ulli ex partibus nequit assentiri, quia tunc latet veritas: dubium enim dicitur connotativè ad veritatem; dubitamus, quia nescimus in qua parte contradictionis sit veritas, quod contingit, dum objectum est indifferens ad verum, & falsum: Sed in quæstione juris stante æqualitate motivorum etiam latet veritas, & objectum est indifferens ad verum, & falsum, & nescimus ubi sit veritas: ergò idem est in illa dicendum, ac in quæstione facti.

Confirmatur:intellectus in quæstione facti, dum motiva sunt paria, manet anceps, quia debet, ut prudenter quæstionem solvat, quærere veritatem, & tunc illam non-

nondum invenit, dubium quippe solvitur tantum per inventionem veritatis: At in quæstione juris planè idem contingit: ergò ad nullam partem potest determinari. Et hoc expresse docet D.Thomas qu. 14. de verit. art. 1. sæpius citato.

615 Confirm. 2. Ut Judex non se exponat periculo violandi justitiæ legem, nequit in præfata quæstione facti ferre sententiam: Sed etiam in simili quæstione juris adest periculum legem violandi: ergò sicut in dubio facti violatio esset formalis, etiam in quæstione juris. Ponamus aliud exemplum facti: Vis ingredi domum aliquam, dubitas, an sit ibi peccandi periculum: tres dicunt tibi adesse evidens periculum mortaliter peccandi, alii tres ejusdem fidei asserunt abesse periculum. Quis nisi temerariè domum illam ingrederetur? Pariter: dubitas, cùm sis ordinibus majoribus insignitus; an existens in peccato mortali possis licitè exercere officium Diaconi in Missæ sacrificio; tres Viri docti dicunt tibi esse peccatum mortale, alii tres ejusdem meriti tibi affirmant contrarium: nonnè si ministras in peccato mortali; non te expones periculo violandi legem, & peccandi mortaliter, etiam si probabile sit dictum horum ultimorum? Cur in primo casu peccatum non esset solùm materiale; & in hoc secundo non est formale? Si in primo procederes temerariè, cur non in secundo? Non est evidens, quod utrumque extremum nequit esse verum, & quod si partem minus tutam amplecteris, te exponis violandi legem æternam periculo, illamque contemnis? Ergò certò peccas. Quid ergò efficere potest experientia? Hæc nequit, quod in se malum est, reddere bonum.

§. III.

Ulterius refellitur voluntaria disparitas, & assertio magis roboratur.

616 Non semel, & in uno loco dictus probabilismi propugnator diffusus recurrit ad suam experientiam pro ratione disparitatis. Iterum illam inculcat; & quia in suo modo dicendi exprimitur praxis communis professorum probabilismi, ideò iterum ad examen adducitur. Ponit ergò duplicem casum, primum facti; illum Salomonis, in quo duæ matres contendebant: Hæc dicebat infantem suum esse filium, & non alterius: contrarium alia affirmabat: affirmatio matris est magnum fundamentum ad faciendam fidem de filiatione: non potuit igitur Salomon non esse dubius, quia testimonium unius enervat testimonium alterius. Alius casus est juris: Petrus cum semiplena advertentia combussit segetem Joannis; iste ante Judicem petit sibi damnum resarciri. Unusquisque allegat pro se propria motiva. Judex, à quo uterque casus debet decidi, ut secundùm conscientiam procedat, vocat Theologos, quorum duo stant pro parte affirmativa, alii verò pro negativa. Ecce Judex in utroque casu habet æqualia motiva. Quid sentiet, ut procedat ad illorum decisionem? (prosequitur probabilista citatus.) De primo, ait, nullam invenire rationem, qua credat uni fœminæ, & non alteri, quia ad invicem destruuntur fundamenta credendi. At in secundo casu, ait, utrosque Theologos rationabiliter discurrere: Utraque responsio est rationi conformis: discursus istorum non destruit, nec enervat discursum aliorum. Hæc ille.

617 Hæc abbreviata ex illo Auctore referimus, non quia ullam vim afferunt contra nostram assertionem: Sed ut videatur quàm voluntariè, & sine fundamento adducuntur in exemplum duo illi casus. Cur Judex dubitat in primo, nisi quia ibi latet veritas adhuc auditis testimoniis utriusque partis, & ideo inquirebat pro veritate invenienda, & cùm non invenit, remanet dubius. Sed in secundo non aliter, aut magis invenit veritatem, adhuc latet etiam auditis Theologis, nec potest judicare, quod sit verum, quod isti dicunt, vel illi; neque an verum sit dari, vel non dari obligationem satisfaciendi: ergò imprudenter judicaret utrosque Theologos prudenter, & rationabiliter discurrere: Quomodo potest prudenter judicare discursum utrumque esse rationabilem, cùm sciat evidenter unum illorum esse evidenter falsum? Quod enim est falsum, nequit esse rationabile.

618 Sed si inquireremus à Judice isto prudenti, & cordato, quare credis in secundo casu, & non in primo? Cur in primo testi-

testimonium ad invicem enervatur, cum non minus motiva secundi opponantur, quàm in primo, quippe in utroque æqualia æqualiter opposita? Certè non apparet, quod Judex prudenter esset satisfactus, illa Theologorum informatione, sed ulterius inquireret ab aliis, ut inveniret veritatem, quam ex corde quærit, sicut tenetur. Unde exemplum potius militat efficaciter cōtra illud afferentem. Idque quotidiè ipsa experientia docet. Judices enim audiunt Advocatos proponentes suarum partium jura, & motiva: & dum utriusque partis fundamenta sive facti, sive juris illis apparent similia, aut ferè æqualia, non statim lis deciditur, maximè in gravioribus Tribunalibus: Sed remittitur, ut in Senatorum Tribunali Superiori decidatur, & novi adduntur Senatores, ut sic melius inspiciatur, veritas inquiratur magis, & quantum possibile sit, inveniatur. Hæc est vera, & legitima experientia.

619 Cœterum jam adducit aliam experiētiam idemmet Auctor sibi evidentiorem. Videbimus enim, ait, Theologos omnes libratis utriusq; partis contradictionis fundamentis in materia morali adhærere uni parti ob rationes istius, non obstantibus rationibus oppositæ. Indè clarè inferimus rationes utriusque partis inter se libratas non producere necessariò dubium; quandoquidem Theologi non dubitant, sed unam partem resoluunt. Quod contrarium videmus in quæstione facti. Ita prędictus Theologus; & tandem insinuat rationem, nimirum, quia ratio rerum agendarum in quæstione facti, est valdè obscura: non ita in quæstionibus circa jus.

Verum enim verò non magis ad rem facit adducta experientia, sed si benè pensetur, potius ex illa corruit auctoris illius, & illum sequentium doctrina, & magis nostra roboratur. Quia si à quolibet gravi auctore quæreres: cur adheret huic sententiæ, potius quam oppositæ? Certè responderet; quia sibi ejus fundamenta graviora sibi videntur. Quis adhæret suæ opinioni, quam probabiliorem non existimat, & veram, & oppositam falsam? Et ideò illam defendit, & comprobat, respondetque ad contraria fundamenta, & naturaliter sentit, quod ab alio impugnetur. Hæc est communis experientia. Unde dum occurrit quæstio, si sapienter proceditur; multi in principio dubitant: quia illis apparent fundamenta æqualia: & dum postea unam eligunt partem, ideo sic faciunt; quia fundamenta illius profundius discussa, illis apparent urgentiora: aliter non posset intellectus, saltem prudenter, illi parti adhærere.

620. Verum autem est, quod in quæstione juris facilius intellectus regulariter determinatur, quam in quæstione facti. Quia in hac difficilius potest intellectus investigare rationes pro rei existentia, & veritate: quia facta, & eorum eventus sunt contingentia varia, & particularia: leges vero sunt universales, & sic magis notæ, perpetuæ, & fixæ: Undè hic habet intellectus latiorem discurrendi campum, & in diversa distrahi, ut inquirat, & inveniat veritatem saltem in existimatione. At si hoc modo non invenit, manere necesse est ancipitem, sicut in quæstione facti. Multum autem conducit voluntatis affectio, valdeque influit, ut intellectus tam in quæstione facti, quam juris adhæreat huic parti præ altera; ut supra dictum est num. 550. & num. 512. & seq. Multi enim æducati sunt in suis studijs per hæc, & illa principia, quæ fecerunt sua, qui judicant contraria esse levissima, vel nulla: sicut in defensoribus præmotionum respectu scientiæ mediæ, & econtra. Alij pluris faciunt hos auctores, quam alios, licet sint in se minus docti: alij inclinantur ad suavitatem, & dilatandam viam ad Cœlum, alij potius ad restringendam. Ingenia non sunt æqualia, nec omnis intellectus paris subtilitatis ad penetranda motiva, tandem juxta illud tritum axioma: *unusquisque judicat, secundum quod est affectus*.

621. Ex his igitur oritur diversitas in modo applicationis intellectus juxta dispositiones, & habitus ad has opiniones potius, quam ad oppositas; ipsaque principia hujus generis movent, & atrahunt intellectum potius quam contraria. Propterea prudens, & cordatus ponderator rationum, seu motivorum in ordine morali ad eligendas opiniones, & regulandam conscientiam, debet à relatis, & alijs affectionibus animum denudare, & sic scopum

pum veritatis attingere possit; & in corde fixum habere illud Christi Domini mandatum: *Diligite veritatem, & veritas liberabit vos*. Joann. cap. 7. Et illud Divi Chrisostomi ineluctabile argumentum: homil. 44. in Math. *Si vestimentum empturus unum giras negotiatorem, & alterum: & ubi meliores vestes inveneris, & pretio viliori ab illo comparas? An non opportet populum circuire omnes doctores, & inquirere, ubi sincere veritas Christi venditatur, & ubi corrupta, & veriorem eligere plusquam vestimentum* En argumentum a quæstione facti ad quæstionem juris, & qualiter utraque sit eodem modo resolvenda. Hæc est experientia Sanctorum, inquirere, ubi est veritas Christi: hæc enim veritas Christi nequit inveniri in experientia, quæ assentitur utrique parti contradictionis, prout tibi libuerit.

§. IV.

Præcipuum argumentum, cujus occasione doctrina amplius declaratur.

622. MOtivum principale contrariæ nobis sententiæ consistit in hoc: eo ipso quod opinio nitatur gravi, & rationabili auctoritati, vel rationi, est sufficiens, ut quis non temere, sed prudenter operetur: sed talis est natura conscientiæ, & opinionis probabilis; ergo &c. Confirm. qui sequitur regulam rationis, licitè, & prudenter operatur: sequitur enim dictamen practicum intellectus, qui prudēter judicat hic, & nunc esse operandum: sed qui sequitur opinionem, licet minus probabilem, sic se habet: ergo prudenter operatur. Ita noster Lezana, & alij ex primioribus auctoribus hujus sententiæ, qui non appellabant ad reflexas.

Confirmatur 2. Fundamenta, ut dicantur gravia, non requiritur, quod in re gravia sint, quia hoc est difficillimum, quod cognoscantur: sufficit enim esse gravia quoad apparentiam, & ratio magnæ apparentiæ habeat vim movendi non respectu hujus, vel illius, sed respectu ferè omnium, qui docti censentur communiter: tunc enim, quidquid sit, an in re non sint vera, gravia reipsa simpliciter erunt. Hoc autem habetur, dum opinio est simpliciter probabilis, quia ideò talis est, quia habet motivum momenti, & grave simpliciter: Ergo sive sit talis opinio æque vel minus probabilis, habet tamen motiva gravia, & consequenter intellectus potest illi adhærere. Et explicatur in gravitate materiali: id onus dicitur absolutè grave, quod communibus hominum viribus est difficilè, licet Angelo, aut giganti sit leve, & facile. Ita fundamenta erunt gravia, quæ communiter Theologis benedispositis, & doctis gravia videntur.

623. Respondetur, quod in hypotesi nostra dum motiva sunt æqualia, licet secundum modum loquendi sine adito gravia dicantur, hoc solum potest verificari, si seorsim, & in sensu diviso sumantur; non verò quandò simùl in contradictione occurrunt: nimirū dùm intellectus motiua utriusque partis ponderat, v.g. circa, an sit licitū pingere in die festo, & illi apparent motiva utrinque æquè probabilia: tùnc enìm nec in apparentia sunt gravia, sed levia, vel potius nulla: Ratio est, quia in ipsa communi acceptione doctorum, gravitas fundamenti consistit in vi ad movendum intellectum, non utcumque, sed in ordine ad verum: Unde grave fundamentum dicitur, quod vim habet ad ostendendum intellectui veritatem, seu ad movendum intellectum ad suum obiectum, seu centrum, quod est verum: quemadmodum grave materiale movet deorsum versus: Ergo si fundamentum non habet respectum ad verum, & ad hoc intellectum non movet, nequit dici grave: At dum utraque fundamenta unius, & alterius partis apparent æqualia, neutrum dicit respectum ad verum; Siquidem est evidens unum illorum, seu unius partis fundamenta esse falsa; & nescitur quænam sint vera, nec ex eis sequitur cōclusio: ergo.

624. Ponamus te emisisse votum faciendi celebrare unam missam, & simul illam audiendi: Vides accedere ad celebrandum quemdam tibi incognitum, dicunt tibi duo amici, non esse verum Sacerdotem, sed fictum, alij duo dicunt contrarium: dubitas, an sit verus Sacerdos, præsertim quia habes notitiam in hoc loco adesse quemdam Sacerdotem, seu in habitu Sacerdotali, qui celebrat, & non est ordinatus. Inquiro, satisfaceres promissioni tuæ dando stipendium illi,

& audiendo ejus Missam? Certum est quod non: quia tu promisisti facere celebrare, & audire veram Missam, & nescis an illa sit vera, vel ficta: Ergo pariter dum habes æqualia motiva utrinque circa illam quæstionem, an in recitatione Officij divini requiratur attentio interna, non poteris amplecti partem negativam; Siquidem habes æqualia motiva pro parte affirmativa asserente talem recitationem non esse veram, sed fictam; & Ecclesia præcipit veram, non fictam recitationem. Sicut enim in primo casu: dictum duorum, si seorsim, & divisive sumatur, certò moraliter te moveret ad credendum: simul verò occurrentibus, dictum illorum elidit horum testimonium: quod si solum esset, haberet vim movendi intellectum: non aliter in secundo, quia in neutro apparet magis verum, quam falsum. Et ratio horum est: Quia quando sese offerunt seorsim, & divisivè, nulla est cognitio contrarij fundamenti, nec indeterminatè apparet esse falsum, vel esse nullum ad inferendam Conclusionem, & ideò seorsim, & divisivè movere potest, & esse grave. Secus dum simul cognoscuntur utraque fundamenta; ad invicem enim totam vim à se singula tollunt, quia saltem indeterminatè alterutra sunt falsa.

Ex quibus patet solutio ad argumentum, & ejus duas confirmationes: Etenim falsum est talia motiva esse gravia, vel magni momenti, in hypothesi nostra, falsum est sequi tunc operantem regulam rationis, vel prudentèr, & non temere operari. Sicùt contingit in quæstione facti. Quarè sicùt in dicta quæstione facti non prosunt vulgares probabilismi reflexiones, nèc recursus ad distinctionem judicii speculativi, & practici, sic nequè in quæstione juris.

§. V.

Concluditur quod, quandò occurrunt duæ sententiæ oppositæ æquè probabiles, non potest utraque esse regula conscientiæ.

625. EX hucusq; statutis facile ostenditur. Tùm quià neutrius fundamẽta sunt gravia, ut probatum est. Tùm etiàm quia, sempèr in sua vi persistit instantia ex contingentibus in quæstione facti; nèc apparet aliqua rationabilis disparitatis ratio. Deindè potest ampliùs ostendi supponendo, quod dum circà aliquod obiectum, seu propositionem habetur certissima veritas, non potest contrarium esse probabile regulativum conscientiæ adversum illam veritatem: ut patet in hac veritate: *Deus est*: supposito, quod est euidens, quatenus potest ex creaturis demonstrari: & in hac; *Deus est trinus*; quæ habetur certa per fidem: & in hac: *omne mendacium est malum*. Hinc manifestè sequitur depositionem æqualem testium inter se æqualiter disidentium non posse deservire ad eliciendum judicium prudens, vel ad regulandam conscientiam, quia est evidens utrorumque testimonium non posse attingere veritatem, & si ita admitteretur, esset admittere probabile, (nimirum) illam duplicem testium depositionem contra veritatem evidentem. Tunc sic: sed hæc ratio etiam militat in hypotesi nostra, seu in quæstione juris: siquidem in his opinionibus, v. g. *Contractus A. est usurarius, contractus A. non est usurarius*, impossibile est utramque esse veram: ergo regulare conscientiam per utramque est contra evidentem veritatem.

626. Respondebis adesse magnam differentiam inter casum argumenti, & hypotesim nostram: quia in casu argumenti utraque opinio summitur simul, & cum una sit falsa, nequit hoc modo esse utraque vera, licet falsitas sit in aliqua indeterminatè. At probabilistæ non summunt utramque simul, sed divisive, & hoc est evidens, quod utraque non est falsa, & cum non constet de ejus falsitate, non obstat, ut quælibet sit regula conscientiæ.

Cæterum nullo modo responsió hæc potest sustineri. Tum; quia ut supra probatum est à num. 580., & alibi: non potest quis sine temeritate adhærere parti minus tutæ, si non habet de novo aliquam rationem, ex vi cujus existimet hanc partem esse magis veram quam alteram. Tum etiam, & instauratur argumentum nostrum. Nam hoc ipso, quod aliqua forma repugnet indeterminatè uni ex duobus extremis interse oppositis, repugnat attribui cuilibet determinate. v. g. Si necesse est

Pe-

Petrum, vel Franciscum esse ignobilem, non poteris absque mendacio dicere: Petrus est nobilis, nam eodem modo poteris, imo eadem ratione deberes concedere, de Francisco, quod est nobilis: quod est contra evidentem veritatem, quam supponimus adesse, nimirum; Utrumque non esse nobilem. Pariter in illis duobus opinionibus, seu propositionibus: *Contractus A. est usurarius*, *contractus A. non est usurarius*: dum sunt æque probabiles: una earum est evidenter falsa: Si dicas absque novo fundamento, *affirmativa est vera*, retinens hoc in memoria, idem potes enuntiare de negativa, & consequenter admittis simul esse veras duas contradictorias, quod est euidenter falsum. Cum ergo nequeat dari probabile regulativum conscientiæ, dum est evidenter falsum, sequitur opiniones contradictorias æque probabiles, sive simul, sivè diuisiuè summantur, non posse deseruire ad conscientiam regulandam.

627. Sed notandum, quod ob hoc nolumus dicere non posse uoluntatem amplecti partem illam tutam, quæ se tenet ex parte legis: illi enim adhærere potest, non ex ui opinionis, cum nesciat an uera sit, sed quia nulla lege prohibetur, & certissimè licita est: uerum tamen est, quod hæc opinio impedit sequi suam oppositam; & ex consequenti, ex suppositione quod uelit prorumpere in actum electionis in præfata contradictione, tenetur eligere illam, quæ se tenet ex parte legis, ut caueat periculum illam uiolandi.

Sed obiicies contra doctrinam traditam; ex illa sequi, eum, qui inter duas opiniones est perplexus, (quia quælibet se tenet ex parte legis,) peccare quamlibet eligendo: v.g. dubitas an tenearis manifestare complicem in confessione, dum circumstantia aliter nequit explicari, alia opinio docet teneri, altera dicit non posse; & habes illas, ut æque probabiles: tunc est evidens utramque non esse veram: ergo quamlibet elegeris, peccas: hoc autem est falsum; siquidem juxta opinionem communem eligere potes, quam malueris. Ergo non obstat, quod inter opiniones oppositas, aliqua illarum sit indeterminate falsa, ut licite quis, quam maluerit, amplecti possit.

628 Respondetur, quod circa difficultatem hanc dictum sufficienter est sup. 1. p. q. 2. art. 3. per totum. Breviter nunc dicimus, quod in sententia asserente posse tunc, qui est perplexus assentiri, cui maluerit, ideo non peccat, quia caret libertate ad vitandum peccatum, & si contingat legem violari, excusatur. Nos vero loquimur, dum adest libertas ad eligendum. In alia sententia, quæ nobis placet, tenetur quis consulere, si fieri potest: si hoc non potest, debet, (ut docet D. Bonaventura,) in tali casu, omni affectu humano secluso, diligenti studio, ac Oratione ad Deum, qui omnis veritatis fons, & Auctor est, recurrere: quibus mediis adhibitis, unam partem, quæ sibi melior apparet, eligendo, tutus in conscientia erit, etiamsi à parte rei veritatem non attingat. Si autem talem, vel similem diligentiam non adhibeat, peccabit quamcumque partem eligendo. Unde juxta hunc dicendi modum, propriè non admittitur perplexitas. Sed de hoc sup. loc. cit.

629 Verum enimvero probabilista non facile acquiescit; fortiter renuit discedere à suo sensu. Si non esset prudens assentiri utrilibet parti, vel opinioni, quomodo tam facilè sic assentiuntur plures, de quibus negari non potest esse prudentes? Hoc est præcipuum motivum, quod plurimi autumant esse sibi sufficiens ad sequendam viam suavem probabilismi. Sed facilè ad interrogationem respondetur. Primò; Quia intellectus decipitur ex inconsideratione non attendendi ad veritatem objectorum in se. Ut n. 165. & 172. dictum est. Secundò. Propter assuetum, quia plures sunt educati in principiis probabilismi, & consuetudo vertitur in naturam, de quo supra à num. 280. Tertiò. Procedit ex infirmitate nostri intellectus. Hoc non obscure videtur probari ex Verbis Apostoli, juncta Ang. Doctoris expositione 1. ad Thimot: 1. 6. v. 3. ubi ait D. Paul. *Si quis docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini Nostri Jesu Christi, & ei, quæ secundum pietatem est, doctrinæ; superbus est, & nihil sciens.* Ubi D. Th. *Ubi sciendum est, quod sicut in corpore est quædam æqualitas humorum, ita & veritas est quædam æqualitas in intellectu: quia veritas, est adæquatio rei, & in-*

tellectus; unde sicut infirmus quando non habet æqualitatem complexionis, ad modica contraria accidentia leditur: sic in intellectu, quando homo non fundatur in veritate .... incidit in errorem. Hæc D. Thom. Notanda sunt hæc ultima verba. In quo fundat probabilista suum judicium practicum, quod constituit regulam moris? In quo nisi in probabilitate etiam minori, æque, vel magis accedente ad falsitatem, non ad adæquationem rei, & intellectus? Si evoluas libros plurium recentiorum, rarò invenies nomen: *veritas*: vel *verum*, sed *probabilitas*: *probabile*; quod est indifferens ad falsum, & verum. Ergo non videntur acquiescere sermonibus sanis Domini: *quia in Christi sermonibus nihil est corruptionis, nihil falsitatis*, ut ibi notat Magister Angelicus: *Quando homo non fundatur in veritate, incidit in errorem*.

630 Iterum D. Th. explicans textum Apostoli 2. ad Thim. c.4. *Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt &c. sana doctrina* (ait) *est quando non habet admixtam falsitatem*. At in via probabilismi, utraque opinio opposita proponitur ut regula moris, in qua est evidens dari falsitatem admixtam: ergo non est sana; & si non est sana, quomodo potest esse recta? Etenim sanitas intellectus est bonus, & debitus status illius, qui aliud non est, nisi adæquatio illius cum veritate. Si autem obiicias, hoc etiam habere locum in doctrina nostra; siquidem etiam contingit quandoque opinionem probabiliorem esse falsam, & consequenter non erit sana: respondemus, quod licet in se non sit sana, quo ad nos, & formaliter erit sana, cum prudenter judicemus esse veram, excusareque à peccato, ut in ignorantia invincibili. Secus in doctrina nobis adversa; cum juxta illam amplectitur intellectus, quod illi non magis apparet verum, quam falsum, immo etiam quando magis falsum, & malum, quam verum, & bonum; & magis contra Divinam Voluntatem, quam illi conforme.

Sed replicabis: magnam æquivocationem dari in antiprobabilistis in hoc suo argumento, dum tam sæpe repetunt: *opinionem æqua probabilē indifferenter se habere ad falsum, & verum*, & idem de fundamentis utriusque partis, seu opinionis: hoc enim est falsum. Et loquendo de fundamentis, utrumque se habet ad veritatem suæ conclusionis: v.g. Respectu harum conclusionum: *contractus A. non est usurarius: & est usurarius*. Fundamentum conclusionis negativæ non se habet indifferenter ad verum, & falsum, sed ad veritatem suæ conclusionis: & eodem modo fundamenta affirmativa solum se habent pro veritate conclusionis affirmativæ; & eodem modo est philosophandum de ipsis conclusionibus, vel opinionibus respectivè ad objectum.

631 Respondetur; potius probabilistas pati æquivocationem manifestam in hac sua doctrina; quæ supra à num. 623., satis extricata manet. Consistit enim in eo, quod fundamenta utriusque partis sumuntur divisivè, & solitariè; nimirum sumitur fundamentum partis negativæ præscindendo à fundamento partis affirmativæ, & è contrariò: quod fieri non posse pro regulanda conscientia, certum debet haberi; sed nullo modo debet ita præscindi. Exemplum sit in quæstione: *an exercere triplicem contractum sit usura*. Ad resolvendam illam, debet considerari, cum vera intentione inveniendi veritatem, hoc objectum totum adequatè, & non solum aliqua, vel aliquæ partes; scilicet: debent expendi utriusque partis fundamenta, earum efficacia admovendum intellectum, & vis illationis, quæ omnia simul considerata supponimus apparere intellectui hinc inde æqualia, & simul intellectui coexistentia, & quod ex vi fundamentorum non magis potest inferri conclusio affirmativa, quam negativa. Hoc totum objectum sic consideratum quis dubitare potest se habere indifferenter æque ad verum, & falsum, tam quoad judicium speculativum, quam practicum: alias esset facere hunc discursum: *Scio mihi apparere æqualiter adesse, & non adesse legem; ac esse illi conformem, esse difformem hunc contractum, quem volo exercere: & tamen judico esse mihi tam licitum, & honestum illum exercere, quam abstinere ab illo exercendo, quia utrumque judico verum, & Deo gratum*. Certè non videtur hominem cordatum, & timoratum amplexurum hujusmodi discursum, & in praxi executurū.

AR-

ARTICULUS VI.

Utrum doctrina permittens sequi opinionem minus probabilem, minusque tutam, opponatur Charitati Dei.

§. I.

Responsio affirmativa probatur.

632 QUamuis quæstio poterat discuti circa omnes virtutes, quia nimis longum esset hoc prosequi, id ommittimus. Sufficiat generatim animaduertere ejusmodi doctrinam parum fauere virtutibus, sed potius concupiscentiæ, cui illæ opponuntur. Non enim adhibentur opiniones minus probabiles, ut longius recedatur à vitiis, atque peccatis, & quod legi, quod virtuti, quod perfectioni vicinius diligatur. Esset enim admodum laudabilis hujusmodi probabilitatis usus; sed ut appetitui, & libertati satisfiat cum periculo non parum probabili deficiendi à perfectione, à virtute, & à lege. Fauet ne virtuti Religionis, docere, recitari posse Officium divinum absque ulla attentione? Favet virtuti paupertatis Religiosæ docere non peccare grauiter Monachum, nisi furetur duo scuta aurea à suo Monasterio? Et virtuti obedientiæ fauet, docere subditum numquam teneri Prælato suo obedire, dum pro se habet opinionem probabilem? Id ipsum potest videri per singulas virtutes discurrendo. Testes etiam sunt propositiones à Summis Pontificibus damnatæ, quarum origo fuit nimia securitas in opinando contra legem. Nulla, aut ferè nulla virtus est, cui non aduersetur aliqua ex illis propositionibus; & in illis habebant locum principia, & regulæ viæ sententiæ, quæ vulgariter appellatur benigna. Quæ igitur virtus erit secura, si valeat in rebus moralibus is modus opinandi à nobis positus in titulo articuli? Cum enim opinio probabilior sæpius vera sit, minùs autem probabilis sæpius falsa: qui has amplectuntur, & illam deserunt, sæpius ommittent actus singularium virtutum à lege præceptos, & vitiorum actus contrarios reipsa patrabunt. Nec prodest dicere tunc esse actus vitiosos tantum materiales: non inquam prodest, nam præterquamquod hoc verum non est, quis dubitat per illos actus relaxari conscientias, pati non leue detrimentum virtutes, & imminere periculi excedendi, & transeundi ad peccandum formaliter.

633 Pro quo dicit N. per doctus Magister Lumbier, posse contingere operantem cum opinione minus tuta, & minus probabili propter hanc causam in æternum damnari; non quia peccabit formaliter in suis principiis, cum sit Auctor benignus, sed quia sequendo talem opinionem, suum commodum quærens, non acquieuit inspirationi diuinæ inuitanti illum ad amplectendum opinionem magis tutam, & magis probabilem; & Deum ob hanc causam permittere illum incidere intentationem, & grauiter peccare. Ita citatus Auctor in suis fragmentis. Rarò videtur contingere, quod diligenter quærentibus Deum deficiant ejusmodi inspirationes, volentibus opiniones minus probabiles, & minùs securas in praxi sectari, vel consulere, nisi velimus internum auditum occludere.

634 Sed accedamus ad omnium virtutum reginam, & legum præstantissimum finem. Hujus excellentissimæ virtutis est illud maximum, & primum mandatum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua*. Matth. c. 22. Quibus nam verbis potuit efficacius hoc sublime mandatum hominibus commendari? Eò ipso tenentur majori studio, & diligentia adimplere. Nunc videndum qualiter se habet circa illud, seu in ordine ad seruandam legem charitatis, qui amplectitur opinionem minus tutam, minusque probabilem militantem in materia graui pro libertate contra legem. Et sic me explico. Ponamus Regem piissimum habentem in aula sua Regia ministrum quemdam; quem amore prosequitur incredibili; quem honoribus innumeris honestauit, & diuitiis incomparabilibus locupletauit; cumquo tanquam cum dilectissimo filio agebat. Huic enixe præcepit, ut non contraheret amicitiam cum homine, quem crederet esse illum, quem Rex suum, ac Regni sui hostem capitalem declarasset; hoc illi vetuit sub pœna, suam ami-

amicitiam ammittendi, & capitali judicio illum destinandi. Si ergo hic Regis familiaris, contraheret amicitiam, seu haberet commercium cum homine, quem probabilius crederet esse illum ipsum, quem Rex sui hostem capitalem declarauit, diligeret suum Regem ex toto corde? conseruaret vere sui piissimi Regis amicitiam? placeret, aut displiceret grauiter Regi hoc scienti? Quis dicat illum toto corde diligere, & non displicere illi?

635 Planè talis Rex piissimus, est conditor, & Redemptor noster: & homo minister, seu familiaris. Minimè necessaria est applicatio. Et quis ille hostis capitalis nostri Regis, & Regni sui, nisi peccatum, & qui peccatum perpetrat? *Odium sunt Deo impius, & impietas ejus*. Sap. c. 4. Quid est peccatum, nisi violatio Legis Dei, quæ quantum ei displiceat, non potuit clarius manifestare, quam decernendo pœnam mortis, & cruciatus æternos in violatores? Quomodo ergo ex toto corde illum verè diligit, qui credit probabilius actionem, quam exercet, esse contra legem; seu esse peccatum, hostem Dei capitalem; probabiliusque existimat pœna adeò horribili à Rege æterno prohiberi?

§. II.

Effugium vulgare refellitur, & vera doctrina magis roboratur.

636 PRobabilistæ confugient ad commune asylum; nimirum ad distinctionem peccati formalis, & materialis: negando esse contra charitatem, vel Legem Dei actionem, pro cujus honestate datur opinio etiam minus probabilis; licet materialiter detur legis violatio. Quia Deus noluit sua lege nos strictius obligari. Sed contra. Et in primis dicant: ubi, & quando, & cui hoc Deus declarauit? Justitia Diuina omne malum odit, nec potest illi non displicere, quidquid ab æterno ejus legi opponitur. Deinde hæc euasio sæpe in hoc opere rejecta est, præsertim 1. p. q. 4. ar. 6. à n. 147. Repugnat enim, quod quis à voluntate diuina recedat voluntariè, & non peccare formaliter: sed dum habet fundamenta præstantiora dari legem, à diuina voluntate voluntariè recedit: ergo &c. Prob. min. repugnat habere notitiam cum grauiori fundamento de existentia alicujus rei, seu prohibitionis, & habere ignorantiã inuincibilem, per quam solum causatur involuntariũ, ut ex D.Th. d. ar. 6. satis ostẽdimus.

Declaratur hoc. Seruitus ignorata, est impedimentum dirimens matrimoniũ. Detur casus: Petrum ignorasse Teclam esse ancillam: quatuor illi dixerunt esse ancillam: alii quatuor, esse liberam, testati sunt. Tamen absolutè, & simpliciter consensit in matrimonium. Consensus hic erit ne voluntarius, & matrimonium validum? Quis hoc negaturus? Cur? quia habuit sufficientem notitiam, nec tollit voluntarium illa minor vel æqualis probabilitas asserentium esse ancillam. Ergo minor, vel æqualis probabilitas negans alicujus rei existentiam non causat in voluntarium, dum consentis in illam. Cum ergo eadem notitia orta ex fundamento majori absolutè consentis amplecti objectum morale; unde nequit dici te habere ignorantiam inuincibilem, nec causari per contraria fundamenta inuoluntariũ. Ulterius. Quoties agitur de damno proximi, quamuis habeas opinionem minus probabilem non euenturum, ut in medico &c. Si illa utereris, non haberes ignorantiã inuincibilem, sed esset tibi voluntarium, & peccares; in quo conueniunt probabilistæ. Ergo pariter dum uteris ejusmodi opinione asserente Actionem A. non esse contra Deum, & ejus charitatem, non desinet esse voluntaria moraliter, nec ibi erit ignorantia inuincibilis.

637 Dabis disparitatem, probabilem opinionem, si reipsa est falsa, non tollere quod reipsa proximus damnum non incurrat: & ob hoc periculum patiatur. At respectu Dei, non datur periculum, solum materialiter violatur lex, aut charitas. Nec Deo, nec ejus charitati irrogatur aliquod malum. Contra, primo. Nam actio illa adducta ob opinionem, de qua procedit quæstio, non desinit esse voluntaria, & consequenter periculum imputabile, quia consensus est liber ex notitia opinionis contrariæ: sed eadem notitia datur in contrarietate opinionum in hypothesi nostra circa legem Dei. Ergo datur in amplectendo illam opinionem periculum legem violan-

landi voluntarium, & consequenter est imputabile, & datur violatio formalis, & non solum materialis.

638 Secundò, & roboratur magis doctrina nostra. Pro quo supponendum ex D. Th. 2. 2. q. 17. ar. 13., & q. 23. ar. 5. & q. 25. ar. 1. quod eadem virtute charitatis diligit homo Deum, seipsum, & proximum sicut seipsum propter Deum; Deum ut Summum Bonum, & super omnia. Deinde certum est peccatum graue omne, esse contra charitatem, in omnique tali peccato reperiri hanc generalem circumstantiam. Nam charitas est Dei amicitia, unit animam cum Deo, ad ipsum illam ordinat, ut ultimum finem. E contra peccatum dissoluit Dei amicitiam, constituitque hominem Dei inimicum, & ab hòc amantissimo fine auertit, & separat. Quare peccatum graue est grauissimum malum respectu charitatis, cum solum hoc illam destruat: & etiam est maximum malum contra Deum, ut mox dicemus. Immo peccatum solùm est verum malum.

639 Hoc supposito, probatur assumptum. Per charitatem proximi debemus ejus malum, & injuriam vitare, ita ut licet habeamus opinionem minùs, vel æque probabilem, tenemur vitare periculum: sed per eandem charitatem tenemur magis diligere Deum: ergo ejus malum, & injuriam vitare debemus, ita, ut licet habeamus opinionem minus, vel æquè probabilem non euenturum, magis tenemur vitare periculum faciendi illi injuriam, & malum contra ipsum. Major, & minor sunt certæ; & consequentia ostenditur. Quia quo magis diligimus aliquem, eò ejus malum, & injuriam, seu periculnm offendendi illum diligentius vitamus. Et etiam quò magis debemus diligere illum, eò diligentiùs tenemur uitare ejus injuriam, & malum, & etiam periculum, ut illi hæc irrogemus: injuria autem, & malum contra eum non aliud est nisi peccatum.

Confirmatur. Opinio æquè, uel minus probabilis non excusat, qui se exponit periculo nocendi grauiter proximum: ergo minus excusat eum qui ex uitalis opinionis se exponit periculo Deum offendendi: prob. conseq. quia sicut nulla datur proportio inter bonum infinitum, & finitum, inter bonum Diuinum, & creatum; ita non potest quis excusari eligendo opinionem minus probabilem, & minus tutam cum periculo lædendi bonum increatum, si non excusatur lædendo bonum creatum, uel exponens se periculo illud lædendi. Quare non intrant ad excusandam hanc electionem contra proximum tot reflexiones artificii probabilismi? Cur non applicatur hîc distinctio de peccato materiali, & formali? Sed solum bonum diuinum debet esse peioris conditionis, & minoris attentionis? Si aliqua assignatur ratio, aut disparitas, est manifesta petitio principii, ut constat in euasionibus, & responsionibus adductis. Unde per tales reflexiones nihil fit ad excusandum in nostra hypothesi à peccato: siquidem, quantumuis reflectatur, malum Dei, & objectum illi contrarium per reflexiones non mutatur, sed manet ut in se, ad quod debet attendi.

640 Confirmatur ulterius. Nam ex Diuini Verbi Oraculo habemus, quod non possumus esse Christi Discipuli, nisi Patrem, & Matrem adhuc, & animam nostram Deo post ponamus, ita ut etiam illos odio habere, si à Deo auertant, debeamus. ***Si quis venit ad me, & non odit Patrem, & Matrem..... adhuc autem, & animam suam, non potest meus esse discipulus***: Luc. c. 14. Ergo non minus obligati sumus Deo, quam filius Patri, medicus ægroto &c. uitare periculum non offendendi, & injuriam irrogandi, quem super illos, & super omnia charitate diligere debemus.

Dicere: ***Deo nullum damnum reipsa inferri***: ad intentum non est substinendum. Nam si ita esset; nullum contra Deum admitteretur peccatum. Nam ut Job 35. dicitur: ***Si peccaveris, quid ei nocebis? & si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum?*** Ea est naturæ Diuinæ excellentia summa, quod malis nostris, nihil detrahi, nec addi potest bonis nostris: nec bonis nostris major, nec malis minor. Sed ob hoc non minuitur culpa; quia non ex damno quod sequitur, sed ex rebus ipsis, & ex malitia nostræ uolũtatis pensandũ est peccatum. Adde, quod in quantum in nobis est, Deo malum inferimus per peccatum; immo per mortale eum destruimus; & ideò injuria, & offensa ejus est grauitatis infinitæ, secun-

cundum veram sententiam.

Si obiicias; rationes nostras nimis probare. Sequitur ex ipsis semper sectanda esse perfectiora, & tutiora, & remotiora à Diuina Lege violanda. Resp. Charitatem habere diuersos gradus, & licet Deus sit ita dignus: esset contra modum humanum. Sed de hoc infr. q. 5. art. 1., & 3.

ARTICULUS VII.

An & qualiter teneamur voluntatem Dei serio, ac diligenter inquirere, ut conscientia nostra cum ipsa conformetur.

§. I.

Aliqua præsupponuntur circa primam, & secundam regulam.

641 DUplicem esse regulam actionum humanarum, aliam primam, & supremam, alteram vero participatam, immediatam, & propriã, est communissimũ apud Theologos, cum D.Augustino, & D. Thoma; hic 1.2. quæst.19. art. 4. & q.21. art. 1. ibi: *In his vero quæ aguntur per voluntatem, regula proxima est ratio humana; regula autem prima est lex æterna*. D.Aug. lib. 3. Confession. cap. 7. num. 2. *Non noveram justitiam veram interiorem, non ex consuetudine judicantem; sed ex lege rectissima Dei omnipotentis, qua formarentur mores regionum*. Et lib. 22. contra Faustum cap. 17. *Peccatum est dictum, vel factum contra legem Dei*: Et subjungit: *Est autem lex æterna, ratio, vel voluntas Dei &c.* Quod autem consistat in illa ratione, vel voluntate divina, ad hoc nostrum institutum parum, aut nihil conducit. Tum quia certum est voluntatem divinam saltem in obliquo intrare in constitutivo legis æternæ. Tum etiam, quia secundum modum consuetum ad significandum, an aliquid sit bonum, malum, aut peccatum, recurrimus ad hoc, ut sit, vel non sit juxta divinam voluntatem, & sic dicimus: *fiat voluntas tua, doce me facere voluntatem tuam*: Ut in nobis adimpleatur lex Dei æterna. Et idcirco sæpè utimur hoc modo loquendi.

642 Itaque regula prima, & suprema tamquam mensura omnis bonitatis moralis, dirigit sapientissime omnes creaturas rationales præcipiendo, prohibendo, aut consulẽdo, quomodo agere debeant, quoad substantiam, & quoadmodum, ut suum ultimum finem liberè, & meritoriè consequantur, ac proinde ab alia derivatur, quidquid bonum, quiquid honestum, & meritorium est in hac temporali vita: nam juxta illud axioma naturaliter notum apud D. Th. 1.2. q. 19. art.9. *illud, quod est primum in quolibet genere, est mensura, & ratio omnium quæ sunt illius generis*: hinc est quod intantum aliquid erit rectum, ac bonum, inquantum attingit ad propriam mensuram: hæc autem mensura est lex æterna: ergo quidquid bonitatis, & honestatis reperitur in creaturis, à conformitate cum ista prima regula debet sumi.

643 Ex quo fit, quod conscientia nostra, seu dictamen practicum intellectus ultimatè dictans, & determinans hoc esse agendum, vel omittendum, in quo consistit conscientia nostra, & regula secunda, ut verè talis sit, bona, & honesta, necessario debet esse conformis regulæ primæ, hancque applicare ad actum, vel actus particulares cum omnibus suis circumstantiis; aliter vero si ita non se gerit, erit difformis primæ rægulæ. Imo non erit regula; nam ut recte docet D. Bernar. *Alioquin regula non est regula*: (ita in Apocal. cap. 2.) *quia non recta*. Hanc eamdem rationem applicat D. Th. dicto art. 9. Voluntati creatæ, ut sit bona respectu voluntatis diuinæ; Nam cum hujus objectum proprium sit summum bonum, ipsa est mensura omnium voluntatum, ac per consequens omnis bonitas, & honestas voluntatis creatæ dependet ex conformitate ad voluntatem divinam, ut universalem regulam moralem. Quare intantum erit objectum, aut actio bona, vel mala, inquantum fuerit illi conformis, aut difformis: & sic eò perfectior est actio, quo magis placuerit divinæ voluntati, ut amor Dei, præsertim dum conjugitur martirio. Et ideo blasphemia, & odium Dei est majus malum quam furtum,

quæ

quæ sunt magis contra divinam voluntatem, quam istud.

644 Ex dictis palam infertur, & est apud omnes indubitabile, quod opinio sive formalis, quæ est subjective in intellectu operantis, sive objectiva, scilicet, quę apud alios probabilis judicatur, ut sit recta regula moralis, aut ex illa possit recta conscientia formari, tam opinio, quam conscientia, & etiam actio, quæ per illam reregulatur, debent habere conformitatem cum prima regula honestatis moralis, quæ est voluntas divina, ita tunc erit rectus usus opinionis, recta conscientia, honesta operatio, quando primæ regulæ concordant; Si vero discordant, recta non erit conscientia, seu regula secunda, imo non erit regula, ut dicebat D. Bernardus. Et ratio jam data est: quia si non esset omnino hæc conformitas, conscientia, seu regula secunda esset jam prima regula independens à prima; quod absurdum est. In quo nec Deus dispensare potest. Explicatur in motu solis, & in Horologio. Motus solis est regula dierum, & horarum, & etiam Horologium: Sed diversimode. Nam motus solis est prima regula, Horologium secundaria, & primæ subordinata. Sicut ergo motus solis non errat, nec deficit, Horologium multoties deficit, ita divina regula numquã deficere potest, humana vero ratio sæpè; & sicut rectè regulat Horologium, dum concordat motui solis; & non rectè, sed difformitèr, dum discordat, sic regula secunda respectu primæ. De hac prima, & secunda regula agunt Salmant. Nostri tom. 3. ubi de bonitate, & malitia, tract. 11. disp. 1. dub. 5. & aliqua etiam diximus sup. 1. par. q. 1. art. 2. & 3.

§. II.

Voluntatem Dei tenemur serio, ac diligenter inquirere, ut regula nostra proxima conformis sit ad divinam.

645 INutiliter, & supervacuè, & absq; ulla convenientia præcepta nobis imponerentur per Deum, aut ejus Superiores; nisi ex consequenti obligatio imponeretur illa seriò, & diligenter inquirendi: nam hoc ipso, quod præcipitur adimplere, infertur inquirendi obligatio, sine qua adimpletio obtineri nequivit. At dices, & merito: ad quid circa hoc oportet consumere tempus in re adeo explorata, & cuilibet satis cognita? Nihilominus pro hac nostra controversia nihil utilius, nihil magis necessarium. Etenim si omnes consentiremur huic veritati circa obligationem inquisitionis divinæ voluntatis, si dum scribuntur libri agentes de rebus moralibus; dum Consultores præbent responsum, dum Confessarii, & Rectores animarum suo muneri incumbunt, dum homines operari volunt, attenderemus ad istam adeò indubiam, & consentaneam obligationem, non ut cumque, sed ex animo, & vero corde, videtur quod pauci, aut nemo fideret, nec fidem daret probabilismo. Quare rem tanti momenti curabimus aliquantulum ponderare.

646 Primo ex sacris litteris: Ubi hanc veritatem scitu dignissimam notabiliter commendatur. Apostolus ad Ephes. cap. 5. *Nolite fieri imprudentes, sed intelligentes, quæ sit voluntas Dei*. Et 1. ad Thesalon. cap. 5. *Omnia probate, quod bonum est tenete, ab omni specie mali abstinete vos*. Eccli. cap. 6. *Fili serva mandata mea, & vives: & legem meam quasi pupillam oculi tui: liga eam in digitis, scribe eam in tabulis cordis tui*. Deuter. ca. 6. *Loquens de divinis mandatis, in quibus voluntas divina proponitur. Narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens, & ligabis ea, quasi signum in manu tua, eruntque, & movebuntur ante oculos tuos. Scribe ea in limine, & hostiis domus tuæ*.

Et quid adducam ex toto libro Psalmorum? Quantum geminat Spiritus Divinus in commendationem, non solum circa adimpletionem, sed etiam circa diligentiam inquirendi divinam voluntatem, seu legem? Quanta ibi nobis proponit, nos instruens, ut repetamus, & efficiamus? *Beati qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde exquirunt eum*. Ps. 118. ubi D. Aug. *notat modum scrutandi aliquorum. Non enim quærunt ipsa, sed aliud quærunt præter ipsa*. Addidit: *In toto exquirunt: tamquam docens quemadmodum, vel propter quid scrutanda sunt testimonia Dei*. Quot sunt, & sue-

fuerunt, docuerunt, & scripserunt scrutantes testimonia, leges Dei, & ejus Ministrorum, non ut exactè, ut par est, integra & ut sonant, intelligantur, & sic adimpleantur, sed ut se, & alios ab obligatione exemptos judicent, & non ut ex toto corde exquirant Deum, & ejus amabilem voluntatem, sed commoda temporalia, & transitoria?

647 Divinus quoque Spiritus in locis innumeris docet: ita Deum ex orare: *Justificationes tuas doce me: Doce me facere voluntatem tuam. Vias tuas demonstra mihi, & semitas tuas edoce me*. Ps. 24. ubi D. August. *Quæ non latæ sunt, nec multitudinem ad interitum ducunt, sed angustas, & paucis notas edoce me: Dirige me in veritate tua, & doce me errores fugientem; Nam per me metipsum non novi nisi mendacium*.

Idipsum S. Mater Ecclesia nos docet petere: Dum nobis proponit in Missali Romano plures orationes, ut à Deo cognitionem, & directionem secundum voluntatem suam eflagitemus. Ut est illa: *Largire quæsumus Domine semper spiritum cogitanti, quæ recta sunt, propitius, & agendi. Deus, à quo cuncta procedunt, largire supplicibus tuis, ut cogitemus, te inspirante, quæ recta sunt, & te gubernante eadem faciamus. Mentes nostras, quæsumus Domine, lumine tuæ claritatis illustra, ut videre possimus. quæ agenda sunt*, & *quæ recta sunt agere valeamus*. At quid ergo hæc, nisi quærendo divinam voluntatem, à qua omne rectum derivatur, faciendo quæ recta sunt, illam adimpleamus.

648 Secundo probatur ex jure Canonico. In cap. Grave 35. qu. 9. Proponitur, quod cum quidam absolutus fuisset à crimine, appellatum fuit ad Concilium Macedoniæ. Episcopis durum videbatur in firmare sententiam. Consultus Papa Innocentius rescribit: quod non oportet eos sic timere: immo veritatem debere plenius inquirere; & nocentem, si convincitur, condemnare: & addit rationem: *Nam fructus divinus est justitiam sæpius recenseri*. Si ergo in foro externo, & in re adeo odiosa qualis condemnatio, sic veritas debet inquiri, ut sententia sit divinæ voluntati conformis, quanto magis in foro interno hoc ipsum fieri debet. Idem determinatur in cap. si testes 4. qu. 3. sumpto ex l. ob carmen §. Si testes ff. de testibus: ibi: *Confirmavitque Judex motum animi sui ex argumentis, & testimonis, quæ rei aptiora, & proximiora ei compererit. Non enim ad multitudinem respici oportet, sed ad sinceram testimoniorum fidem, & testimonia, quibus potius lux veritatis assistit*. Hoc ex vi juris naturalis, & rationis decretum fuit. Cur ergo in foro animæ, & in rebus majoris momenti idipsum non debeamus attendere, & veritatem inquire, & ubi potius lux veritatis assistit circa divinam voluntatem præcipientem adhærere? Adeo commendatur veritatem, & rectitudinem, & certitudinem expetere, ut in l. 1. ff. de just. & jure dicatur. *Veritas enim est quid divinum, propter quod sapiens debet & sua destruere*.

649 Tertio suadetur ex SS. Patribus D. August. ser. 112. de tempore circa fin. *Omni diligentia studete, ut cognoscatis voluntatem Dei. Postquam autem cognoveritis voluntatem ejus, summo nixu contendite, ut hanc faciatis implentes mandata illius; & instãter deposcite, ut in hoc perseverantes perveniatis ad promissa illius*. Ang. Doct. quodl. 9. art. 15. *Omnis quæstio, in qua de peccato mortali quæritur, nisi expresse veritas habeatur periculose determinatur, quia error, quo non creditur esse peccatum mortale, quod est peccatum mortale, conscientia non excusat à toto, licet fortè à tanto*. Ergo secundum S. Doct. maximè elaborandum est pro inquirenda veritate circa divinã voluntatem, ut periculum adeò formidandum caveatur. Idem. Ang. Præceptor, in opusc. 73. de usus rationibus, & sui exemplo docet quanta diligentia inquirenda est veritas circa veritatem in moralibus quæstionibus, *non alia ratione, nisi ut vitentur peccata, quæ talia non sunt, nisi quatenus divinæ voluntati sunt adversa*. *Verba D. Th.* late adducta sunt supra qu. 2. art. 12. §. 2. num. 542.

650 Quarto suadetur ratione Theologica, & morali. Nam ipso lumine tum supernaturali, tum & naturali constat unicuique, in divinæ voluntatis, seu legis adimpletione sitam esse veram vitam, salutem, fœlicitatem, sapientiam, fortitudinem, & beatitudinem nostram. Sicut docemur in Ps. 1. *Beatus vir qui non abiit in con-*

consilio impiorum ..... Sed in lege Domini voluntas ejus, & Ps. 118. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*, & Ps. 29. *Et vita in voluntate ejus*, & Ps. 68. *Quærite Dominum, & vivet anima vestra*. Eccli. ult. *Deum time, & mandata ejus observa, hoc est omnis homo*. Joan. 13. *Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea*. Et Math. 6. *Beati pauperes &c. Beati mundo corde &c.* Qualiter autem intelligatur hujusmodi beatitudo, & qualiter constituatur in hac vita, & in alia, non est hujus loci. Id tractant Theologi in tract. de Beatitudine. Ubi Salm. disp. 1. per totam, & disp. ult.

Confirm. summa fœlicitas hominis est optanda, & ab omnibus quærenda: & hoc est adeò in situm hominibus, quod ut recte docet D. Augustinus in Psal. 118. conc. 1. *Quis enim unquam vel potest, vel potuit, vel poterit inveniri, qui nolit esse beatus? .. Ut quid ergo nobiscum agitur, ut velimus, quod nolle non possumus: nisi quia omnes beatitudinem concupiscunt, sed quomodo ad eam perveniant plurimi nesciunt?* Omnes ergo beatitudinem quærunt: Sed plurimi circa veram erraverunt. At nos ex singulari, & inæstimabili Dei beneficio de vero fine, & vera beatitudine certissimus: Cum autem ejus assecutio dependeat à conformitate regulæ, seu conscientiæ nostræ cum voluntate, seu lege divina, quam summè amare debemus: quis Catholicorum prudenter dubitare poterit teneri seriò, & diligentèr, quantum nostræ fragilitati permittitur, investigare divinam voluntatem, ut caveamus illam violare, & ut illam inveniamus, & adimpleamus? Hæc est enim universale bonum, omnia bona eminentissimè amplectens, præter quam nihil boni reliqua omnia bona sunt.

Denique certissimum est, quod quisq; tenetur, & obligatur legibus ad suum statum pertinentibus, sive quatenus est Christianus, seu quatenus habet alium statum particularem: ac proinde tenetur adhibere medium ad prædictas leges sciendum, in quibùs divina voluntas manifestatur.

ARTICULUS VIII.

Utrum qui cognoscit opinionem minus tutam esse æqualiter tantum, vel minus probabilem, illam eligendo, inquirat serio, & diligenter divinam voluntatem.

Auctores benigni consentiunt divinam legem esse quærendam, & veritatem investigandam, sed dum hæc non invenitur, sufficit invenire gravia motiva, quibus intellectus determinetur ad illam partem, quæ favet libertati, & juxta illa objectum esse honestum existimare. Hoc enim ipso habet bonam spem se conformandi cum divina voluntate; licet cum formidine: & sic illam sincerè amat, satisque diligenter inquirit pro miseria, & caligine præsentis vitæ; quandoquidem non possumus aliter pertingere ad veritatem. Addunt nonnulli, quod per non inventionem veritatis poterit dubium deponi, quia posita diligentia, quam quis adhibere potest, ad plus non tenetur. Hæc, si prima facie solum attendantur, placentia apparebunt, sed an vera, & tuta sint, est introspiciendum.

§. I.

Non quæritur serio, & diligenter divina voluntas.

651. Probatur primo manifestè ex D. Th. præsertim quodlib. 9. ar. 15. & opusc. de usuris: ubi supponit, & refert circa quæstiones, quas ibi discutit, dari Doctores pro una, & altera parte Theologos Theologis, Jurist as Juristis contrarios, quos non est dubium habere pro se motiva, quæ ab ipsis gravia existimabantur, & tamen dicto art. 15. ait: *Præcipuè autem periculum est, ubi veritas ambigua est*. Non ergo admittit D. Th. sufficienter esse inquisitam divinam voluntatem, per inventionem sententiæ probabilis apud Theologos, & Juristas, & minus per non inuentionem veritatis. Idem docet in alio loco ex dicto opusculo in procem. Idem probatur ex tex-

tibus juris, quos art.præc. §. 2. num. 648. adduximus. Deinde diligentia, quæ commendatur in locis ibi relatis ex sacris litteris, & Ecclesiæ instructione, ad inquirendam diuinam voluntatem, certum est non intelligi de inquirenda ipsa, prout existimant isti, vel illi probabilistæ, sed de inquirenda, ut in se est, juxta dicta supra art. præced. Maximè illud: *Dirige me in veritate tua, & doce me*; Ergo non debemus sistere in qualicumque inuentione probabilitatis indifferentis ad verum, seu ad falsum, vel ad magis falsum accedentis: de hac enim non potest dici esse veritatem Dei.

652. Secundo prob. Quando quis eligit medium in ordine ad finem aliquem, quod ad illum consequendum non conducit; tunc non exanimo, & seriò quærit illum: sed dum utitur opinione, de qua est quæstio, sic se habet: quando quidem æqualiter credit, vel potius illam opinionem avertere à divina voluntate, & eligit medium indifferens, aut magis conducens ad ejus transgressionem: Ergo non quærit seriò, & exanimo divinam voluntatem, sed potius illam contemnit.

Ponamus Dominum servo, vel famulo suo præbuisse licentiam edendi cibos, quos domi relinquit, nonnullis reservatis, quibus vesci esset contra domini voluntatem, quia sic illi præcepit. Dubitat an talis cibus sit compræhensus in prohibitione. Tres dicunt compræhendi, alij tres ejusdem fidei dicunt contrarium. Si servus eligeret dictum istorum, & cibum illum manducaret, diceretur quæsisse ex animo, & seriò Domini sui voluntatem? Item. Medici duo dicunt infirmo talem potionem esse sibi valde salubrem, alij duo non minus fide digni affirmant esse valde nocivam: sed omnes conveniunt dari aliam potionem, quæ salubris est, & non nociva, sed magis amara. Si tunc infirmus eligeret primam, & recusaret alteram ob aliqualem amaritudinem, diceretur seriò, & ex animo verò desiderare, & quærere sanitatem tamquam finem? Cur ergo in re tanti momenti, ut in quærendo voluntatem Divinam super omnia amandam, & amplectendam dici potest illam serio, & ex vero corde quærere, qui eligit, quod esse æqualiter, & gravissimè illi difforme, & contrarium existimat; imo hoc ipso est positive difforme: Non ergo quæritur in hac hypotesi, sed potius contemnitur divina voluntas.

§. II.

Enervatur evasio; & fundamentum adversariorum.

653. Dices cum auctoribus benignis exemplum de servo illo, & infirmo non esse ad rem, quia militat circa factum, at quæstio quàm versamus, est circa jus, an v. g. sit prohibitus talis contractus: in casibus circa factum, & circa jus datur disparitas, ut supra dictum est. = Sed hoc nullius momenti est: 1. quia etiam supra præoccupata, & impugnata est hæc evasio, seu responsio. 2. quia ratio nostra manet in sua vi. Si enim est evidens servum, & infirmum tunc seriò, & ex animo non intendere finem, quem intendere tenebantur, quia sumunt medium indifferens ad finem consequendum, & ab illo avertendum, seu contra illum operandum: ergo dum assumis opinionem, de qua est quæstio, cum sit indifferens, ut conformis, vel difformis regulæ primæ sit, non intendis, nec quæris actionem tuam ex animo conformari regulæ primæ, & exequi divinam voluntatem, sed illam parvi pendis, & contemnis.

654. Pariter nullius roboris sunt, quę pro se adducunt, relataque sunt supra in principio hujus articuli. Nam illa gravia motiva, quæ dicunt sufficere, ut fiat satis obligationi inquirendi divinam voluntatem, si ex parte libertatis essent unica, vel superexcedentia, rectè dicerent: sed cum in nostra hypotesi supponamus ex parte legis dari æqualia, vel majora motiva, ad invicem eliduntur: undè jam gravia non sunt, sed nulla, ut supra num. 554. dictum est. Quare falsum est tunc utendo tali opinione sincerè amare Divinam Voluntatem; nec conformitatem ad illam. Quod autem additur aliter non posse pertingere ad veritatem. Dato quod in aliquo, aut pluribus casibus ita sit, non ob hoc est contemnenda Divina Voluntas, ex-

exponendo se periculo illam violandi, sed tunc potest, & debet, vel quod est tutius amplecti, vel suspendere operationem. Præterea falsum est nos non posse saltem regulariter ad veritatem pertingere: Ut infra fusè tractatur à num. 1031. Interim audiendus Divus Chrisostomus homil. 24. in Gen. circa princ. *Misericordem habemus Dominum, & quando videt nos sollicitos, & magnum desiderium ad cognoscendum divina eloquia habere, non permittit nos ulla re indigere. Sed statim illustrat mentem nostram, & suum fulgorem largitur, & pro sua sapientia illa sua mira industria omnem veram doctrinam animæ nostræ inserit.* D. Ciprian. serm. de Baptismo. *Nec lux tua scripta à lege naturali in aliquo discrepat: sed reprobatio mali, & electio boni animæ rationali infixæ sunt divinitus; ut de hoc nemo rectè causetur. Quia nulli ad hanc rerum prosecutionem deest Scientia, siue potentia: quia, & quid agendum scimus, & quod scimus facere possimus.* Quid cum hoc, nos posse ad libitum sequi opiniones inter se oppositas, simul, vel succeſſivè, quæ sine numero in libris moralibus referuntur; quia veritatem circa illas inuenire non possimus? Hoc in aliquo Sancto Patre non traditum, hucusque non est ostensum. Ex quibus refellitur, quod ultimo in illo fundamento addebatur; per non inuentionem veritatis posse dubium resolui. Qua ergo ratione tunc conscientia regulatur, & conformatur cum prima regula, cum sit æque contingens, quod illi adversentur? circa reflexiones recentiorum infra erit sermo.

ARTICULUS IX.

Uti opinione æquè, vel minus probabili contra legem non est conforme ad Divinam Voluntatem.

§. Unicus.

Probatur assertio.

655. Ommiſſis auctoritatibus Sanctorum Patrum, quibus hæc conclusio probari posset, quia de hoc satis actum est supra, præsertim articulo 10. & 12. in quæst. 2. ubi de Angelici Magistri doctrina dictum est. Nunc breviter ostenditur: opinio, quæ æquè, uel magis discordat à prima regula, quàm concordat; non est recta, nec conformis Divinæ Voluntati: sed hujusmodi est opinio æqualiter probabils, seu minus, dum est contra legem, ergo non est conformis ad Voluntatem Divinam. Major constat: Nam si daretur in aliqua republica mensura, seu regula, cui omnes aliæ regulæ deberent conformari, certum est, quod si aliqua esset indifferens, seu contingens, quod concordaret, aut non, cum illa prima regula: certum est quod non haberetur, ut recta; nec esset licitum illa uti: Sed hujus modi est opinio, de qua agimus: nam dum æquè concordat, ac discordat, nescitur, an sit vera, uel falsa: Undè est indifferens ad verum, & falsum, ad bonum & malum: & si magis discordat, magis ad falsum, & malum accedit: ergo recta non est, nec Divinæ Voluntati conformis. Min. etiam liquet: opinio enim æquè probabilis, ideò dicitur talis, quia habet æqualia motiva ad judicandum ejus obiectum esse verum, ac falsum, ac proindè indifferens, ut dicat bonum malum, vel malum bonum.

656. Confirm. ut dictamen rationis, seu regula secunda conformetur cum Divina voluntate, debet idipsum dictare, quod regula prima dictat, & Divina voluntas vult: sed qui solum habet de aliquo objecto opinionem æquè probabilem contra legem, non habet dictamen, quod sibi dictet esse conforme divinæ Voluntati, seu

quod

quod dictat prima regula: Si quidem regula prima solum potest dictare esse Voluntati Divinæ conforme, quod est determinate bonum, non vero, quod est indifferens, ut sit bonum, aut malum: nec hoc potest velle Divina Voluntas: ergo talis opinio æquè probabilis, quam non potius veram, quam falsam reputamus, non conformatur cum prima regula, & Divina Voluntate, nec conscientia, quæ illi nititur: & consequenter nec usus talis opinionis.

Quare mirum videtur posse quem judicare conformari reipsa cum lege Dei, id quod sibi apparet magis determinatum, ut oppositum eidem legi; vel ad summum prorsus in differens, ut opponatur, vel conformetur. Ergo evidenter colligitur judicium, vel opinionem, quam saltem quoad nos assensu determinato existimamus esse veram, solùm reipsa esse conformem regulæ primæ, seu divinæ Voluntati. Quare sicut nemini licèt dubitare de necessaria conformitate regulæ secundæ cum prima; ita non potest dubitari, nobis non licere vti opinione, quam falsam judicamus, aut si volumus, possumus judicare, vel quam non magis veram, quam falsam existimamus. Et tamen his temporibus multi sunt, qui statutum principium de necessitate conformitatis prædictæ non negant, nec in dubium vocant: (forsitan, quia pauci ad illud advertunt:) & tamen sequelam, quæ si perpendatur, nimium evidens esse videtur; non solum totis Viribus negant; sed oppositum, ut dogma Theologicum circumfertur. Sed hæc sunt hominum judicia. Utinam nihil in effectu præjudicent.

657. Ex præjacto fundamento colligitur, quam inutilis sit illa doctrina aliquorum benignorum asserentium intellectum posse assentiri parti minus tutæ per dictamen nixum in opinione, æquè vel minus probabili, considerans ejus motiva præscindendo à motivis alterius partis, & hoc modo judicare Voluntati Divinæ conscientiam conformari. Rejicitur hoc ex dictis: nam non est licitum nostræ voluntati, ut Conscientiam rectam formemus, solum attendere ad vnius partis motiva; tum quia sic non quæreremus ex animo Voluntatem Divinam, aut legem: tum etiam quo potius id esset illam contemnere, juxta illud Psalmi. *Noluit intelligere ut bene ageret*:

658. Colligitur etiam quid censendum sit de modo dicendi aliorum probabilistarum: nimirum: quod dum quis operatur juxta opinionem æquè, vel minus probabilem obiectiuam, non teneri judicare ipsam positivè conformari cum divina Voluntate, (ut nos falsò supponimus,) sed sufficere, quod per reflexiones judicet actionem de se non malam, nec difformem Voluntati divinæ. Nam hoc modo operatur cum subjectione ad legem divinam, quatenus agens sic operando Voluntati Divinæ subjicitur, quod si contra illam esse sciret, non operaretur.

Cæterum nullatenus admitti potest hæc doctrina: qui utens tali opinione ad huc non judicat verisimilius esse actionem bonam, quam malam; ergo nequit non existimare à lege Divina non posse regulari. Deinde quia idem est in tali hypotesi judicare actionem de se non malam, nec diformen Divinæ Voluntati, ac præscindere non dari Divinam Voluntatem prohibentem talem actionem, & per consequens de Divina Voluntate non curare, quod absurdum est. Quare sensus hujusmodi doctrinæ est: Operans ad licitè operandum judicare non debet determinatè nullam dari legem Divinam, & Voluntatem Dei prohibentem operationem suam, sed præscindere ab hoc, quod detur vel non detur, & ad hoc nihil attendere, nec de hoc sollicitum esse. Quod manifeste contradicit principio supra art. 7. apposito ex scriptura & SS. Patribus, & ab omnibus admisso. Immò iam esset constituere conscentiã, seu judicium nostrum primam regulam, si quidem non curat tunc de conformitate cum alia.

659. Ex hoc, & ex supra dictis videtur, ni fallor, satis manifestè apparere inutilia esse principia reflexa probabilistarum ad salvandam conformitatem cum lege æterna, & Divina Voluntate in opinionibus æquè, vel minus probabilibus contra legem, & pro libertate. Exemplum sit in illo triplici contractu ansit Vsurarius: ponamus apud te utramque partem esse æqua-

æqualiter probabilem. Poteris ne uti opinione negativa directa ſine aliqua reflexione? Dicis quod non: quia non conformaretur conſcientia cum prima regula: ſed facio reflexionem de ignorantia legis, de ejus non ſufficienti publicatione, de poſſeſſione libertatis &c. & ſic hoc modo conſcientia cum prima regula conformo. Dic vlterius. Per tuas reflexiones, mutatur intrinſece objectum, ita ut tibi in ſe appareat non Uſurarius? Certe non: ergo regula prima, & Divina Voluntas manet ſicut ante reflexiones non regulando Contractum ut licitum. Si non manet, ſed mutatur, ut quid ita niſi per tua judicia reflectentia? ergo ipſa regula prima, & Divina Voluntas potius conformatur tuo judicio, & tuo dictamini, atque tuæ conſcientiæ. Unde lex æterna jam deſit eſſe regula prima, & gerit munus Secundæ: & conſcientia creata ſe habet ut prima.

660. Quare P. Eſparza Vir non vulgariter doctus 2. p. art. 146. licet propugnet ſententiam benignam (cum pluribus tamen limitationibus) conſiderans ſupra adductam rationem, ex obligatione conſcientiæ ſe conformandi cum lege æterna, & Divina Voluntate, ingenuè fatetur, imò efficaciter probat. *Nullum patere reflexiſtis effugium, ne exiguam quidem rimam ad vim inſuperabilem ejuſmodi demonſtrationis declinandam*. An autem ſit facile oſtendere inefficaciam principiorum, quibus reflexiſtæ penitus innituntur, quæſtioni ſequenti eſt videndum.

QUÆSTIO IV.

De principijs, quibus reflexiſtæ ſuam ſententiam demonſtrare conantur.

661. PRINCIPIA reflexa, quæ opinionem etiam minus probabilem ad tantam certitudinem evehunt, alia non ſunt, quam præcipua argumenta, quibus probabiliſtæ ſuam ſententiam probant. Quare examinandum eſt, quanta ſit certitudo horum principiorum, ut hinc facile depræhendatur, quanta ſit præfatæ ſententiæ certitudo. Quinque potiſſima hujuſmodi principia ſunt. 1. Qui ſequitur opinionem probabilem tutò operatur. 2. Dum occurrunt opiniones utrinque probabiles, lex non exiſtit, vel non eſt ſufficienter promulgata. 3. In dubio ſeu ſtante opinione probabili, melior eſt conditio poſſidentis pro libertate. 4. Dum adeſt opinio probabilis, datur ignorantia legis. 5. Quod multi Doctores ſentiunt, prudenter ad praxim deducitur. De his ſigillatim in hac quæſtione agendum eſt.

ARTICULUS I.

Quid ſentiendum de illo celebri principio reflexo: Quod eſt probabile eſt certo licitum?

QUamvis ex dictis in hac controverſia ſufficienter conſtet de veritate noſtræ ſententiæ, & de inefficacia, & falſitate hujus celibris principij reflexi abſolute ſumpti, uel de æquè, ſiuè minus probabili intellecti; tamen, ut veritas magis effulgeat, & qualis ſit ſententia benigna, & quibus innitatur fundamentis, operè prætium duximus iterum hoc principium diligenter exponere.

§. I.

§. I.

Principium proponitur, prout à probabilistis roboratur.

662. Communiter hoc principium proponitur à probabilistis: *Qui sequitur opinionem probabilem, prudenter operatur: qui autem prudenter operatur non peccat: Ergo qui sequitur opinionem probabilem, non peccat.* Major ab ipsis intelligitur in sensu suo, scilicet, quamvis sit minus tuta, & operanti minus probabilis. Præmissas dicunt evidentes, illationem legitimã,& conclusionẽ infallibiliẽ: ideò nihil ultra quærendum. Hac (apud ipsos) demonstratione contenti procedunt resoluendo ferè in omni materia: & exceptis paucis, qui controversiam nostram ex professo tractarunt, vix apud reliquos, præcipuè Summistas, aliud considerabile argumentum invenitur præter hoc, his terminis propositum. Et tamen illud deprædicant: apertissimam demonstrationem, & ex terminis, notam veritatem, principium infallibile, dogma Theologorum: non dum tamen dixere esse dogma fidei Catholicæ; & ideò non nobis videtur adesse periculum aliquod contra fidem sentiendi, si fidem illi firmiter denegemus.

663. Sed ne videamur dissimulare efficaciorem modum proponendi hoc argumentum, & quia difficilè est divagare per singulos probabilistas, adeamus celebrem inter ipsos, qui fortè rem plenius tractaverit, & loquatur pro omnibus. Hic ergo in suo opere erudito de probabilitate disput. 10. cap. 7. artic. 1. num. 69. hanc „ conclusionem statuit; *Quidquid affirmatum in materia morum est evidenter probabile, est evidenter licitum ex dictamine reflexo.* Probatur: licitum est exercere operationem pro cujus honestate stat opinio practicè probabilis: sed operatio A. talis est, ut pro ejus honestate stet opinio probabilis: Ergo licitum est exercere operationem A. Suppono majorem esse evidentem, ut ostendi cap. 6. num. 50. Si autem opinio relata in minori sit evidenter probabilis; Minor, quæ affirmat illam opinionem esse probabilem, est evidens. Cum ergo ambæ præmissæ sint evidentes; Conclusio, quæ affirmat id esse licitum, necessariò evadit evidens. = In quo ratiocinio, ut ex se constat, ponitur in majori principium, de quo agimus, nimirum quod est probabile, est licitum, existimatum ut evidens, & certum: & deindè ponitur pro minori opinio peculiaris probabilis, & deinde deducunt omnes, & singulas actiones, super quas fit reflexio, esse evidenter licitas.

664. Sed quia ab auctoribus nostræ sententiæ negatur illa major, seu principium sumptum in genere, videamus qualiter illam evidenter ostendit dicto cap. 6. „ num. 50. ubi sic ait: Itaque hoc dictamen reflexum (nempe licitum esse uti opinione minus probabili) censeo omnino certum; & hac syllogistica demonstratione firmari: Implicat contradictionem, quod quis operetur prudenter, & quod in ea operatione peccet: Sed qui utitur opinione minus probabili, operatur prudenter: Ergo implicat contradictionem, quod is, qui utitur opinione minus probabili, peccet. Quod si malis syllogismum efformare magis conformatum adamussim dialecticam, nempè in secundo modo primæ figuræ, sic illum potes disponere. Omnis, qui operatur prudenter, non peccat: Sed omnis, qui utitur opinione probabili, licet sit minus probabilis, operatur prudenter: Ergo omnis, qui utitur opinione minus probabili, non peccat.

„ Cujus omnes propositiones (prosequitur ibi num. 51.) evidentes sunt. Consequentia quidem, cum syllogismus sit in secundo modo primæ figuræ. Major est evidens ex terminis: implicat enim terminos, qui dicit operationem illicitam esse prudentem; aut operationem prudenter elicitam esse peccatum. Minor etiam est manifesta: nam opinio, quæ est minus probabilis, verè est probabilis: quia si non est probabilis, non potest esse minus probabilis: quod si practicè probabilis est, ea nititur ratione prudenti; atque adeo qui utitur ea opinione probabili, licet minus probabilis sit, utique prudenter operatur,

„ cum

„ cum operetur rationi ejus opinionis innixus. Hæc citatus auctor, qui inter probabiliſtas magis ex profeſſo, & majori conatu laborauit pro oſtenſione certitudinis prædicti principij reflexi. Et quamvis in alijs locis illud attingit, & breviter intendit probare, penitus nihil adductis adjicit.

Ecce demonſtrationem, quam auctor iſte magnificat, eò quòd ſit in ſecundo modo figuræ, & ex propoſitionibus irrefragabilibus, & evidentibus. Hanc ipſam paſſim inculcant ejus viæ ſectatores, quaſi jam actum ſit de ſententia illis contraria. Cæterum perdoctus quidam Magiſter ex doctiſſima, & grauiſſima familia, cum allatam demonſtrationem attentè conſideraſſet, ita ſcribit: Syllogiſmus iſte eſt „ eorum Achiles; in quo uidentur de aliis „ triumphare: cum tamen reuera nihil habeat dialecticæ demonſtrationis præter „ delineamenta extrinſeca modi, & figuræ, ſitque à uera demonſtratione „ proportionabiliter diuerſus, ſicut figura depicta à ſuo reali prototypo. Hæc ille.

§. II.

Eſſe falſum præfatum principium oſtenditur.

665. TOta uis prætenſę demonſtrationis adductæ fundatur in illa propoſitione: *Quod eſt probabile eſt licitum*: uel: *Qui ſequitur opinionem probabilem, prudenter operatur, ſeu non peccat*; quæ ſemper inculcatur in ſyllogiſmis relatis, abſque eò quod in uno, uel altero aliqua addatur uis præteruarium modum figuræ dialecticæ. Et ſuppono, illam propoſitionem, ſeu principium reflexum: *quod eſt certo probabile, eſt certo, & evidenter licitum*; ſummi uniuerſaliter, & diſtributiuè; & conſequenter ualere, ergo; hoc, & hoc probabile, & ſic de cæteris certo probabilibus erit licitum. Quid ergo ſentiendum de hoc principio? In primis, ni fallor, eſt euidenter falſum, deinde concluſio ex pluribus capitulis eodem modo eſt falſa.

Probatur 1. Datur aliquid certo probabile, quod non eſt certo, & evidenter licitum: ergo non omne certo probabile eſt certo, & evidenter licitum. Conſequentia conſtat: nam ſingularis negativa, & univerſalis affirmativa ſunt contradictoriæ, ut iſtæ: *Datur homo qui non eſt albus: ergo non omnis homo eſt albus*. Ant. Probatur: Non eſſe neceſſariò confitendas circunſtantias aggravantes, eſt certò probabile: quod nullus probabiliſta negabit: & tamen non eſt evidenter licitum illas non confiteri: ergo datur aliquid certò probabile, quod non eſt certò, & evidenter licitum. Prob. min. Nam eſſe illicitum illas tacere, docet ſententia certò, & valdè probabilis: ergo implicat, quod ejus oppoſita, vel contrarium aſſertum ſit evidens, & omnino certum. Ruit ergo evidentia, & omnimoda certitudo illius reflexæ: *omne certo probabile, evidenter, & certo eſt licitum*: & idem de concluſione, quæ ex illa infertur. Idem argumentum fieri poteſt in omnibus quæſtionibus, ubi de licito, vel illicito dantur opiniones oppoſitæ.

666 Nec refert ſi dicas: hoc argumentum etiam fieri poteſt contra noſtram ſententiam, & ex illo etiam infertur non eſſe licitum ſententiam probabiliorem minus tutam amplecti, & ſecundum illam operari. Non, inquam refert: nam in ſententia noſtra non requiritur judicium ultimum omnino certum, & evidens, ſed ſolum certum quadam certitudine morali, quod colligitur, & infertur ex propoſitionibus directis eadem certitudine gaudentibus, quales ſunt notabiliter probabiliores. Ut infra fuſe tractatur à n. 850. Cæterum hæc certitudo non invenitur in ſententia æquè, vel minus probabili directa; & ideò probabiliſta recurrit ad ſuum principium reflexum: & quia requirit evidentiam in ultimo judicio practico, vult ponere evidentiam in præmiſſis, & concluſione: & utrumque eſſe falſum convincit propoſitum argumentum.

667 Secundo oſtenditur falſo affirmari majorem, & minorem, & concluſionem præfatæ prætenſæ demonſtrationis eſſe evidentes. Nam nullus probabiliſta negabit, quando aliqua propoſitio, ſeu opinio defenditur à decem Auctoribus gravibus innixis non levibus fundamentis, quod non

ſit certò probabilis: ſed pluſquam centum hujuſmodi qualitatis Actores innixi non levibus fundamentis aſſerunt eſſe falſum illud principium reflexum, ſeu majorem, & concluſionem prædicti ſyllogiſmi: ergo ineptè pronunciatur eſſe evidentes, & omnino certas. Niſi velint, quod ſoli probabiliſtæ ſunt ſapientes, ſolique ipſi efficiunt probabilitatem; non vero alii: quamvis ſint plures doctiſſimi Cardinales, Epiſcopi, & graviſſimi Doctores, & Magiſtri, tam ex omnibus Sacris Religionibus, quam ex ſæcularibus: qui non levibus, ſed urgentibus fundamentis probabiliſmum impugnant, & prædictum principium reflexum ut inane reiiciunt: & P. Camargo in proloq. ſui operis §. *6*. aſſerit (præter omnes antiquos) excedere numerum 120. ex quibus non pauci, poſtquam novo probabiliſmo eſſent à primis annis nutriti, & per longum tempus aſſueti, cum ſeriò, ac diligenter hanc controverſiam examinarent, poſt valdè accuratam, & exactam veritatis indaginem, veræ ſententiæ ſuffragati ſunt, & probabiliſmo vale dixerunt, cognita falſitate præfati principii reflexi: ut ipſimet ingenuè fatentur. Imo ex ipſis probabiliſtis plures, & graviores, tale principium reiiciunt, præſertim Arriaga, qui ſupra num. *660*. relatus eſt. Sed jam ſupra à num. *343*. diffusè actum eſt de numero, & auctoritate tot ſapientium, & piorum virorum reiicientium tamquam falſum hoc reflexum principium: & ſophiſticum argumentum.

668 Etenim quando datur demonſtratio, & evidentia, difficilè illi fit ſatis, & quaſi ad oculum claret intellectum manere convictum: at præfato ſyllogiſmo facillimè reſpondetur, diſtinguendo illam majorem: *quod eſt probabile*, unice, vel majori probabilitate, *eſt licitum*, concedo, quia tunc moraliter certum, ac proinde tutum in conſcientia; *quod eſt æque, vel minus probabile*, negatur. Et ad minorem: *Sed hoc eſt probabile*, diſtinguo, ſi eſt primo modo concedo, aliter nego. Itaque probabile ut tale, (ſicut ſæpe dictum eſt) non dicit aliquam certitudinem circa verum, ſed eſt indifferens ad verum, & falſum, & ſi eſt minus probabile, ad falſum magis accedit: Unde in ejuſmodi incertitudine nequit includi certitudo de licito, quod intenditur deduci in concluſione. Quia cum prædicatum debeat contineri in ſubjecto, ſeu uniri cum illo, nequit quod ſolum eſt probabile, continere certo, & evidenter *ly* prædicatum, *licitum*. Quapropter hoc modo tantum eſt legitimus ſyllogiſmus ille: *Omne quod eſt probabile, eſt licitum probabiliter: ſed hoc eſt probabile: ergo probabiliter eſt licitum*. Unde ſi opinio eſt æque probabilis, quod enunciatur, erit æque probabiliter licitum, ac oppoſitum. Si opinio eſt minus probabilis, erit minus probabiliter licitum. Hi autem duo modi probabilitatis in ſe non efficiunt judicium ad formandam conſcientiam rectam etiam in ſententia reflexiſtarum ſine reflexis: unde indigent recurrere ad alias reflexiones, quæ adhibita data diſtinctione facilè corruent: corruit ergo modus dirigendi conſcientiam per modum reflexiſtarum.

669 Deceptio ergo, & fallacia prædicti ſyllogiſmi procedit ex illa in conſideratione, quam notarunt noſtri Salmanticenſes, & complutenſes, ut viſum eſt ſupra q. *3*. artic. 2. præcipuè à num. *561*. Debet enim conſiderari, quod intellectus in quolibet ſyllogiſmo, quando poſt aſſenſum præmiſſarum aſſentitur concluſioni, aſſentitur ei abſolutè ſumptæ, & tunc judicium, ſeu concluſio terminatur ad rem prout in ſe, ideſt exiſtimat objectũ eſſe verum in ſe. Sit exemplum in illa quæſtione: *an triplex contractus, ſit uſurarius, & illicitus?* de quo in materia de uſuris; & ſupponamus partem negativam eſſe minus probabilem. Probabiliſta format hunc ſyllogiſmum; *Quod eſt probabile, eſt licitum: ſed hunc contractum eſſe licitum eſt probabile: ergo eſt licitus*. Sentit tam præmiſſas, quam concluſiones eſſe omnino certas, & evidentes. Sed contra. Si concluſio eſt evidens; ſenſus eſt, quod intellectus judicat judicio determinato contractum eſſe in ſe evidenter licitum, & honeſtum: ſed (præterquamquod concluſio eſt falſa) non legitime infertur, ſed fallaciter: ergo. Prob. min. concluſio, ut legitimè inferatur, debet in præmiſſis contineri: ut autem hæc concluſio in illa majori contineatur, debet ſic apponi: *Quod eſt probabile eſt evidenter licitum in ſe, ſeu intellectus judicat eſſe evidenter licitum in ſe*: quod quidem in illò ſyllogi-

logismo nequit judicare intellectus; cùm non habeat nisi principia probabilia de licito, & honestate objecti; undè nisi falso, non potest affirmare, ex eo, quod sit probabile, esse evidenter in se honestum. Solùm enim potest de principio, seu propositione probabili judicare juxta merita suorum motiuorum: implicat autem, quod de principio, seu propositione solùm probabili prædicetur omnimoda certitudò, & evidentia: ergò est euidenter falsum illud assertum, seu principim; nimirum, *quod est probabile, est evidens esse licitum in se*. Solùm erit euidens, & certum, *quod si est probabile, est licitum apud aliquos Auctores*, qui ita judicant esse licitum; quia existimant esse probabilius talem contractum non esse usurarium, non evidenter, sed cum formidine: Et cum motiua eorum sint mihi minus probabilia in casu posito, solùm possunt per reflexas cõcludere, esse minus probabile, esse licitum.

670 Itaque discursus, seu demonstratio euidens apud probabilistas est hujusmodi: *Quod est probabile, idest, quod video esse indifferens ad verum, & falsum, seu ejus motiva esse indifferentia, imo magis accedere ad falsitatem, judico esse licitum, & mihi est evidens; & alias video æqualia, imò majora motiva, actionem hanc esse usurariam, & illicitam; nihilominus mihi persuadeo esse evidenter, & certissimè licitam, & me operari conformiter ad legem, & voluntatem Dei*. Quis cordatus censebit sic benè concludi, & honestè operari, quamvis addat multiplices reflexas, si remanet objectum, sicut antea; nam reflexæ nihil bonitatis addunt objecto.

671 Demum defectus in præfato syllogismo est manifestus, eò quòd, ut tradunt Salmanticenses, & Complutenses jam citati, fit transitus de propositione modali ad conclusionem *de in esse*; nam medium, quod est in utraque propositione, scilicet, ly *Probabile* est *de modo*, & infertur conclusio de illo extremo licitum, quod est *de in esse*: *ergò est licitum*: quæ propositio est *de in esse*. Et sic est ad formam hujus syllogismi: *Definitio est oratio explicans naturã rei; sed animal rationale est definitio: ergò animal rationale est oratio explicans naturam rei*; vel ut iste: *Homo est species; Petrus est homo: ergò Petrus est species*; quod vocant Logici variationis suppositi à simplici ad personam. Similiter in illo syllogismi; ly *Probabile*, supponit, & dicit respectum ad esse, quod habet in aliquo, vel aliquibus intellectibus, ita sentientibus; & concluditur: *ergò est licitum*; cujus veritas sumitur per adæquationem ad rem ut in se; ut doctè notant Nostri Salmanticenses dicto tract. de fide disput. 20. num. 134. & Complutenses in Logica dicta disp. 20. num. 3., qui rectè notarunt, quod ex relato modo arguendi adversariorum ruit ars syllogistica.

§. III.

Prosequitur idem assumptum.

672 CUm principium reflexum (de quo est consideratio in hoc articulo) sit vulgare, & præcipuum pro manutentione viæ probabilismi, oportet amplius illud ad examen adducere. Pro quo reflectendum est ad illam demonstrationem celebris probabilistæ adductam §. 1. n. 662. *Licitum est exercere operationem, pro qua stat opinio practicè probabilis*: disting. mai. Si est probabilis practicè formaliter, seu existente subjectiuè in intellectu operantis, concedo: Si est probabilis practicè materialiter, & tantùm objectiuè, nego. Ut enim sit subjectiuè in intellectu, requiritur major probabilitas, nec sufficit, quod ab aliquibus defendatur, quandò judicat niti minoribus motiuis. Undè quandò opinio minus tuta, & minus probabilis est, solùm est speculatiuè probabilis, & non practicè, respectu operantis, qui judicat esse minus probabilem, & idem si æquè tantùm probabilis; ut hucusquè ostensum est.

Nec probatio præfati Auctoris efficax est, dum loco supra num. 664. citato ait: *Implicat contradictionem, quod quis operetur prudenter, & quod in ea operatione peccet. Sed qui utitur opinione minus probabili, operatur prudenter*: Ergò, concessa mai. nego min. Et licèt syllogismum istum ibi formet in secundo modo primæ figuræ, nihil addit: Similiter concessa maj. Negatur min. nimirum: *Omnis, qui utitur opinione minus probabili, operatur prudenter. Sed illam supponit manifestam dicendo: Nam opi-*

nio, quæ est minus probabilis, verè est probabilis; quia si non est probabilis, non potest esse minus probabilis, quod si practicè probabilis est, ea nititur prudenti rationi. Respondetur ex dictis, est probabilis objectiuè, & speculatiuè, non verò practicè, nec subjectiuè, nec nititur rationi prudenti respectu existimantis esse minus probabilem. Quomodò potest judicare tali rationi inniti, dum existimat esse magis falsam, quàm veram, magis diformem, quàm conformem divinæ voluntati.

673 Et animadvertendum, qualiter utitur in hac probatione circulo vitioso. Quare probat opinionem esse probabilem? Quia nititur rationi prudenti, fundamento gravi. Hoc negatur illi de opinione minus probabili; & undè id probat? *Quia est probabilis*; & ita inquit: *Quia si probabilis est, ea nititur rationi prudenti*. Probat igitur esse probabilem, quia innititur rationi prudenti; & tali rationi nititur, quia est probabilis. Eccè euidentiam, & innegabilem demonstrationem, quæ est similis huic syllogismo: *Qui emittit solemne votum castitatis, nequit validè cõtrahere matrimonium; sed homo emittit hoc votum: ergò homo nequit contrahere validè matrimonium*. Ita est demonstratio prætensa reflexistarum: *Qui operatur prudenter, non peccat: sed qui sequitur opinionem probabilem, operatur prudenter: ergò non peccat*. Undè sicut in illo primo syllogismo consequens est falsum, quia minor non est uniuersaliter vera, nec in illa distribuitur terminus, qui absolutè ponitur in conclusione contra regulam dialecticam, idem cõtingit in secundo syllogismo. Quia minor solùm est vera de opinione gaudente majori probabilitate, nec contrarium probant Aduersarii. Et si non probatur, quomodo potest esse regula recta pro formanda conscientia?

674 Præterea, quandò probabilistæ asserunt, quod opinio illa est probabilis, quæ innititur rationi prudenti; necesse est, ut explicent, quid sibi velit ratio illa prudens, cui opinio nititur, & ex vi cujus prudentem importat assensum. Certè non aliã dabunt, quàm quod ratio prudens sit ratio gravis, firma, & non leuis, sed sufficienter mouens intellectum ad assensum, potensq; sit suo pondere intellectum flectere ad judicandum in materia, ubi aliàs euidentia haberi non potest. Et ideò quia hac ratione procedit, prudenter incedit. Non videtur, quod aliquis ex Auctoribus benignis hanc expositioñe sit negaturus, & plures illam ita consignant. Et nos concedimus, & consentimus. Sed restat probandum, quod opinio minus tuta, & minus, aut æquè probabilis in occursu oppositæ magis tutæ, magisque probabilis habeat pro se rationem prudentem modò explicatam. Probare hoc, quia est probabilis, est probare idem per idem, petitio Principii, & circulus vitiosus.

675 Imò contrarium suadetur (opinionem nimirum minus probabilem non inniti fundamento gravi, nec rationi prudenti, nec sufficienter posse intellectum mouere ad prudentem assensum) suadetur inquam, ex hucusque dictis in tota quæstione 2. ab articulo 1. usque ad 9. tum quia est contra Sacram Scripturam, contra jus canonicum, & contra decretum Pontificum Alex. VII. & Innocentii XI. Et specialiter probatum est ex damnatione propositionum secundo, & tertio loco damnatarum d.decreto Innocentii. Idipsum probatum est ex SS.Patribus, præsertim ex D.Augustino, & Doctore Angelico, & ex S.Theresia M.N. Et tota quæstione tertia per alios octo articulos, idem præstitum est rationibus non parum urgentibus ex repugnantia intellectus, qui assensum præstare nequit neutri parti contradictionis in æqualitate motivorum, & minus, dum opinio est minus probabilis, seu ejus fundamenta minus urgentia, quàm fundamenta contraria. Et dato quod assentiretur, esset contra veram prudentiam; nec tunc quæreret serio divinam voluntatem, prout tenetur, sed potius illam contemneret, & violaret. Et cum fundamenta uuius partis elidant fundamenta alterius, cùm sunt æqualia, minimè sufficientia sunt ad movendum intellectum ad prudẽtem assensum; si autem minora sunt, magis insufficientia erunt. Ex quibus manifestè constat esse falsum reflexum principium, quod operans prudenter adhæret opinioni etiam minus tutę, & minus probabili; & consequenter non esse veridicam illam demonstrationem, quam adeo magnificant reflexistæ.

§. IV.

§. IV.

Declaratur æquivocatio ejusdem principii: Qui utitur opinione probabili, operatur prudenter.

676 Ulterius ostendi potest, quanta æquivocatione laboret præfatus syllogismus: *Implicat contradictionem, quod quis operetur prudenter, & quod in ea operatione peccet; sed qui utitur opinione minus probabili, operatur prudenter: ergò &c.* Sed resumamus alium similem, sic: Qui operatur prudenter, non peccat: sed filii hujus sæculi operantur prudenter in generatione sua, imo magis prudenter, quam filii lucis: ergo dum sic operantur, non peccant. Major in via reflexa est euidens: minor est Christi Domini. Lucæ cap. 16. Iterum proponitur idem: Qui operatur prudenter non peccat: sed villicus ille, (de quo in dicto loco Lucæ,) prouidit sibi in posterum de mammona iniquitatis, & cum fraudulenter contra Dominum fecisset, laudatus fuit à Domino, quod prudenter fecisset: ergo non peccauit. Quid respondendum ad hos Syllogismos in modo primæ figuræ?

Videtur, quod reflexista etiam respondebit negando minorem. Rectè quidem. Sed restat respondendum ad minoris probationem ex Christi D. testimonio desumptam. Non dubito probabilistam dicturum; esse distinguendum de prudentia, quæ est vera, & est virtus, & de prudentia, quæ talis non est, & de hac, & non de illa Christum Dominum loquutum fuisse. Satis benè. Sed patiantur Auctores benigni, quod nos proportionabiliter negemus minorem sui Syllogismi, vel adhibeamus distinctionem, illam concedendo de prudentia, quæ non est virtus: & negando de prudentia, quæ est vera, & est virtus. Unde sicut data distinctione corruit demonstratio à nobis posita, ita data eadem distinctione corruit sua demonstrutio.

677 Pro cujus intelligentia est notandum, quod, ut latè docet D. Th. 2. 2. qu. 47. art. 3. *Prudentia dicitur tripliciter. Est enim prudentia falsa, seu prudentia carnis. Cum prudens sit, qui rectè disponit ea, quæ agenda sunt propter aliquem finem: & ita dicitur bonus, vel prudens latro, qui invenit convenientes vias ad latrocinandum. Secunda prudentia est quidem vera, sed imperfecta, vel quia bonum, quod accipit pro fine, non est finis totius vitæ humanæ, sed alicujus specialis negotii, ut nauta, vel negotiator dicitur prudens, cum adinvenit vias aptas ad navigandum, vel negotiandum. Vel est imperfecta, quia deficit in principali actu prudentiæ, ut cum aliquis rectè consiliatur, & bene judicat de his, quæ pertinent ad totam vitam, sed non efficaciter præcipit: Tertia vera, & perfecta est, quæ ad bonum finem totius vitæ rectè consiliatur, judicat, & præcipit. Et hæc sola dicitur prudentia simpliciter, quæ in peccatoribus esse non potest. Prima, est in solis peccatoribis: Secunda in bonis, & malis, nimirum illa, quæ est imperfecta propter finem particularem; nam quæ est imperfecta ex defectu principalis actus, non est nisi in malis.* Hæc Angelicus Doctor.

Deinde notandum est cum eodem S. Doctore, ibi ad 2. quod prudentia importat ordinem ad appetitum rectum, idest ad bonum finem, quia appetitus dicitur rectus per finem, quem efficaciter intendit. Hic autẽ finis totius vitæ humanæ, ad quem consiliatur, & judicat prudentia de mediis ipsi conducentibus, est bonum morale, seu morale generaliter in omnibus actibus humanis à nobis unicè perquirendum: ergo prudentia simpliciter talis debet consiliari, judicare, & præcipere quamlibet operationem hìc, & nunc in singulari peragendam confirmiter ad finem honestè, & moraliter benè vivendi.

Nunc ergo deveniendo ad assumptum nostrum; est quidem nimis difficile suadere, quod prudentia vera, & simpliciter, quæ est virtus, & reddit actum honestum per ordinem ad appetitum rectum, & conformitatem ad leges, eligat actionem, de qua cognoscit, & judicat esse magis difformem, quam conformem divinæ voluntati, legi æternæ, & appetitui recto, magis dissonam, quam consonam fini honesto, ad quem prudentia consiliatur, judicat, & præcipit actiones morales, ut docet D.Th. & de quo fusè actum est supra quæst. præcedenti toto art 3. & 4.

678 Deinde instatur in aliis speciebus pru-

prudentiæ, (de quibus agit D. Th. 2. 2. quæst. 50.) nimirum in gubernativa, militari, & œconomica. Etenim si Princeps, Dux, vel Pater-Familias invenirent, & eligerent vias, quæ potius essent inconvenientes, quam aptæ ad bonum commune, Regni, exercitus, aut victoriæ cosequendæ, vel familæ, nullo modo diceretur agere prudenter, nec intendere bonum commune, etiam id efficere innitendo reflexionibus. Idem in aliis exercitiis, & negotiis humanis, Medicorum, Mercatorum, Nautarum, Artificum &c. Planè imprudentes haberentur, si ad medendum infirmum, ad negotiandum, ad navigandum, vel ad artefactum faciendum invenirent, & eligerent vias minus aptas; quam conducentes. Si ergo omnes præfati sic agentes, non procederent tunc nec secundum prudentiam imperfectam, cujus finis est aliquod negotium particulare, ut ait D. Th. quanto potiori ratione erit imprudens (attenta prudentia vera, & simpliciter tali) ille qui invenit, & eligit medium (qualis est opinio minus tuta, minusque probabilis) existimatum magis iniquum, quam bonum, magis difforme, quam conforme fini honesto, ad quem consiliatur, judicat, & præcipit prudentia simpliciter talis, ut idem Ang. Doctor tradit. Si ergo in rebus parvi momenti sic homines prudentes sunt; quanto magis debent esse proportionabiliter saltem prudentes in rebus tanti momenti, ut sunt leges Dei, divina voluntas, & animarum salus? Quòd si omnes relati non regulantur in suis actionibus prudenter per probabile utcumque, sed maxime judicant de rebus, prout sunt in se, & hoc modo regulantur; Cur in ordine morali non sic est judicandum, operandum? Unde D.Th. 2. 2. q. 60. art. 4. ad 2. Sic ait: *Quia verum est bonum intellectus, falsum est malum ipsius*, ut dicitur 6. Ethic. *Ideo unusquisque debet niti ad hoc, ut de rebus judicet prout sunt*. Nec valet effugium ad illam distinctionem inter res juris, & facti; quia satis repulsa est supra quæst. præced. art.4. præsertim §. 2. & 3. & toto art. 5.

§. V.

Proponitur duplex genus probabilitatis, per quod magis ostenditur æquivocatio dicti principii reflexi.

679 ADeò difficilis reddita est præsens materia: tot involucris, reflexionibus, & ambagibus agitata per nonnulla subtilia ingenia, quod necesse sit in illius expositione fusius, quam par videbatur, procedere. Fateor ingenioli mei pusillitatem, ob cujus causam fortè molestus ero; at si nimis diffundor, hoc facio, quia quantum possum, confusionem vitare intendo. Quare pro majori explicatione doctrinæ traditæ, & qualiter in tota hac controversia intervenit æquiuocatio, ratione cujus pluribus videtur esse nimis arduum persuadere doctrinam cogentem sectari opinionem modo ab antiprobabilistis assignato: siquidem experientia constat quærentem serio veritatem assentiri alicui opinioni, licet non tantam habeat certitudinem: pro explicatione, inquam, & ut in hoc æquivocatio vitetur, animadvertendum est: quod juxta diversitatem negotiorum datur diversitas judiciorum in intellectu. Et ideò oportet de negotiis distinguere, & in illis proportionem, ut judicium fiat, attendere, ut non fiat transitus de judicio in uno genere ad aliud alterius generis, ex quo oritur sæpè æquivocatio, unde creditur judicium prudens. Ubi non est. v. g. circa ludum ad chartas comparativè ad hominem sæcularem potest fieri judicium prudens, quod sit honestus; at comparativè ad Religiosum Ordinis Stricti, & Reformati, non erit judicium prudens, quod sit licitus.

680 Hoc ipsum explicatur in præsenti materia. Aliud enim est judicium esse proportionatū de licito opinionis probabilis, dum hic, & nunc non judico de ponenda actione in executione: aliud vero est judicium proportionatum, & rectum, dum judico de illa ponenda in executione. Hæc autē diversitas attendi debet ex fine utriusque judicii. Alius enim est finis opinantis, alius vero finis agentis. Quare potest contin-

tingere judicium opinantis sistendo solum in linea opinandi esse prudens, & esse imprudens, ut agentis. Exempli gratia. Vides animal in sylva, quod jaculare intendis, & tibi dicunt quatuor esse feram, & duo esse hominem· opinaris non imprudenter non esse hominem: at judicare, quod possis mittere in illud sagittam, esset imprudens.

Sic dicimus de opinante probabiliter de licito in ordine ad intellectum, & in genere speculativo (licet dicatur materialiter practicum.) Ad munus hujus generis pertinet judicare veritatem rei in se, & secundum sua prædicata metaphisicè sumpta. Ut in illa quæstione; an sit usura in contractu societatis, ratione trium contractuum, determinatum lucrum recipere, salvo ipso capitali: quia aliqualiter judicas prædicata, seu fundamenta pro parte negativa videri tibi majora objectivè, & ex vi ponderationis, quã facis de rationibus huic parti faventibus, tibi apparet non esse usuram, & sic non esse illicitum hunc contractum assentiris. Sed non dum discutis de reducendo ad praxim hoc judicium. Verùm si velis ad praxim transitum facere, & de facto operari, attendis ad primam regulam, ad divinam voluntatem, ad finem honestum, seu appetitum rectum, qui est bonum virtutis, & considerans motiva contraria, Bullam Sixti V., periculum usuræ palliatæ, & violandi legem æternam, habes gravem formidinem deponendo in executione contractum illum, & sic imprudenter faceres ipsum judicando licitum, & honestum. Et quia multoties solum attenditur ad primum modum judicandi, & non ad secundum, datur æquivocatio, & deceptio.

681 Dices: illud primum judicium per tè est delicito in materia morali: sed hoc ipso est conforme ad finem bene vivendi moraliter: quandoquidem, quod est licitum coincidit cum eo, quod est prudens, alias esset illicitum, quod est implicatorium: ergo. Respondetur ejusmodi opinionem, seu judicium solum esse de licito speculativè, sistendo in ordine intellectus, non vero in ordine ad voluntatem, ut honestè operetur, ut in exemplo adducto de sagittario. Quoniam nequit agens deponere formidinem illam, (quæ exigua non est) ob peccandi periculum. At in ordine ad assensum, sistendo in intellectu, non intervenit periculum illud.

Dices iterum: etiam ad judicium, seu assensum de licito in ordine ad intellectum datur dependentia à voluntate, sine cujus motione nequit intellectus assentiri: ergo intervenit ibi actus prudentiæ, alias illicitè opinans assentiretur objecto. Respond. ita esse, quod ibi datur motio voluntatis, sed judicium sistit in ordine intelligendi, non vero procedit de facto ad executionem respectu talis objecti, seu contractus. Itaque intellectus, quoad exercitium sui actus dependet ab applicatione voluntatis; ac proinde quamvis intellectus sistat in speculando objectum morale, debet concurrere voluntas, & speculatio, quæ inde formatur, potest cadere sub voluntate, & electione prudentiæ quoad intellectus exercitium; non vero quoad specificationem, nempè, non cadit sub voluntate, quod tale objectum sit absolutè, & secundum se licitum, sed quatenus exercitium intellectus de licito objecti potest conducere ad aliquem finem.

682 Hoc facilius percipietur; notando: quod opinans diversimodè se potest habere in materia morali ex parte suæ intentionis. Primo intendens simpliciter indagare veritatem in se, sistendo ibi. Secundò intendens ex suo beneplacito ad ingenium exercendum defendere unam partem potius quam aliam, vel utramque problematicè. Tertiò intendens per inventionem opinionis ad praxim devenire, vel illam pro praxi consulendo, seu eliciendo operationem juxta illam, aut asserendo posse honestè de facto ad praxim deduci. Si primum intendat, ejus finis est verum in se, & est bonum quodam appetibile, & sic voluntas applicat intellectum ad inquirenda media, ad assequendum illum finem, scilicet veritatem: & sic applicando prudenter agit, & judicium intellectus in ordine suo intellectivo est prudens. Cæterum non se ingerit cum bonitate, & honestate objecti, vel operationis moralis, quatenus honestas est finis communis totius vitæ humanæ, ut docet D. Th. Unde tale judicium erit prudens in ordine cognoscitivo, & solum pru-

den-

dentia secundum quid, & imperfectæ.

683 Si autem opinans intendat secundum, nimirum sustinere unam partem præ alia, vel problematice utramque; tunc voluntas applicat intellectum ad ponderanda motiva pro illa, quam vult defendere, & quia hujusmodi applicatio, & ponderatio partialis conducit ad judicandum pro illa speculativè, deducit pro illa conclusionem speculativam hanc potius quam aliam. Idemque posset facere pro parte opposita ejus motiva considerando. V. g. Vis sustinere libertatem in causa non sufficere, ut actio sit peccatum in se: tunc si voluntas applicat intellectum solum ad motiva hujus partis, ex ipsis pro illa deducit conclusionem, & tunc intervenit prudentia ad electionem mediorum, ut consequatur finem intentum, nempe exercere ingenium. Sed hæc non est prudentia simpliciter, ut dictum est de primo modo, sed imperfecta, & secundum quid in ordine speciali exercitativo.

684 Si tertio denique modo, qui opinatur, intendat devenire ad praxim operationis, vel consiliando, aut docendo in praxi elici honestam operationem per usum opinionis: Tunc debet intervenire prudentia perfecta, quæ est virtus, non solum considerando rationes metaphisicas, quæ conveniunt actioni, vel objecto secundum se, quibus quandoque à trahitur intellectus sistendo ibi, sed etiam debet considerare omnes circunstantias, & motiva utriusque partis sedulò, & sine passione debet inquirere veritatem, & conformare judicium suum, & actionem cum prima regula; ut sæpe dictum est. Unde si in utroque extremo, v. g. An contractus ille sit usurarius, apparent sibi æqualia motiva, vel majora pro lege, imprudenter eligit opinionem minus tutam, & erit actio peccaminosa, quia nequit judicare esse Divinæ Legi conformem, & nullo modo in electione talis opinionis ignorantia invincibilis dabitur. Igitur hæc notanda sunt, ex quorum in consideratione oritur in pluribus æquivocatio; dum eliciunt judicium opinativum primò, & secundò modo de licito, quod sistit in ordine speculativo, & regulatur prudentia imperfecta, & secundum quid; & tamen sine alia inquisitione in praxi faciunt transitum ad judicium practicum de exequenda operatione, & judicant regulari vera, & perfecta prudentia.

§. VI.

Ipsi propugnatores probabilismi regulariter deserunt in praxi hoc principium reflexum.

685 Quia §. præcedenti notata (meo videri) sunt non parum utilia, placuit illa confirmare, & roborare non solum praxi, & doctrina antiprobabilistarum, (qui dictis uniformiter consentiunt) sed etiam doctrina, & praxi multorum virorum valdè doctorum substinentium in genere probabilismum. Pro quo referam verba non minus pietate, & zelo, quam doctrina præclari Magistri Camargo par. 1. lib. 1. contr. 8. art. 4. n. 108. & seq. Hinc (ait) quod magnopere notandum est, ego nunquam capere potui praxim multorum hominum valde doctorum, ac timoratorum, qui cum modernum probabilismum ubique pugnacissimè doceant, & substinendum esse contendant, ipsi tamen, dum dubia particularia sibi occurrentia, præsertim de re gravi, verbo, vel scripto resolvunt, dum docent, dum scribunt, dum concionantur, passim denuntiant obligationem gravem; cum probè sciant non de esse opinionem, licet æquè, vel minus, verè tamen probabilem juxta sensum benigni probabilismi. Id esse factum certum, atque notorium vix sit, qui nesciat: nec semel, aut iterum per me ipsum expertus sum, multosque de se ipsis id palam profitentes sæpiùs audivi. Quid hìc vero dicendum, ignoret forte quis?

686 Cæterum factum istud apud me efficacissimè convincit aliam esse rationem, & admodùm dissimilem de docentibus, & utentibus in via probabilismi. Porrò modernus probabilismus fallaci specie benignitatis suæ multorum intellectus non vulgares, & incautè tamen nimiū præoccupatos plurimis veritatis præjudiciis facillimè fallit, & obtinet, quo ad assensū attinet, videlicet quasi speculativū, & controversiā istā quasi generaliter consideratā: Quorum tamen conscientias timoratas, atque fideles,

les, non ita facilè decipere poteſt, dum propiùs venitur ad praxim. Verumtamen viri iſti prudentes, qui quā incautè docuerant probabiliſmi praxim, factis retractant. Hujus laudabilis praxis ſuæ, qua ſibi prudētiſſimè conſulunt, meminiſſe ſanè deberent, dum verbis ſuis multos decipiunt non ita cautos in operando; qui ſcilicet plus verba, quam eorum facta conſiderant, non quia majoris momenti ſint, ſed quia magis ſibi placentia. Hactenus in percelebri Salmanticen. Academia Cathedræ Theologiæ per doctus moderator.

Placuit etiam ad confuſionem meam hîc apponere, quòd mihi contingit, ut ignorantia mea innoteſcat. Per plures annos amplexus ſum benignum probabiliſmum, & cum in quodam collegio ordinis noſtri munus gererem præ lectoris, legi, & in concluſionibus ſubſtinui probabiliſmum: & tamen, ſi benè recordor, in praxi raro (dum occurreret occaſio conſiliandi, aut operandi) exiſtimabam licitè, & honeſtè poſſe amplecti opinionem, dum eſſet contra legem, niſi magis probabilem eſſe exiſtimarem. Quare cum tempore viſitationis conventus haberemus concluſiones coram Communitate, ut moris eſt inter nos, & defenderem non eſſe licitum uti reſtrictione mentali (non enim tunc erat proſcripta opinio contraria,) viſitator, qui erat vir non parum doctus, argumentatus eſt non parum efficaciter. Et cum argumento ſatisfeciſſem, prout Deus contulit, ille dixit mihi: Dicas: dum ſe offert occaſio alicujus neceſſitatis, aut non parvæ utilitatis, & tunc eſt conducens reſtrictio mentalis, quid facis? Et ego ingenuè reſpondi: ſi quandoque tali modo loquendi utor, ſi quis faciem meam attentè proſpiciat, videbit in illa ſtatim ruborem apparere. Hæc quoad praxim miſer dicebam, & ſentiebam: & tamen aliàs, docebam eſſe tutum probabiliſmum, & eſſe valde probabilem ſententiam de uſu reſtrictionis purè mentalis; nec cognoſcebam meam deceptionem, donec procedente tempore, mihi divina pietas tribuit lucem, ut illam cognoſcerem, & palynodiam libentiſſimè recantarem.

687 Dum ergo viri illi valdè docti, & timorati, licet ingenere probabiliſmi viam doceant, poſtea in quæſtionibus particularibus, conſultationibus, & praxi non adhæreant niſi opinioni, quæ ſibi videtur magis probabilis, planè indicant recedere in praxi à probabiliſmi principio reflexo: *Qui operatur probabiliter, etiamſi probabilitas minor ſit, operatur prudenter, licitè, & honeſtè*. Quia ſi non recederent, & contrarium ſentirent, valdè inconſequenter procederent. Quomodo enim pro praxi poſſent docere, vel conſulere, ſeu intimare obligationem ſolvendi, ſeu reſtituendi, aut jejunandi, & confitendi tale peccatum, aut circunſtantiam, ſi cognoverint eſſe opinionem, licet ſibi minus probabilem, quæ neget tunc eſſe obligationem reſtituendi, jejunandi &c. cum ipſi exiſtiment abſolutè licitam eſſe talis opinionis praxim. Certum enim videtur, cum ali diceret, teneris reſtituere, aut jejunare, quod mentiretur gravi, & pernicioſo mendacio, atque adeò exponeret periculo peccandi mortaliter, quod valdè intendunt vitare Auctores benigni. De quo, ſi placet, videatur quod circa hęc dicimus infra n. 704., & 705., & n. 806., & ſeq.

§. VII.

Infertur ex dictis non eſſe ſuſtinendum duplicem modum regulandi conſcientiam fundatum in ejuſmodi principio.

688 AUctores benigni diviſi ſunt in modo formandi conſcientiam ex vi principii reflexi, de quo agimus, aut ex vi illius (apud ipſos) demonſtrationis: *Qui ſequitur opinionem probabilem, prudenter operatur: ſed qui prudenter operatur non peccat: ergo &c.* Primus modus eſt dum quis exiſtimat opinionem docentem, contractum A. eſſe uſurarium, apud ſe ipſum eſſe certò veram, & contrariam falſam, ſed videt apud alios probabilem ſuſtineri; docet, inquam, modus iſte operantem etiam poſſe talem contractum inire. Alius modus eſt illorum, quibus non placet jam relatus: dicunt tamen non eſſe curandum de veritate objecti abſolutè, an verum ſit, vel falſum, an contractus in ſe ſit, vel non ſit uſurarius; ſed ſolum debet attendi, an ſit probabile non eſſe uſurarium, ſeu judicare hoc pro-

babile suspendendo judicium, an sit magis, vel minus probabilis, etiam si minus tuta sit. Uterque autem modus prudenter sustineri nequit. In neutro enim attenditur ad veritatem: quod meritò repræhendit D. Greg. lib. 15. moral. c. 17. *Qui ut nesciat, aurem à voce veritatis avertit, iste non nesciens sed contemptor addicitur*. Non ergo sustinendus uterque modus relatus.

689 Non primus. Quid diceretur de judice qui attenta veritate judicat esse falsum, equum pertinere ad Paulum, & non ad Petrum, sed quia alii socii dicunt ad Petrum pertinere, ferret pro Petro sententiam, judicans socios suos in proprio judicio falli? Qua ratione prudenter quis potest judicare se honestè agere, dum absolutè judicat, licet cum formidine, esse verum, quod actio sua sit contra legem Dei, & nihilominus se conformat cum opinione aliorum, quam existimat falsam; & illorum Auctorum judicium esse errorem? Qui enim sic judicat, & operatur, facit æquivalenter hunc discursum. *Ego judico actionem hanc, quam exercere volo, esse injustam, & per legem Dei prohibitam; sed quia video nonnullos Auctores (quos tamen decipi judico) docentes illam esse licitam, licitum mibi est absolutè actionem hanc exercere*. Vel alio modo. *Ego hunc contractum judico esse illicitum, & in eo legem Dei reipsa violo, ago contra Dei voluntatem, qui illam prohibet sub pœna æternæ damnationis, sed quia viri docti (licèt falsò, & contra alios Doctores) dicunt mibi licere attenta lege Dei secundum opinionem, quam actu judico falsam, bìc & nunc est mibi licitum, & honestum talem contractum inire.* Quod non possit judicare se non violare legem, constat, quia est evidens contractum usurarium esse contra Legem Dei, & peccatum: ergo si judicas actu, ut verum, esse usurarium, necesse est judicare, quod violas actu Legem Dei, & peccas.

690 Præterea; implicant contradictionem hæc duo judicia: *absolutè judico contractum illum triplicem esse usurarium, & illicitum: & simul judico: mibi licitum est bìc, & nunc illum inire, quia ita sentiunt aliqui Doctores, quos decipi judico.* Quod sic probatur: nam qui per judicium universale aliquid affirmat, vel negat de multis, vel de omnibus sub ea ratione contentis, seu acceptis, id ipsum debet negare, vel affirmare etiam de singulis determinate, unde si affirmas esse illicitum in specie talem contractum, & deinde asseris hic, & nunc tibi licere propter aliorum opinionem, datur vera contradictio: de quo supra jam dictum est à num. 563. Demum probatur absurditas prædicti modi regulandi conscientiam ex traditis in hoc dubio, & in reliquis per totam nostram controversiam hucusque adductis.

Quare præfatus modus primus regulandi refellitur à plerisque, & nobilioribus probabilistis; inter quos sunt Granados, Valentia, Aversa, Bresserus, & alii, præcipuè Palao t. 1. disp. 2. pun. 2. n. 4. nixus hac ratione: quia non sufficit, si judices alios sentire te non esse obligatum; nisi tu sentias te obligatum non esse; alias contra propriam conscientiam faceres ex aliorum opinione operando: ergo si retineas tuam probabilem, vel probabiliorem opinionem, seu sententiam de obligatione, nequis simul assentiri te obligatum non esse; quod non est sufficiens ad honestandam actionem.

691 Unde constat principium reflexum, (de quo est quæstio,) in hoc modo regulandi esse valdè incertum; siquidem à pluribus ex eadem professione probabilissimi impugnatur. Nec sufficit dicere, quod licet per intrinseca principia non possit quis assentiri alteri parti; potest tamen per principia extrinseca. Non inquam sufficit, quia supponitur te habere opinionem, ut propriam, vel ut probabiliorem, perpensis motivis tam ab intrinseco, quam ab auctoritate: seu ab extrinseco: Si ergo sic judicas contrariam sententiam amplectentes decipi, & falsum dicere, & alios auctores tuæ sententiæ veritatem attingere, quomodo prudenter, & conformiter ad primam regulam poteris judicare tibi esse licitum illorum sententiam sequi? Dicere, quod talis opinio sit probabilis,& prudenter sit illam sequendo; nihil ad rem facit, quia tibi non est probabilis subjectivè;quid est tibi esse probabile, nisi quod prudenter probare, seu approbare potes: Si ergo tibi falsa est illa opinio, quomodo illam prudenter potes tibi approbare? Nam ut ajebat

bat D. Augustinus: *Quomodo est istud, quod sequuntur, si non probatur probabile?* Ita de utilit. cred. cap. 11. ideſt: Quomodo quis ſequitur id, cui non probatur, & à quo judicatur probari non debere? Quod amplius etiam conſtabit ex modo dicendis.

692 Reſtat ergò examinandum, an per ſecundum modum reflexiſtarum rectè conſcientia reguletur; nempe, dum ſe offert dubium, non attendendo, nec judicando abſolutè de veritate objecti, an verum, aut falſum ſit, ſive an in ſe ſit bonum, vel malum, ſed tantùm an ſit probabile; aut, licèt judicaverit eſſe probabilius non eſſe verum, ſed falſum; ſuſpendit judicium, & ſic amplectitur contrariam opinionem minus tutam, quamvis minus probabilem. Cœterùm benè perpenſis, quæ in hoc noſtro opuſculo dicta ſunt, non difficulter apparebit non eſſe legitimum, nec rectum hunc modum regulandi conſcientiam. Nonnè intellectus non eſt judex veritatis, quàm ut proprium finem quærit? Ergo omnia, quæ ſibi undecumque ſeſe offerunt pro veritate, & falſitate, debet conſiderare tanquam judex in ſuo tribunali, antequam ſententiam ferat, & maximè in rebus ad Dei honorem, & ſalutem animæ pertinentibus. Quiſnam judex, niſi iniquus, non attenderet ad merita cauſæ ſecundùm veritatem, & ſolùm conſideraret unius partis allegata, & fundamenta, & præſcinderet ab alterius partis juribus, & ſic proferret ſententiam?

693. Nemo negabit hominem operantem teneri inquirere divinam voluntatem, & ſtudere illi conformari, ut ſupra latè ſtatutum eſt. quæſt. 3. art. 7. & 8. Si ergo oculos claudis ad motiva ſe tenentia ex parte legis, & Divinæ voluntatis, ſtudioſe curas non attendere, non inquiris illam diligenter, nec vis illi conformari: ſed potiùs illam contemnis, & in illa affectata ignorantia compræhenderis rejecta in Pſal. 35. *Noluit intelligere, ut bene ageret*. Nec tibi prodeſt ſuſpenſio, vel non attentio ad opinionem tutiorem, & ejus fundamenta; tum quia ſæpe non poteris, nam conſcientia, ut teſtis fidelis, clamat. Tum etiam, quia tibi remanet appręhenſio, ſeu cognitio opinionis contrariæ probabilioris: ergò tibi repugnat judicium de licito, & honeſtate objecti, quod vis amplecti; ſiquidem non tantum judicium determinatum, ſed etiam ipſa appræhenſio, quod tale objectũ non eſt honeſtum, impedit judicium de parte oppoſita: ut ſi dictum eſt tibi à quinque viris, Petrum eſſe mortuum, quibus majorem fidem tribuis, quàm aliis duobus contrarium aſſerentibus, ſtante appræhenſione aſſertionis prioris, non poteris aliorum dicto aſſentiri: cùm agnoſcas non eſſe ibi veritatem, quam ſemper quærit intellectus.

694 Ulterius oſtenditur, qualiter in iſto modo regulandi per ſuſpenſionem judicii non facilè vitatur abſurdum. Ponamus Petrum, & Joannem intendere in eiſdem circunſtantiis exercere actionem A. de qua eſt dubium, an ſit ſimoniaca. Uterq; probabilius judicat, vel poteſt, ſi vult, judicare eſſe probabilius, quod ſimoniaca ſit, quia ſibi apparent pro hac parte motiva urgentiora. Cęterum Petrus ſuſpendit judicium, nec attendit ad hæc fundamenta, ſed ad fundamenta oppoſitæ opinionis, & illi in praxi adhæret. Joannes judicium non ſuſpendit, ſed actu illud conſervat, tamen eligit opinionem illam minus tutam, & minus probabilem. In hoc caſu juxta iſtum modum ſecundum, excuſatur Petrus, & honeſtè operatur, ſecus verò Joannes, ſed potius malè operatur. Et quis hoc credat; quod Joannes legem Dei violet, & non Petrus, quia iſte, & non ille de induſtria, & conſilio ſuſpendit judicium actuale, quo, ſi vellet, judicare potius poterat magis cõtrariari legi divinæ, quàm conformari actionem ſuam? Itaque oculos claudere luci veritatis ipſi aperienti Dei pręceptum, & voluntatem, ut propriam ſequatur, ipſum excuſat, illique adeo favet, ut honeſtè, & meritoriè operetur: Hoc non aliud eſt, niſi ſibi conſtituere proprium judicium, ut primam regulam, & uti illa regula leſbia, ipſam ſibi, non ſe illi adaptando.

695 Sed videamus diſcurſum, quem virtualiter, vel ęquivalenter efficit, qui tali modo judicat, ut operatur. Eſt enim hujuſmodi: *Sive actio hæc ſit ſimoniaca, ſive non, ſive illam lex æterna prohibeat, ſive non prohibeat, imò mihi veriſimilius eſt illam prohibere; tamen quia aliqui Viri graves (quorum opinionem probabilius judico eſſe falſam)*

sam) dicunt esse probabilem, judico, & dico mihi licitum esse exercere talem actionem, & de facto sic volo operari. Videat ergò lector timoratus, & consideret, an conscientia hominis operantis sic ex reflexo principio, seu artificio probabilismi, sit verè pia, & verè christiana? Perpendat, an dictamen absolutum, quod ex tali principio reflexistarum tandem concluditur, sit verè prudens, & an in Tribunali supremi Judicis certò admittetur, & approbabitur? Quid interest, quod plures id principium, & judicium ex illo conclusum commendent, si fortè, qui est ipsa veritas, illud non commendat? Homines possunt decipi, & in hac parte non adest levis persuasio, immò videtur certum, quod decipiuntur. Illud quidem certum est, quod Spiritus Sanctus per os David nobis intimat Psal. 95. *Judicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate sua*: Et S. Leo Papa homil. 1. in Nativit. Christi in fine: *Pretium tuum sanguis est Christi, qui in veritate te judicabit, qui in misericordia te redemit*. Ergò veritatem inquiramus, veritatem diligamus, quãtum humano modo nobis possibile sit, quia *veritas liberabit nos*, ut Christus Dominus ait, Joann. cap. 7. Qui autem inventa probabilitate, sive majori, sive minori, nihil ultra quærit, immò sistit, ubi existimatur magis adesse falsitatem, valdè timeri potest, quod non in hac probabilitate judicetur, sed in veritate Christi.

ARTICULUS II.

Utrum quando circa objecti honestatem occurrunt opiniones utrinque probabiles, leges non sint sufficienter promulgatæ.

Non esse sufficienter promulgatas contendunt probabilistæ, ut inde concludant usum licitum opinionum, juxta suam benignam sententiam. Negant verò anteprobabilistæ asserentes legem debere existimari sufficienter promulgatam, quoties pro libertate non militat opinio magis probabilis, modo in Superioribus explicato. Si enim operans habet urgentiora, & notabiliter præstantiora fundamenta non dari legem, prudenter judicare potest non stare talem legem, & consequenter neque promulgationem. Quarè dubium præsens procedit de illis opinionibus, per quas non apparet illi objectum potius verum, quàm falsum, magis bonum, quàm malum, nec major conformitas reipsa cum lege, quàm cum non lege, ut dum sunt opiniones æquè probabiles; vel quandò opinio pro libertate est minus probabilis, & juxta illi oppositam magis apparet legem existere.

§. I.

Aliqua prænotantur pro dubii resolutione.

696 Notandum est primò, quod lex est ordinatio rationis in bonum commune ab eo, qui curam habet communitatis promulgata, ut docet D. Thomas 1.2. quæst.9. art.4. Ad cujus obligationem requiritur primò imperium, seu intentio Legislatoris ad obligandum; nec ex hoc præcisè habet vim obligandi, nisi publicetur; quia ut ibi docet S. Doctor, cùm sit regula, requiritur, quod applicetur hominibus, qui secundùm eam regulari debent; & talis applicatio fit per ejus publicationem, per quam venit in notitiam rugulandorum.

Hęc autem publicatio fieri debet communitati, in quo differt à præcepto, quod singulis intimatur, vel pluribus, prout singulis: Hoc autem in lege non est necessarium; sufficit enim, quod à singulis subditis sciri possit, & proprius illius sensus investigari, ut docet expresè Textus in c.1. de postulat. Prælat., & D.Thom. d. art.4. ad 2., ubi ait: *Illi, coram quibus lex non promulgatur, obligantur ad legem observandam, inquantum in eorum notitiam devenit per alios, vel devenire potest, promulgatione facta*. Et planè constat in publicatione Constitutionum Apostolicarum ad valvas Ecclesiarum, &c. affixarũ: Omnes ita afficiunt, & obligant, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent, ut in ipsis expressè declaratur. Undè notitia particularis, quam habet subditus, nullo modo constituit, aut integrat legis virtutem, sed eam completè constitutam supponit, sed solùm est applicatio, ut obliget in actu exercito, itaut non possit excusari ab ejus transgressio-

ſione: Sicut applicatio ignis non integrat virtutem comburendi. Aliquandò largè, & impropriè ſolet notitia nuncupari publicatio.

697 Notand. ſecundò, quod ſicut lex eſt multiplex, ita etiam modus applicandi, ſeu publicandi. Lex æterna promulgatur, ut D.Thom. docet 1.2. qu.91. ad 2., ibi: *Promulgatio fit verbo, & ſcripto; & utroque modo lex æterna habet promulgationem ex parte Dei promulgantis; quia Verbum Divinum eſt æternum, & ſcriptura libri vitæ eſt æterna.* Quod videtur explicari poſſe, dum lex humana nunc publicatur, & extenditur infuturum, etiam pro nondum natis per firmitatem Scripturæ, ut tradit D.Th. 1.2. qu.90. art.4. ad 3. Hæc lex æterna imprimis ad extra publicatur per legem naturalem, quæ nihil aliud eſt, quàm participatio legis æternæ in natura rationali: quæ ex impreſſione legis divinæ habet naturalem inclinationem ad debitum actum, & finem. Et ideo cum Pſalm. 4. diceretur: *Sacrificate ſacrificium juſtitiæ; quaſi quibuſdam quærentibus: Quis oſtendit nobis bona?* Reſponſum eſt: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* Quæ omnia docet Ang.Mag. 1.2. q.92. art.2.

698 Deinde lex æterna publicatur per divinam legem in Scriptura, & traditione Apoſtolorum. Et tandem publicatur mediis legibus humanis, aut diſpoſitionibus, quæ ſtabiliuntur, vel præcipiuntur à Legislatoribus humanis habentibus juriſdictionem, & poteſtatem; quæ à Deo, & lege æterna derivantur, & ab hac vim habent obligandi; & obid D.Auguſtinus deffinit *peccatum, quod eſt dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam*: Et immediatè ſubjungit: *quæ eſt ratio divina, vel divina voluntas.*

Notandum tertiò ex D.Thom. 1.2. qu. 92. art.2. Quod ſicut in qualibet arte præexiſtit idea, ſeu ratio eorum, quæ conſtituuntur per artem; ita in Gubernatore debet exiſtere ratio, aut exemplar eorum, quæ agenda ſunt per eos, qui gubernationi ſubduntur. Sic ratio Divinæ Sapientiæ moventis omnia ad debitum finem obtinet rationem legis, ſicut ipſa, inquantum per eam cuncta ſunt creata, rationem habet artis, exemplaris, vel ideæ. Ex quo fit, quod hæc lex æterna eſt exemplar, ad cujus conformitatem debent dirigi, & exercitè fieri actiones rationalis creaturæ inquantum talis, & conſequenter conſcientia noſtra, utpote regula ſecunda, ut ſupra dictum eſt, debet cum ipſa conformari. Unde ſicut ſi daretur aliquid creatum, quod non eſſet ideæ divinæ conforme, eſſet diforme, & defectuoſum, ut videre eſt in claudicatione tibiæ, & in monſtruis; ita quæcumq; actio humana eliciatur, ut ſit bona, & ut fiat perfectè, & honeſtè, debet eſſe poſitivè conformis illi exemplari divino, quod eſt æterna lex.

§. II.

Quandò datur opinio æquè, vel magis probabilis de exiſtentia legis, licèt opinio illam negans ſit æquè, vel minus probabilis, eſt ſatis nob s cognita, & intimata, & nos obligat in actu ſecundo.

699 HÆc aſſertio probari poteſt omnibus fundamentis hactenus appoſitis pro noſtro modo dicendi in hac ſecunda parte. Primo, ex locis ſcripturæ adductis qu.1.art.2. tum ex illo Eccli.37. *Ante omnia verbum verax præcedat te, &c.* ſtante autem opinione æquè, vel magis probabili de exiſtentia legis, cùm opinio contraria ſit indifferens ad falſum, ſicut ad verum, nequit dici judicium verax. Dicis: adhuc non probatur legis publicatio: Sed contra: nam motiva ſe tenentia ex parte exiſtentiæ legis, probant ſimul ejus ſufficientem promulgationem, aliàs eſſent de re non ſupponente, nec probabiliter probarent legis exiſtentiam, ut infra in hoc articulo dicemus: Tum etiam probatur ex illo Eccli. c.3. *Qui amat periculum peribit in illo*, ut d.art.3. ſupra num.378. perpenſum eſt. Tum præterea ex loco ibi à n.381. adducto Deuteron. ubi docetur in controverſia, & quæſtione de lege, ſtantibus diverſis Magiſtrorum judiciis, recurrendum eſſe ad locum à Deo electum; quod neceſſarium non eſſet, ſi lex non erat ſufficienter promulgata, & ſic certum non adeſſe ejus obligationem.

700 Idem constat ex Sacris Canonibus adductis supra dicta qu.2. art.5., in quibus decernitur probabilius esse sequendum, & in dubio, quod est tutius: Si autem cessaret obligatio ex non promulgatione legis, ineptè Pontifices ita statuerent. Pariter probatur ex decretis Alexandri VII., & Innocentii XI. dicta qu.2. toto art.4. supra perpensis. Quia vel erant tunc probabiles, & tutæ propositiones damnatæ, vel non. Si hoc secundum, regula pro dignoscenda probabilitate, & conscientia tutorum benignorum non est recta in hac parte, quia aliam non assignant pro sua benigna sententia diversam ab ipsa, quam pro damnatarum usu assignabant. Si dicant 1. nempe fuisse verè probabiles, & securas. Quomodo Summi Pontifices nisi decepti declarare illas adeò perniciosas potuerunt; nam si illarum leges non erant promulgatę sufficienter, ac proinde nec veræ leges, falsò earum doctrinam noxiam damnarunt: doctrina siquidem, quæ nulli opponitur legi, noxia non est: ergo non infertur ex probabilitate insufficiens promulgatio.

701 Ulterius probatur assertio efficaciter ex fundamento posito supra articulo ultimo quæst. præced., & ex notabili 3. in §.præced. Ad benè, & honestè operandum requiritur, ut conscientia nostra conformetur legi æternæ, & divinæ voluntati: Sed in doctrina reflexistarum nixa huic principio de non promulgatione, non conformatur cum lege æterna, & divina voluntate conscientia nostra: ergò hujusmodi doctrina nullatenus conducit ad benè, & honestè operandum. Maj. const. & min. prob. Ponamus casum in illa quæstione, an sit peccatum mortale petere absque necessitate, vel absque causa mutuum ab usurario parato ad illud dandum; & suppono esse probabilius, quod sit mortale, & quod non sit, esse probabile, ut docet Sanchez tom.1. in decal. lib.3. cap.8. nu.23. in hoc casu, & similibus quomodo potest tibi dictare conscientia hanc petitionem conformari cum lege æterna? Nam ad hoc debet dictare, & velle quod tu judicas dictare, & velle legem æternam, & divinam voluntatem; hoc autem nisi temerariè non potes sic judicare, seu asserere, quia habes motiva æqualia, vel majora, quod lex æterna, & divina voluntas dictat, & vult contrarium. Ad quid ergo valet, te dicere non esse legem promulgatam ex vi opinionis probabilis? Nonnè hoc mutat, aut determinat legem Dei, & ejus voluntatem, nisi desinat esse regulam primam; & reguletur opinione, seu judicio tuo?

702 Tandem reflexistæ exigunt judicium certum, & evidens in conscientia nostra ad honestè operandum: sed hoc judicio reflexo tale judicium deduci nequit: ergo ex illo nō infertur, quod honestè quis operetur sequendo illam opinionem petendo ejusmodi mutuum. Prob. min. Nam hoc principium nempe non esse legem sufficienter promulgatam in hac hypothesi, est valde incertum: Nam in primis refellitur ab omnibùs probabilioristis; deindè (exceptis quibusdam recentioribus) nobiliores, & doctiores Theologi Scholastici, etiam probabilistæ hoc principium expressè negant, aut impugnant, alii communiter etiam data probabilitate pro libertate, si reipsa opinio est falsa, supponunt dari legem sufficienter promulgatam, ut statim dicemus; ex quo fit, quod reflexistæ sumunt principium minus certum ad probandam suam sententiam, quàm sententia ipsa. Nam probabilistæ omnes assentiuntur tutum esse amplecti sententiam, vel opinionem, etiam minus probabilem: & plures illorum negant hoc reflexum principium de non sufficienti legis promulgatione: ergo in via probabilismi tale principium est minus certum conclusione, quam intendunt alii inferre ex illo.

703 Secundò probatur assertio nostra ex doctrina ipsorum professorum sententiæ benignæ. Nam ferè omnes, etiam Summistæ, supponunt, & existimant, casu quo opinio probabilis favens libertati, sit falsa in re, operantem ex illa transgredi materialiter legem Dei, peccareque materialiter: sed hoc nullatenus esse potest, si lex non esset sufficienter promulgata: ergò supponunt esse promulgatam, vel valdè inconsequenter procedunt. Maj. in ipsis Auctoribus patet. Min. prob. dum lex sufficienter promulgata non est, non est reverà lex, nec inducit obligationem, sine qua transgressio, nec peccatum formale, nec materiale inveniri potest, etiam si voluntariè

fiat

fiat id, quod in lege prohibetur ante publicationem.

Confirmatur: omnes Auctores tam nostri, quam contrarii supponunt, quod opinio, tametsi probabilior, potest esse falsa in re: Sed implicat opinionem esse falsam, dum est minus tuta, nisi detur lex publicata prohibens objectum, circa quod opinio versatur; siquidem tunc talis opinio esset omnino vera, ut ex se constat: ergo falsò sumitur, *non promulgatam esse legem*, ad inferendum licitum esse usum opinionis probabilis. -- Confirm. 2. Ut videre est apud omnes Auctores Morales, sæpè eligunt opinionem pro lege, quia est probabilior, sæpè sæpius dicunt opinionem pro lege, vel pro libertate probabiliorem esse, & simul affirmant contrariam esse probabilem: Sed hod falsò diceretur, si stante opinione pro libertate, non datur legis publicatio: tunc enim unicè essent veræ omnino opiniones pro libertate, & pro alia parte improbabiles, & falsæ, cum non stante legis publicatione adstruere obligationem est improbabile, & evidenter falsum, & contra illud Deuter.cap.12. *Quæ præcepi tibi hoc tantum facias, nec diminuas*.

704 Hinc etiam fit omnes Consultores numquam posse respodere Consulentibus nisi juxta opiniones probabiles faventibus pœnitentibus: quia aliàs graviter peccarent imponendo illis obligationem sine aliqua lege. Et quia Ecclesia est pia mater, dum inter ejus Ministros,& Subditos etiam sæculares daretur aliqua controversia, ut contingit circa immunitatem Ecclesiasticam, deberent illis Ecclesiæ Ministri cedere, stante opinione etiam minus probabili pro Subditis. Pariter omnis cura, diligentia, & studium deberet apponi in quærēdis,& inveniēdis opinionibus probabilibus pro libertate,ut sic nō imponamus obligationes sine lege, ne efficiamus jugū Christi suave, durum,& importabile, neve claudamus Cœlum, decipiamus, & irretiamus pauperes animas circa viam ad superos tendentem. Quis hoc sentiet.

Tandem sequitur, id quod rectè notarunt nostri Complutenses supra adducti hac 2. part. quæst. 3. artic. 2. num. 561. nimirum, quod in tali modo Theologizandi rueret ars Syllogistica. Defendis. v. g. esse confitendas circumstantias notabiliter à gravantes: in primis asseris defendendo esse confitēdas: deinde arguenti non potes non concedere licitum esse illas non manifestare, quia in tuis principiis non datur sufficiens publicatio legis, unde nec obligatio, cum opinio pro libertate probabilis sit. Si dicis te præscindere à reflexionibus: nihil habemus quoad conscientiam.

705 Hæc dicta sunt, non quia existimamus (absit) prædicta inconvenientia intendere probabilistas: Sed quia re vera videntur sequi ex eorum principiis: Ut dignoscatur, quam infirma sint, & aliter ac ipsi affirmant. Quare non irrationabiliter nobis possumus persuadere nobiliores probabilistas, licet admittant esse licitum usum opinionis in generali,dum hanc quæstionem, (de qua in præsenti) propugnant in communi affirmativam: cæterum postea discutiendo dubia moralia,sive quęstiones, in particularibus resolutionibus, in operando, & consulendo contrarium statuerunt. Aliàs in plurimis resolutionibus, præsertim dum amplectuntur opinionem tutiorem, nihil efficerent, nisi ingenium exercere, & manifestare, quod de viris prudentibus, doctis, & piis non est præsumendum. Imo non est facile salvare esse licitum mihi statuere in re gravi dari obligationem, & mortaliter peccare, dum sentio non dari legem, vel quod idem est, non esse sufficienter promulgatam. Si autem dico obligare; quia non est mihi certum hoc principium: ergo jam ex illo nequit formari conscientia.

§. III.

Non est necessarium, ut lex obliget, quod singulis Subditis publicetur.

706 Tertio ostenditur assertio nostra ex notatis supra not. 1. & 2. Promulgatio legis non est necesse, quod fiat singulis particularibus, imò est impossibile, sed sufficit fieri communitati, ita ut ad singulos notitia possit venire, & si non veniat, erit per accidens, & si absque operantis culpa, excusabitur. At hujusmodi publicatio legum jam facta est: ergo inutili-

tiliter appellatur ad non publicationem. Prob. min. 1. in lege æterna, quæ respectu creaturæ rationalis, participatur per legem naturalem in ipsa impressam: & in impressione ipsa lex naturalis habetur, & publicatur, ut docet D. Th. 1. 2. q. 9. art. 1. ad 2. & D. Aug. 14. de Trinit. *In cor hominis .... non migrando, sed tam quam imprimendo transfertur: Sicut imago ex anulo in ceram transit, & anulum non relinquit*. Et in Ps. 118. conc. 25. *Numquid lex ista naturalis non erat in populo Israel? Erat planè: quoniam & ipsi homines erant; Sine lege autem naturali essent; si præter naturam generis humani esse potuissent*. Atque ideò est impossibile à Deo condi naturam rationalem, & quod hæc non participet legem æternam, & quod non detur in ipsa lex naturalis; licet, ut in actu secundo obliget, requiratur ejus notitia: ut in legibus humanis dicemus.

707 Circa legem divinam positivam, non est dubium esse sufficienter publicatam, utpote in sacris libris scriptam. Dubium potest esse de lege Evangelica: quæ consistit in gratia Spiritus Sancti, quæ datur per fidem Christi. Ad Rom. cap. 4. *Lex Spiritus Vitæ in Christo Iesu liberavit à lege peccati, & mortis*. Et ad Hebræos cap. 8. adducit Apostolus authoritatem Hierem. cap. 31. *Dabo leges meas in mentes eorum, & in corde eorum super scribam eas*: Et D. August. lib. de Spir. & litt. cap. 2. tom. 3. *Quæ sunt leges Dei ab ipso Deo scripta in cordibus, nisi ipsa præsentia Spiritus Sancti?* Cum ergo hæc præsentia & gratia Spiritus Sancti non possit esse nisi injustis; videtur quod lex nova Evangelii, & illius publicatio solum existit, & datur, dum homo justificatur, & manet in gratia. Resp. ex D. Th. 1. 2. quæst. 106. art. 1. *Quod in unaquaque re illud videtur esse, quod in ea est potissimum: & cum prædicta gratia sit potissimum in lege Novi Testamenti, ideò absolutè dicitur lex indita. Habet tamen lex nova quidem secundaria, quibus oportuit instrui Christi fides, & Verbis, & scriptis tam circa credenda, quam circa agenda. Hæc autem sufficienter publicata sunt per Apostolos, ut ad omnes eorum notitia possit venire juxta illud ad Rom. cap. 10. Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*.

708 De lege positiva modò dictum est, præsertim Pontificia, notab. 3. Communiter in Constitutionibus Apostolicis statuitur, quod semel affixis in locis consuetis, *omnes ita arctent, & afficiunt, ac si unicuique intimatæ fuissent*. Quare non videtur stare posse cum hoc modo publicandi, doctrina exigente publicationem pro singulis Subditis, & quod lex non obligat illum, qui legem ignorat, aut circa ejus existentiam probabiliter opinatur. Præterquamquod rarò disputatur, an lex sit, vel non sit publicata; Sed an aliquid sit licitum, an res sit contra præceptum, de cujus existentia constat: An aliquid sit contra justitiam, aut contractus usurarius, simoniacus &c. nam supponitur dari legem justitiæ, & prohibitioni usurarum, simoniæ &c. Ergo ubi de existentia legis constat, & habeo majus, vel æquale fundamentum ad judicandum talem rem esse in lege compræhensam, inutile est recurrere ad non publicationem legis, ut vi illius non tenear abstinere ab ejus executione. Quia ut supra ex D. Th. dictum est: lex non debet, nec potest publicari pro omnibus, & singulis casibus in particulari, qui excogitari possunt: unde dum occurrit dubium, non ad publicationem, quod sit, vel non sit sufficiens, est appellandum, sed ad alia fundamenta.

§. IV.

Respondetur argumentis.

709 Arguitur 1. Quando videmus multos homines prudětes existimantes non dari obligationem, & ipsos, & plures alios aliquid, ut licitum operantes, non est consonum rationi, nec Reipublicæ, ut sim obligatus ex peculiari opinione ad id, ad quod alii non tenentur: Sed hoc ipsum videmus respectu usus opinionis etiam minus probabilis, & minus tutæ: Ergo hujusmodi usum licitè possumus amplecti. Min. ex praxi, & ipsis libris plana est. Maj. probatur: Nam lex debet esse communis, æquè obligans omnes, quibus proponuntur eadem moti-

va

va obligationis, ut in Republica sit uniformitas operandi.

Resp. 1. neg. min. supponit enim falsum. Nam in libris, quibus major fides debetur, non invenitur talis consensus de sequenda opinione etiam minus probabili: siquidem antiqui contrarium docent: D. Augustinus, & D. Thomas sunt in contrarium: etiam post ortum probabilismi semper adfuerunt viri doctissimi illum oppugnantes, & præcipuè ab anno 1640. & his temporibus multo plures. De praxi non minus est falsum. Unde tibi constat homines prudentes omnes sic operari: potiùs debemus contrarium præsumere; imò de ipsis Auctoribus, seu Professoribus probabilismi contrarium saltem regulariter practicare, & consulere. Et maximè de cordatis, & timoratis: quomodo potest censeri, nec dici operationes suas regulare opinionibus, licet minus probabilibus contra Legem Dei, & Divinam Voluntatem pro libertate? Sed quia supr. q. 3. art. 7. §. 2. in fine, & ibidem art. 8. de Auctoribus, & praxi contrariis probabilismo nonnulla adduximus, hic supersedemus.

Resp. 2. ex tali modo ratiocinandi per has reflexas gravia posse inferri absurda. Numquid Calvinistæ non habent suos Doctores asserentes sufficere probabile, seu probabiliter opinari in materia Religionis, & Fidei, sicut in materia morum? Si illis proponas disputationem, solum admittunt illam de probabilitate: probabile sufficit: & instant in modo probabilistarum circa mores. Ergo (dicunt) lex de nostra Religione, seu lex contra illam non est satis publicata. Replicas: apud illos non valere præfatas reflexiones, quia de veritate nostræ Religionis contra suam, sunt manifesta. Respondent non esse talia apud ipsos, quæ veritatem concludant, & iterum applicant, sicut in materia morum.

710 Præterea accedamus ad Græcos Schismaticos. Qui ibi natus, & educatus est, non habet plures homines Patriarchas, Episcopos, Sacerdotes existimatos doctissimos, & virtutibus præstantes judicantes modum suæ Religionis, & fidei esse certum, & tutissimum, suaque dogmata esse secura, & viam, quam docent ad Cœlum tendere, quam amplectuntur ferè omnes ibi habitantes? Quare si unus ex illis esses, apud te non haberetur totum illud probabile, & quod lex Ecclesiæ Romanæ non est sufficienter promulgata, imo id indubitabile haberes: maximè factis reflexionibus probabilismi: & tamen non rectè sentires, nec ibi salvus esses per illam viam. Ergo non ex multitudine existimantium, & operantium præcisè debet attendi securitas operandi, & honestatis regula; sed attendendum, an quærant, & eligant viam veritatis, ut David loquitur Ps. 118. *viam veritatis elegi*: sententia autem benigna, (& quomodo benigna?) viam eligit probabilitatis, quæ in genere accepta est indifferens adhuc cum suis reflexis ad veritatem, & falsitatem: utrumque æquè amplectitur. Quare negatur major universaliter accepta. Sequamur ergo SS. Patres, Ecclesiæ S. Doctores, & alios Venerabiles PP., & eorum viam, qui viam veritatis elegerunt, & ambulaverunt.

Secundò arg. Dum est certò probabile non dari legem prohibentem occidere hominem ob conservandam famam. V. g. est certò probabile Deum habere legem permittentem, & approbantem liberum usum illius: sed hæc lex, & alia quæ allegatur pro contraria opinione, nempe esse prohibitum, nequit simul utraque esse promulgata, neque earum aliqua determinatè, cum non detur major ratio pro una, quam pro altera: ergo neutra est promulgata: ergo tunc operans non operatur contra aliquam legem.

711 Resp. in hoc, & aliis nonnullis argumentis, præsertim in applicatione principiorum reflexorum pro stabiliendo usu probabilitatis recentiorum intervenire circulum vitiosum. Unde enim probat non esse legem promulgatam? quia est probabilis opinio: quod non datur lex. Et deinde concludis esse licitum usum illius opinionis, quia non est promulgata, nec datur talis lex. Dicimus ergo quod in tali hypotesi, non dependet ab opinionibus publicatio illarum legum, siquidem ante opiniones est certum dari publicationem: sed non constat nobis, quæ nam earum publicata sit, & reipsa existat; unde in dubio, & ignorantia hujusmodi, quid faciendum sit, jam constat ex hucusque dictis, & ex

dicendis in hac controversia. Unde Vazq. t. 2. in 1. 2. disp. 156. n. 8. ait: *Manifestè decipi eos, qui putant eum, qui dubitat an lex aliqua lata fuerit, & promulgata fuerit in curia ea lege non teneri, eò quòd ipsi non satis promulgata esse censeatur. Falluntur quidem in doctrina ipsa: siquidem in dubiis tutior pars est eligenda. Deinde in ratione decepti sunt, eò quòd aliud est promulgatio, aliud est notitia legis; & quamvis qui dubitat de lege, non haberet notitiam sufficientem legis, tamen non posset dici carere promulgatione legis, si re vera in curia promulgata fuisset, verum ea dubitatio satis est, ut ratione illius tutiorem partem sequi debeat.*

Tandem deficit doctrina positi argumenti, & recursus ad non sufficientem promulgationem: quia ut supra in hoc art. §. 2. probatum est: ut operatio sit recta, & meritoria, debet positivè approbari saltem in nostra existimatione à lege æterna: sed in hypothesi nostra æqualis, vel majoris probabilitatis pro lege operanti non constat, nec existimari potest à Lege, & Divina Voluntate approbari. Ergo &c.

ARTICULUS III.

Utrum in Deo admittenda sit duplex lex, alia directa, & antecedens, altera reflexa, & consequens.

CUm valdè invaluisset probabilismus à fine sæculi decimisexti, quia plurimis nimium placuit, utpotè hominum desideriis non parum accomodatus, plures graves, & eruditi Theologi validè dominantem probabilismum insectati sunt multis, & non parum efficacibus argumentis ab auctoritate, & ratione conantes ejus falsitatem ostendere. Et cum horum numerus, & auctoritas augeretur in dies, & sententiam benignam non parum infirmarent, & priora principia reflexa non facilè componi possunt cum illa efficaci ratione sumpta ex necessitate conformitatis nostræ cum lege æterna, & Divina Voluntate; ideò quidam Neothericus probabilista quamdam legem reflexam invenit in mente divina, illamque in lucem edidit, cujus modus dicendi vulgari quodam plausu, admissus, & receptus est à plerisque benignis.

§. I.

Repugnat omnino ejusmodi duplex lex in Deo.

712 UT operationi (de cujus honestate apparet operanti duplex opinio opposita æquæ probabilis, aut stante majori probabilitate pro lege,) astrueretur bonitas, honestas, & meritum, possetque regulari positive à lege æterna; præfatus recentior ponit in Deo duplicem legem; unam primariam, directam, antecedentem, & per se existentem: aliam secundariam consequentem, & per accidens inde existentem reflexam. Per primariam, & directam prohibet, aut præcipit Deus res, simoniam, usuram &c. Vel talem contractum usurarium, simoniacum secundum se, & absolutè, & sic absolutè talem contractum regulat. Consequens verò lex, seu reflexa regulat ex aliqua suppositione: nimirum: eo ipso quod detur ignorantia, seu opinio probabilis contractum illum non esse usurarium, (& sic de aliis) quamvis opinio contraria sit probabilior, dicta lex reflexa operationem circa illum regulat, & approbat, illi tribuens honestatem, & meritum. Nam posita tali probabilitate, cessat lex primaria, & directa, & intrat regulando secundaria reflexa. Et hoc modo componit totum quod probabilismus intendit.

713 Si scire desideras ex quo loco Scripturæ Sacræ, ex qua SS. Patrum auctoritate illam legem, aut distinctionem extraxit, nullum adducit, imo nec Theologum antiquum, nec modernum sui temporis; quibus argumentis à ratione id probat? non ostendit, contentus prædictarum legum positione, & expositione. Quod sufficiens videbatur, ut absque labore dicta positio non attenderetur: juxta illud Apostoli: Hæbr. 13. *Doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci*. Videtur hoc ita effecisse: nam assumpto probabilismo, & ejus propugnatione, curavit pro sustentatione illius jacere fundamentum sibi valdè stabile visum: ut de quibus scribit Divus

vus Bern. ep. 192. *Quidam prius judicant, & postea probant.*

Quamvis si benè perpendatur via probabilismi, magis consequenter videtur procedere hoc modo discurrendi. Quia cum honestas actionis tota desumatur per conformitatem ad primam regulam honestatis moralis, & operans cum æquali probabilitate fortè non applicat primam regulam, & si cum minori, verisimiliùs est non applicare, non potest judicare actionem suam esse primæ regulæ conformem. Ex quo fit, quod si non fiat recursus ad præfatam legem reflexam, non possit operatio legi æternæ, & divinæ voluntati conformis esse. At posita hac lege, cessat lex directa, qua prohibita erat talis actio, & Deus illam approbat: Hanc legem, & approbationem cognoscitur adesse (ut asseritur) ex suppositione sententiæ etiam minus probabilis; & sic opus illud est elegibile, prudens, & legi æternæ conforme. Hanc ergo legem, & doctrinam ejus inventor protulit in lucem circa annum 1650. quam alii moderni amplexi sunt in fide parentum. Hic locum habere videntur verba illa S. Greg. Naz. *Nobis satis est quod nemo ex his, qui divino numine afflati sunt ex Patribus illis, & Magistris nostris hanc sententiam hactenus pronunciaverit, vel pronunciatam probaverit.*

714 Prob. 1. assertio nostra, & refellitur præfata positio. Nam pugnat contra doctrinam omnium Theologorum, qui in materia de legibus docent legem æternam esse immutabilem, cum D. Augustino loco adducto supra art. præced. §. 3., & cum D. Th. 1. 2. q. 97. art. 1. ad 1. *Dicendum quod naturalis lex est participatio quædam legis æternæ, & ideò immobilis perseverat, quod habet ex immobilitate, & perfectione divinæ rationis instituentis naturam*: sed posita lege reflexa cessaret sæpe sæpius lex primaria, cum huic illa opponatur: ergo mutaretur, quod implicat: ergo implicat talis positio. Tum etiam quia ut art. præc. visum est, ferè omnes Auctores, etiam probabilistæ asserunt, quòd si reipsa probabilitas opinionis pro libertate non est vera, datur transgressio materialis: ergo non cessat illa lex prima: nam ut docet D. Aug. in Ps. 118. *Nullum est utique sine prævaricatione peccatum. nulla est prævaricatio sine lege.* Tum deinde, quia hìc etiam habet locum, quòd ex ipsis probabilistis diximus art. præc. §. 2. docentes dari opiniones probabiles, & probabiliores etiam pro parte legis, & contingere multoties esse falsas in re, quæ sunt pro libertate, etiam si quo ad nos probabiles sint: sed hæc doctrina destruitur posita lege reflexa, quia per illam approbantur omnes opiniones probabiles pro libertate: ergo. Tum præterea nam in quæstionibus particularibus ipsi probabilistæ sese contradicunt, v. g. alii asserunt esse illicitum non manifestare circumstantias aggravantes notabiliter; alii verò contrarium. Cur ergo sequuntur opinionem stantem pro lege, si cessavit per reflexam; posita opinione pro libertate? Cur nisi quia lumine radiante circa veritatem, in casibus particularibus amplectuntur id, in quo veritas magis apparet?

715 Secundò prob. ab à surdis esse impossibilem talem legem reflexam. In Deo reviviscere aliquam legem circa id, quod est intrinsece malum, & extingui est absurdum, saltem loquendo attenta providentia ordinaria: sed hoc passim contingeret posita lege reflexa: ergo ejus positio continet absurdum. Prob. min. (nam major non videtur negari posse;) & pono in illa opinione de licito usu restrictionis mentalis in juramento. Antequam damnaretur erat probabilis, & communis apud probabilistas: ac proindè erat lex reflexa regulans ejusmodi juramentum, ut bonum, & honestum juxta positionem talis legis. Postea vero adveniente damnatione Innocentiana jam revixit lex primaria, & extincta est reflexa: similiter potest contingere in pluribus opinionibus, quæ nunc circumferuntur ut probabiles: & potest contingere ab Ecclesia proscribi: & alias, quæ nunc non sunt probabiles, contingere potest fieri probabiles per Auctores recentiores, ut factum est temporibus præteritis.

716 Confirm. ex D. Aug. lib. contra mendacium cap. 16. *Nihil aliud judicandus est dicere, qui dicit aliqua justa esse mendacia, nisi aliqua justa esse peccata: ac per hoc aliqua justa esse, quæ injusta sunt. Quo quid absurdius dici potest. Ea vero quæ contra Legem Dei sunt, justa esse non possunt. Di-*

ctum est autem à Deo: lex tua veritas; ac per hoc, quod est contra veritatem, iustum esse non potest. D.Bernard. lib.de modo benè viuendi cap. 31. *Nullum iustum mendacium: Omne mendacium in nobis est peccatum*. Jam nobis constat illas restrictiones mentales esse mendacia, & esse contra legem Dei ab intrinseco malas: ergo etiam ante damnationem talia, saltem materialiter, erant juxta doctrinam SS.Patrum, quamvis dabatur opinio probabilis: hoc autem non ita esset, si daretur lex reflexa: ergo falsum est cessare legem primariam stante opinione probabili, si reipsa est falsa.

Dices inconveniens adductum, si quid probat, etiam militat contra modum probabilioristarum: Nam in casu illo de usu restrictionis puræ mentalis, plures sapientia, & virtute clari propugnabant, ut probabilius esse licitum. Quo casu in via probabiliorismi admitti debet licitè, & honestè illos sic sentientes operatos fuisse. Eccè tuum inconveniens sine discrimine. Idemque in aliis materiis contingere potest, opinionem notabiliter probabiliorem esse reipsa falsam: Et tamen illam sequentes bona fide non peccarent, sed licitè operarentur: ergo cum hoc esse non possit sine aliqua divina lege regulante, signum est dari talem legem reflexam, & cessare legem primariam, quæ absolutè prohibebat objectum illius opinionis.

717 Sed contra. Nam hæc instantia, seu argumentum ad hominem, quod multoties retorquent contra nostrum modum dicendi, & replicant probabilistæ, procedit ex non intelligentia viæ nostræ. Sciendum namque est, nos hìc præscindere ab illa quæstione, an possit dari ignorantia invincibilis circa mendacium, & alia jure naturali prohibita: & etiam præscindimus, an fuerit licitus usus illius opinionis de usu restrictionis puræ mentalis: sed pro nunc ommittimus. Deinde supponimus in via nostra doceri, quod potest contingere opinionem notabiliter probabiliorem aliquãdo esse falsam: tamen dicimus electionem illius, & operationem non esse positivè bonam, & honestam, nec meritoriam, sed esse malam materialiter, non formaliter. Quia ratione conscientiæ erroneæ inculpabilis excusatur operans à culpa formali, & imputabili; ut expressè docet D.Thomas 1.2. q.19. art.6., & qu.17. de verit. art.4. Unde in illa hypothesi elicientis mendaciũ bona fide, si hoc fieri potest, excusatur ratione ignorantię invincibilis à peccato formali. Et sic ommittimus, quod SS.Patres relati, & alii loquantur de peccato materialiter sumpto ratione ignorantiæ. Quod sufficit nobis ad refellendam legem reflexã; quia ad actiones materialiter malas non influit lex divina regulando, sed illas non imputat operanti.

§. II.

Amplius probatur repugnare præfatam positionem.

718 TErtiò ostenditur repugnare legem reflexam. Quia ex positione illius sequitur legem tam naturalem, quàm positivam constitui intrinsecè in ratione legis per notitiam privatam subditorum; quod est manifestè falsum. Prob. sequela. Nam in tali positione antecedenter ad actualem notitiam, qua subdito lex sufficienter proponitur, dumque illam cognoscit, non habet ex se virtutem obligandi, nec præcipit, nec prohibet, sed divina voluntas est indifferens, ut prohibeat actionem, aut objectum, si fortè veniat homo in ejus cognitionem, vel si per contrarium errorem hominis operationem, & objectũ permittat, & approbet. Item lex naturalis activè, & prout se tenet ex parte Dei, erit multiplex, & varia: itaut actio, quæ est intrinsecè mala Petro, erit eadem bona Paulo; imò hoc mense, eidem bona, & sequenti mala, & è contra: rudibus peccatum, doctis laudabile: apud has gentes turpe; apud illas honestum. Et sic omnia mala, aut bona contingent juxta opiniones, & errores hominum. Ecce legem reflexam contra jus canonicum, contra stylum Curiæ Romanæ in modo publicandi leges: Contra D.August. & D.Thom. & ferè contra omnium Theologorum doctrinam. Et iterum venit audiendus D. August. lib. 9. de Trinit. cap.6. *Claret semper iudicium veritatis, ac sui iuris incorruptissimis regulis firmum est. Et si corporalium imaginum, quasi quodam nubilo subtegitur, non tamen invol-*

involvitur, atque confunditur.

719 Demum rejicitur talis lex secundaria. Lex divina ante hominum cognitionem particularem habet aliquam certitudinem, aut determinatam rectitudinem, quæ possit, ab hominibus cognita, illos dirigere ad rectè agendum: sed juxtà modum discurrendi, & assignandi legem reflexam, ejusmodi lex cum determinata rectitudine non daretur in Deo: ergò implicat lex reflexa. Prob. maj. juxta D. Thom. 1.2. qu. 90. art.1. *Lex est regula quædam, & mensura actuum humanorum, secundùm quam inducitur aliquis ad agendum; & ita lex divina ostendit nobis quid agendum, vel ommittendum, ad cujus conformitatem homo debeat aut declinare, aut exercere suas operationes.* Ad hoc autem, ut sic lex obliget, & dirigat, debet rectitudinem continere, antequam de facto proponatur, & applicetur regulis secundariis: ut patet in prima mensura pro Mercatoribus in qualibet Republica: ergo major est vera; min. verò etiam ostenditur: Siquidem, juxta præfatum modum legis reflexæ, nulla est in Deo lex, aut voluntas, circa quam non possit dari ignorantia, aut error probabilis (saltem circa casus plures particulares) pro priori ad sui notitiam certam; per te tunc nihil præcipit, & sic est indifferens ad dirigendum, prohibendum, vel permittendum juxta modum cognitionis, erroris, & ignorantiæ horum, aut aliorum hominum: ergo antea non habet determinatam certitudinem ex se: implicat ergò in Deo talis lex.

720 Confirmatur. Nam juxta modum ejusmodi legis Deus, & ipsa spectat, quid judicet homo, quid opinetur, ut sic Deus, & ejus lex approbet, & dictet, quod homo judicat, & opinatur: ergo hominum judicia erunt prima regula, & lex Dei secunda, cùm hæc cum illa conformetur, & non è contra: & sic conscientia probabilis, imò & erronea erit regula prima; v.g. Deus per legem antecedentem prohibuit generaliter omnem contractum usurarium, & simoniacum ex natura sua: in sententia autem benigna nixus opinioni minus probabili de honestate talis contractus in particulari, qui per illam legem apud Deum est prohibitus, illum init, & de facto irreprehensibiliter, & honestè operatur. Quare? Respondet probabilista; quia Deus per legem reflexam consequentem relaxat legem primariam excipiêdo ab illius prohibitione hunc contractum, & quod erat ex objecto turpe, efficit honestum, & meritorium. Nonnè lex Dei conformatur cum hominis judicio, & non è contra? An inconvenientia in hoc articulo ostensa sequantur, judicet cordatus.

721 Sed faciamus transitum ad probabilismum, quid ex dictis inferatur circa illum. Duplex est modus dicendi, ut sup. hac quæst.4. art.1. §.7. à num.688. Juxta primum: Dum utraque pars æquè probabilis est, circa, an licita sit talis actio, ex imperio voluntatis potes eligere partem minus tutam, & etiam licèt hæc sit minus probabilis; tunc sic: hæc actio debet regulari aliqua lege divina, seu prima regula: Sed non potest sic regulari, nisi recurras ad legem reflexam: ergo incidit iste modus dicendi in legem reflexam. Maj. const. & min. prob. Actio, ut sit determinatè honesta, debet per aliquam legem determinatam hìc, & nunc regulari: nequit autem sic regulari per aliam, cùm alia non detur in Deo, nisi absoluta; cui actio in se mala conformari non potest: debes ergo recurrere ad reflexam.

Juxta alium modum reflexistarum: pariter in tali actione, de qua est quæstio, & opiniones oppositæ: reflexista utramque admittit tanquam licitam, honestam, & æquè tutam: pro utraque potest consilium præbere honestè, & prudenter; sed hoc nequit à divina lege, & voluntate Dei approbari, & regulari absolutè, & secundùm se, & præcisivè ab opinionibus, seu judiciis probabilibus: ergo, ut regulentur, & approbentur, debet cessare lex absoluta Dei, & intrare reflexa, & secundaria. Videtur ergo esse admittendam legem istam in via probabilismi, ut sustineri possit, & ut consequenter procedat: An Viri cordati, & sapientes probabilistæ illam, qualem percipere possunt, amplecti velint: non præsumimus.

§.III.

§. III.

Refellitur modus singularis, & absurdus ponendi legem naturalem, & positivam in Deo, & aliis Legislatoribus.

722 EX dictis hucusque circa nostram controversiam, præsertim in quatuor articulis præcedentibus, potest colligi, quid sentiendum sit de doctrina, & modo salvandi probabilismi rectitudinem, auctoris novissimi, & benignissimi. Docet enim, quod lex, sive naturalis, sive divina, positiva, sive humana, adeo dependet ab eo, quod sit cognita, ut adusque certò innotescat cuique, non habeat rationem, neque virtutem legis, non solùm quoad nos, verùm nec in seipsa, nec in ratione, nec in voluntate; & sic se explicat: Ita se habet Deus legislator, & quilibet legislator humanus, ac si Princeps haberet aliquas suæ voluntatis dispositiones in suo scrinio occultas, & subditos admoneret, quod ejus intentio erat nullatenus ipsos obligare, quousque unicuique certa, & indubitata adveniret suorum mandatorum notitia. Quare, cùm ita se habeat Deus, licèt quandoque dicatur in Deo dari legem æternam; aut rationem divinam vim legis habentem, solùm dicitur lex materialis, & abusivè; quatenus illa objecta, quæ nuncupantur intrinsecè mala, opponuntur divinæ sanctitati, non verò rationi, vel divinæ voluntati præcipienti, aut prohibenti; ac proindè, ut in subdito detur aliqua obligatio moralis, debet in illo præcedere certitudo moralis de legis existentia, tam respectu obligationis in communi, quàm respectu cujuscumque casus particularis. Unde si adest opinio probabilis, aut formido, aut dubium, secundùm quid, an detur lex, vel an in ipsa casus comprehendatur, Deus, & etiam quicumque legislator non vult legem obligare, nec talem casum in ipsa comprehendi. Ita discurrit Neothericus hic.

723 Certè in re tanti momenti, & ex se noviter inventa, optabile cuique esset videre, pro illa stabilienda, aliqua gravia, via motiva, & fundamenta ex Sacra Scriptura, & ex SS. Patribus, aut saltem ex nonnullis gravioribus Auctoribus. Verùm nihil horum in tali Auctore reperitur, nec unicum vel Summistam pro se adducit. Sed accedamus jam ad motiva sumpta à ratione. Contentus est præcipuè hoc fundamento sibi viso concludenti. Hoc ipso, quod detur opinio probabilis, formido, aut dubium secundum quid, nullatenus datur obligatio: ergò libera manet voluntas ad eligendam, & eliciendam operationem circa objectum, circa quod est opinio, formido, aut tale dubium. Probat anteced. in omni linea sive morali, sive physica nullus effectus datur à parte rei, nisi detur causa certa, ut patet in quolibet effectu in rerum natura existenti: ergo, ut detur certa obligatio moralis, debet dari causa certa, ex qua procedat; sed posita opinione, formidine, aut tali dubio circa legis existentiam, non datur causa certa obligationis: Siquidem istius causa est sola lex, quæ tunc est dubia: ergo nequit esse causa certa, nec ex illa obligatio certa oriri. Undè nec Deus, nec ullus legislator tunc vult subditum obligare, neque quod lex absque indubitata, & certa notitia dicatur talis, nisi materialiter, & abusivè.

724 Cœterum quis non videt, quàm debile sit hoc motivum, maximè ad astruẽdam doctrinam novam, alienam à SS. Patribus, & contrariam doctrinæ communi Theologorum. Respondetur ergo primo neg. antecedens: ad probationem concessa maj. neg. min. & consequentias ibi illatas; quarum falsitas satis constat ex dictis hactenus in hac controversia, & præcipuè in quinque articulis præcedentibus. Itaque licèt detur opinio, dubium, aut formido de existentia legis, & obligationis, dum non est verisimilius non dari legem, aut casum particularem in ipsa non comprehendi, nequit operans existimare actionem suam regulari lege æterna, & esse conformem divinæ voluntati (ut supra sæpius visum est) ob certam obligationem, quæ oritur ex lege naturali divina, quæ certò inducit obligationem ad talem conformitatem.

Secundò, adest lex divina, & obligatio; quod homo divinam voluntatem non contemnat; in tali verò modo operandi certissimè contemneretur divina voluntas. Tertio,

tiò, debet homo vitare periculum transgressionis, cujusque legis Dei, & Ministrorum ipsius: & ideò vel ipsi probabilistæ in dubio legis propriæ sumpto asserunt hominem non posse contra illam operari, nisi illud aliqua gravi, & prudenti ratione deponat.

725 Quartò: In dubio an sit animal in sylva mansuetum, quod apud ejus dominum æstimatur 20. scutis, non posses in illud jaculare: pro quo habes certam obligationem: & tamen non datur ibi lex certa particularis, & immediata; Cum sit dubium an sit illa res in alterius dominio: & consequenter est dubium, an res illa in lege non damnificandi proximum contineatur: ergo ex lege dubia oritur certa obligatio: tum quia ipsa lex prohibens damnificationem, præcipit cavere periculum damnificandi. Nec responsio vulgaris (cui alibi fit satis supra à num. 610.) est alicujus momenti: nempe casum appositum esse quid facti, nec evitari effectum damnificationis per opinionem probabilem; secus in dubio juris, seu dum est opinio non adesse legem, seu casum non comprehendi, tunc enim vitatur offensa Dei. Sed contra: tum quia perte in dubio an casus compræhendatur in lege, Deus non vult ad aliquid obligare; Sed est in dubio an in casu posito in lege compræhendatur illud objectum, seu animal, quod velles jaculare: ergo non datur lex. nec Deus vult tibi prohibere actionem jaculandi: Non enim datur alia ratio, seu regula quare actio sit mala, etiam in iis, quæ tendunt in damnum proximi, nisi lex æterna, & divina voluntas illam prohibens: ergo si respectu actionum, quæ sunt contra proximũ, attenditur ad periculũ, ne in ipsa actione violetur lex æterna, & divina voluntas, quare in legibus pertinentibus ad ipsum Deum non debet attendi periculum, ut pariter non transgrediatur ipsa lex æterna, & voluntas divina?

Tandem rejiciendus est præfatus modus discurrendi circa legum existentiam: tum quia in Constitutionibus Apostolicis, ut supra num. 708. dictum est, facta publicatione in Alma Urbe locis designatis, ubiq; obligant, ac si in particulari cuilibet essent publicatæ: ergo manifeste falsum est non habere rationem legis, nisi abusivè, quousque quilibet in particulari habeat certam, & indubitatam notitiam. Tum etiam, quia hoc potius habet locum in lege naturali, & in lege positiva divina præsertim Evangelica: quis dicet Evangelium non habere rationem legis, nisi respectu illorum, qui de Evangelio habent certam, & indubitatam notitiam? Tum denique quia, juxta Apostolum, Rom. cap. 14. *omne quod non est ex fide*, idest ex recta conscientia, *peccatum est*. Sed qui est in dubio legis, seu non judicat verisimilius legem non dari, solum habet actum formidolosum, per quem nequit regulari conscientia recta de honestate operationis: ergo nequit honestè operari: vel necesse est recurrere ad legem reflexam, de qua satis actum est art. præced.

726 Cæterum quod magis mirandum venit in prædicto Auctore modi regulandi adeò singularis, est velle, & contendere probabilioristas non discordare à sua doctrina, sed cum ipso convenire. Quis hoc credat, nisi oculis careat ad videndum, & intellectu ad totaliter non percipiendum adeò oppositam contradictionem luce clariorem inter ejus dactrinam, & nostram. Et quod deplorandum, forte nonnulli, aut plures incauti, (qui ad doctrinarum radicem, & fundamenta non curant recurrere,) faciliter credunt, & assentiuntur cuilibet doctrinæ, quam libris conspiciunt, præsertim dum sibi est placens, & est apta commoditati, & libertati operandi secundum amorem privatum.

Quondam, cum essem ego Romæ, & familiariter agerem cum quodam Viro Pio, & valde Religioso non parum in rebus moralibus versato, & haberemus invicem sermonem de hac materia, (erat enim probabilista;) dixit mihi: *Ut quid super hoc fatigamur? Omnes dicimus, & sentimus omnino idem*. Bene: (dixi ego:) Ponamus casum. Petrus habet peccatum adulterii, & si hanc circunstantiam explicat, Confessarius venit in cognitionem complicis: opinatur probabiliter posse circunstantiam silentio præterire, sed probabilius existimat teneri illam manifestare: poterit licite illam tacere sequendo primam opinionem? Non est dubium, respondit amicus,

nec

nec peccabit, sed honestè faciet. Tunc ego: Apud me certum habeo non posse; peccareque mortaliter, confessionem esse sacrilegam, nec posse amplecti illam primam opinionem, licet utatur omnibus probabilismi reflexionibus, quas existimo carere vero, & solido fundamento. Dicimus ergo, & sentimus idem omnino? Tacuit.

727 Nec alicujus ponderis est argumentum illud sophisticum à Caramuele efformatum, & ab ipso demonstrationem evidentem putatum: Per vos Probabilioristas est licitus usus opinionis probabilioris: Sed opinio asserens esse licitum usum opinionis etiam minus probabilis est probabilior: ergo etiam in vestris principiis licitum est sequi opinionem minus probabilem. Ergo idem dicimus, & sentimus, ut quid fatigamur?

Resp. 1. Concedendo majorem de usu opinionis notabiter probabilioris, & asserẽtis certitudinẽ moralem. Sed unde probas esse hujusmodi tuam, & probabilismi opinionem, cum patiatur tot difficultates. 2. Resp. neg. min. licet enim habet tot Auctores modernos, est contra omnes antiquos, & facilius est decipi magnam partem juniorum, quam antiquos omnes. Deinde licet habeat plures, parum interest numerus Auctorum, ubi deficit ratio.

Resp. 2. Negando min. est enim falsa. Nam, *opinionẽ esse probabiliorẽ* debet habere, tum à fundamentormu ratione, tum à Doct. auctoritate. Si attendamus ad fundamenta rationũ in comparabiliter nostra habet majora opinione contraria probabilistarũ, imo manifeste probant esse illicitum usum opinionis minus tutæ, & minus probabilis, & consequenter esse falsum, quod sit probabilius posse nos uti opinione minus probabili. Deinde fundamenta, quibus nititur hæc major probabilitas prætensa, sunt inefficacia: tum quia supponunt, quod debent probare: tum quia probant per princia reflexa, quæ non minus in certa sunt; quam conclusio; & ideò plures ex eisdem probabilistis circa talia principia reflexa contrarium inter se sentiunt, & adinvicem se opponunt. Tum denique, quia eorum debilitas satis ostenditur ab Auctoribus contrariis, videlicet à probabilioristis: Ut videri potest in supradictis, & dicendis in hac controversia, si benè ex animo inveniendi veritatem perpendantur. Solum ergo restat auctoritas tantorum professorum sententiæ benignæ. (ad hos appellant probabilistæ.) Sed quanti ponderis sit auctoritas tantorum Auctorum comparativè ad auctoritatem contrarium sentientium, tractatur supra in hac 2. parte qu. 2. art. 1. Deinde quid interest magna turba, si deficit ratio, & quod asserunt, procedit ex in consideratione?

728 Et ut magis appareat qualitas illius propositionis: nimirum: *opinio asserens, esse licitum uti opinione minus probabili, est probabilior*, & inconsideratio circa illam: est notandum, *opinionem esse mihi probabiliorem*, non aliud esse, quam me existimare illam accedere magis ad veritatem, & esse magis conformem ad divinam rationem, & voluntatem Dei, quam opinio contraria. *Opinionem vero esse mihi minus probabilem, dum est minus tuta, idem esse: ac me existimare ejus objectum magis malum, quam bonum, ipsamque opinionem à ratione divina, & voluntate Dei magis discrepare, quam conformari.* Hoc plane videtur à nemine posse negari. Nunc ergo: Quid est me existimare; opinionem asserentem esse licitum usum opinionis minus probabilis esse probabiliorem, nisi elicere hoc judicium? *Ego existimo esse magis conforme legi æternæ, & divinæ voluntati, & magis accedere ad veritatem, me posse amplecti objectum, quod mihi apparet magis malum quam bonum, & me conformari cum judicio quod à veritate, à lege æterna, & divina voluntate magis discrepat: quam concordat.* Quis dicet tale judicium esse rectum, & probabilius, & consequenter probabilioristas teneri illi assentiri, nisi ex in consideratione argumenti sophistici Caramuelis?

729 Tandem illa tua reflexa opinio adstruens usum minus probabilis esse probabiliorem, nihil veritatis addit propositioni directæ, quæ est minus probabilis. v. g. est minus probabile contractum A. esse non usurarium: per tuam reflexam nihil addis veritatis huic opinioni, nec objectum in se mutatur, sed remanet sicut antea erat secundum existimationem veritatis. Magis probabili esse usurarium: & non

non esse minus probabile, & sic antea non poteras licite uti opinione illa directa; pariter posita reflexione, cum nihil de novo addas de veritate; quam cum Propheta profitemur eligere. Ergo chimericum, & implicatorium est dicere, quod idem sentiunt, vel sentire tenentur probabilioristæ, ac professores probabilismi.

ARTICULUS IV.

Qualiter intelligenda sit regula juris: In pari causa melior est conditio possidentis.

§. I.

Referuntur varia Doctorum sententia.

730 CElebris est tam apud Theologos morales, quam apud utriusque juris peritos illa regula quæ habetur in l. 170. ff. de Reg. juris: *In pari causa possessor potior haberi debet*. Et in regulis juris Canonici: Regula 65. de Reg. juris in 6. *In pari delicto, vel causa potior est conditio possidentis*. Cum videlicet, duo litigant super aliqua re, quorum neuter jus habet clarum, sed utriusque partis fundamenta æqualia sunt, prævalet, qui legitime possidet: quia jus determinat habendam esse rationem possessionis, qua una pars alteram vincat. Hinc orta est controversia, an, & quomodo habeat locum regula in foro poli, sicut in foro fori.

Probabilistæ pro stabilienda rectitudine suæ sententiæ benignæ ad hanc regulam recurrunt, sed non omnes, ut infra videbimus. Ex quibus plures præsertim ex modernis, sine alio ulteriori examine illa, tamquam axiomate indubitabili utuntur, ex ipsaque visum est ipsis fieri hanc evidentem demonsttationem: In dubio sive positivo, sive negativo, melior est conditio possidentis etiam in foro conscientiæ, & in omni materia: sed humana voluntas suam possidet libertatem: ergo in omni materia debet esse melior ejus conditio respectu legis: ac proinde in quocumque dubio de lege, sive negativo, sive positivo, aut probabili homo remanet liber ab obligatione, potestque deponere dubium, seu formidinem, & licitè, & honestè operari ex vi præfatæ regulæ. Alii vero Auctores hanc regulam accipiunt dumtaxat in foro externo, ad quod dicunt attendisse utrumque jus ad vitandas lites. Tandem alii distingunt asserentes habere locum in materia justitiæ, etiam in conscientiæ foro; & hic modus dicendi est communis inter probabilioristas, & est omnium, vel fere omnium antiquorum, & multorum probabilistarum.

§. II.

Explicatur breviter natura dubij.

731. CUM definitio rei sit primum principium; si ipsa non rectè stabilitur, contingit, quod in seminibus, quæ molle sunt minima, & virtute maxima: & ita in qualibet materia error minimus in principio universali, in descendentibus, seu ex ipso illatis, fit postea decies centies millies major, ut supra ex Divo Thoma, & ex Aristotele visum est. Relictis ergo alijs, deffinitionem dubij tradit Divus Thomas 3. Senten. dist. 37. art. 4. esse *motum rationis supra utramque partem contradictionis; cum formidine determinandi ad alteram*. Circa quam diffinitionem inquires. 1. Quisnam sit iste motus rationis in dubitatione. Respond. esse actum intellectus, qui attingit immediatè simul utrumque extremum contradictionis, quatenus proponitur per motiva inter se contraria, ita ut quodlibet sollicitet intellectum, & atrahere conetur ad suam partem, per assensum determinatum, & quia neutrum alteri sibi contrario notabiliter prævaleat, intellectus non potest invenire veritatem de obiecto, ut est in se, quam quærit: & sic manet suspensus, & quasi ligatus, ut expresse docet Aristoteles, & Divus Thomas allegati supra quæst. 3. artic. 2. §. 3. num. 570. ut qui in die festo, dum haberet curam infirmi, dubitat, an possit ommittere auditionem Sacri: ex una parte cogitat obligationem præcepti Ecclesiastici, & ex alia periculum infirmi: & non occurrit illi motiuum, quod notabiliter ex utrolibet prævaleat, manet intellectus suspensus. Potest etiam contingere dubium circa idem

ARTICULUS V.

Utrum in materia justitiæ, & in foro conscientiæ habeat locum regula: In pari causa, potior est conditio possidentis?

§. I.

Eligitur sententia affirmativa, & probatur.

735. EST communis ferè omnium tam Theologorum, quam Canonistarum etiam in foro interno, sicut in externo habere locum regulam: ita ut qui rem possidet bona fide, & possessio est certa, licet postquam bona fide incepit rem possidere, dubitet de illius dominio dubio negativo, vel positivo, dummodo contra se non habeat motiva probabiliora, seu opinionem probabiliorem, potest licite illam retinere, & illa uti; nec alius potest possidentem perturbare, licet pro se habeat opinionem æquè probabilem, nisi certo saltem moraliter judicet ad se pertinere. Et supponimus possidentem teneri adhibere debitam, & sufficientem diligentiam, & inquirere, an res ad se, vel ad alium pertineat.

Assertio sic exposita probatur. 1. Ex utroque jure: ex Canonico, (præter ipsam regulam pro tota Ecclesia ad dubia resolvenda intimatam.) In cap. ex litteris deprobationibus, ibi: *Quod si ambarum partium testes sint æquè idonei, possessoris testes præferuntur*, Et ex cap. si à sede de præbendis: ubi si duo idem impetrarunt beneficium, & alius prior possessionem accepit, hujus conditio potior habetur. Idem in cap. dilecto de Verb. signific. ibi: *Declaramus, quod nostræ intentionis non fuit per ipsam indulgentiam jus perimere, quod tibi competit ex possessione præterita.* Ex Jure Civili etiam constat præter regulam 170. citatam ff. de Reg. Jur. est expressum in l, peregre, leg. possessio ff. de acquir. possess. l. fin. Cod. eod. l.ult.Cod. deliber. causa. Ibi: *jus possessionis obtinebis*. Covar. in regula possessor par. 2. in pr. num. 3. Ant. Gomez in l. 45. Tauri n. 17. & alij plurimi.

Ex quibus formatur ratio: forum externum, & internum debent conformari, quoties externum non fundatur in falsa præsumptione, ut est communiter receptum: sed non est aliquod vestigium forum externum in falsa præsumptione fundari: ergo. = Confirm. Jus Canonicum præcipue intendit animarum salutem, & peccata vitare: ergo ubi non datur expræssa ratio, ex vi cujus constet ejus decretum in falsa præsumptione fundari, non solum in foro externo debet locum habere, sed etiam in foro animæ: respectu autem nostræ regulæ non datur talis ratio expressa.

736. Prob. 2. ex diffinitione possessionis tradita ab auctoribus citatis, & ab alijs: *Possessio est jus insistendi rei non prohibitæ possideri*: ergo possessio jam addit aliquam causam, & rationem, ex vi cujus perceptibiliter una pars prævalet, & vincat: ergo recte resolvitur dubium in favorem possidentis, nec stante dubio dominij, vel stante pari causa remanet ex parte alterius aliquod jus verè probabile. Tum etiam, quia possessio rerum semper affert secum aliquem titulum, ratione cuius possidetur, videlicet, ex donatione, emptione, hæreditate, &c. titulus autem ex his habitus aliquod jus affert: nam emptio, donatio, dant ex se jus, & ita habita ex titulo re possessa, præsumitur jus ad illam, & in illa tribuere. Ergo dum per fortiora motiva non turbetur, tollitur æqualitas, & sic possessor retinere rem licitè potest.

737. Sed hic est difficultas in assignanda radice, vel causa, quare jura sic juxta nostram regulam statuerunt. Nonnulli ad jus naturale recurrunt, ex illoque procedere, ita ut jus positivum de novo nihil destabilierit. Cæterum non facile ità componitur, nec de hoc rationem efficacem assignant. Quare causa juxta communem sensum auctorum est illa, quam etiam tradidit Card. Palavicinus disp. 6. quæst. 14. artic. 3. num. 3. Etenim jura semper attendunt, ut in republica bene ordinata rerum dominia certa sint, & quod rerum possessores illas pacificè habeant; Viten-turque lites, & perturbationes. Ob hoc in-

introductæ sunt usucapiones, & præscriptio rerum in materia justitiæ, imo contra ipsas leges consuetudine præscribitur: aliter nihil tutò vendi, emi, aut trasferri posset: neque quisque posset fidere rebus suis, nec contractibus, nec donationibus &c.

Quapropter jure gentium in ratione, seu jure naturali fundato, ob convenientiam pacis, ob bonum reip. regiminis, vel ab ipsis rebus publicis in eodem jure fundatis, consentientibus etiam singulis hominibus, statutum est, possessionem aliquod jus ponere in ordine ad legitimè utendum rebus, & illas retinendi, dum circa illarum dominium versatur dubium. Quod autem hoc fieri possit jure positivo, nequit dubitari, sicut in usucapionibus, & præscriptionibus dominium ipsum transfertur totaliter in possidentem bona fide, transacto tempore jure designato.

738. Sed contra Conclusionem, & hucusque tradita dices: qui Matrimonio bona fide contracto, dubitat de ejus valore, illi non favet possessio in conscientia: ergo in hoc foro non habet locum regula. Prob. ant. Nam ut statuitur in cap. inquisitioni de sent. excom. qui sic dubitat, nequit petere debitum, licet redere possit, & teneatur, & tamen possidet, siquidem bona fide contraxit: ergo possidenti non favet possessio in conscientia, nec in materia justitiæ. Resp. hoc argumentum valdè militare contra extendentes possessionis jura etiam ad alias materias, ut infra urgebimus. Tamen prædictis non obstat, imo confirmat rationem traditam, ob quam jus possessionis introductum est. Diversa namque est ratio in matrimonij usu, ac in usu aliarum rerum: in harum etenim usu nullum datur periculum peccati, eò quod jus positivum id statuit, ob potestatem quam habet de rebus temporalibus, ut in usu capione, & præscriptione: at respectu usus matrimonij non habet potestatem, nec tale jus potest transferre ob periculum, quod datur in tali dubio violandi castitatem.

739. Sed dubitabis: an in tali casu si dubitans peteret debitum, peccaret peccato adulterij? Et videtur, quod non; quia ob solum periculum violandi castitatem nequit petere: & ita sentiunt nonnullì: sed contrarium dicendum est. Nam ideo in materia justitiæ, dictum est, possessionem tribuere jus, quia ita respubl. statuit consentienibus hominibus: In ordine ad justitiam in materia adulterij, nequit respublica, nec homines talem consensum præstare. Nam ut rectè docet Cajet. 2. 2. quæst. 154. art. 6. §. *ad* 1. *igitur dubium*. Consensus alicujus potest præstari super his, quorum absolutè domini sumus, & de illis possumus pro libito voluntatis disponere, quales sunt bona fortunæ: secus super illis; quæ ab altiori principio sunt nobis data cum limitatione. Dedit tibi Deus dominium manus tuæ, non potes in mutilationem illius consentire. Dat tibi Rex officium Prætoris, in quo ex justitia habes jus, nequis alteri illud cedere. Sic in matrimonio Mulier alligata est viro, quanto tempore vivit: unde nec respublica, nec Maritus potest aliquod jus in alium transferre. Ob quam rationem damnata est ab Innocentio XI. propositio 50. *Copula cum Coniugata consentiente Marito, non est adulterium; ideoque sufficit in confessione dicere esse fornicatum.*

Obiicies secundo, & simul replicabis: Utens jure possessionis etiam exponitur periculo violandi justitiam: Nam ejusmodi jus tribuit facultatem utendi, illam consumendi, & alienandi: & consequenter privandi dominio illum, ad quem forte reipsa illud pertinet: ac proinde violandi justitiam. Respònd. nec in tali hipotesi alicui periculò violandi legem justitiæ se exponit, nec materialiter: quia ob causas adductas, hoc totum utroque jure Canonico, & Civili possessori concessum est: & sic nulli facit iniuriam utendo jure sibi concesso.

§. II.

§. II.

Dum in materia justitiæ opiniones sunt æquè probabiles, etiam in foro conscientiæ habet locum regula de possessione. In consequentia probabilistarum ostenditur.

740 Juxta viam probabilismi videtur certum possessorem in hoc casu posse rem retinere, nec ad restitutionem obligari, attentis ex una parte principiis probabilismi: at attenta hac regula ex parte alia, (quam admittunt, & in illa fundant probabilistæ suam opinionem,) videtur in casu posito possessorem retinere rem non posse. Primum ostenditur; Ponamus Patrem tuum in testamento minus solemni legatum reliquisse Titio. Capta possessione per te hæreditatis, judicas probabilius teneri legatum præstare, quia est probabilius testamentum valere in foro interno: sed existimas esse minus probabile te non teneri: tibi fauet probabilismus: quia cum sit probabile, licet minus, potes habere assensum prudentem, quod res legata ad te pertinet: & sic prudenter operaris, & non peccas retinendo, etiam si pro legatario adsint urgentiores rationes: ita sentiunt communiter probabilistæ.

741 Secundo idem autumant in resolutionibus particularibus, in quibus probabilistæ, hoc ipso quod sit probabile, sine recursu ad an possideat, vel non possideat; docent operantes, & Consultores in materia restitutionis posse uti opinione minus probabili, & sic licet probabilius judicetur dari obligationem restituendi, operantem, & Consultorem posse illam amplecti, imo ipsum possidentem obligare ad restitutionem, licet pro se habeat probabiliorem; ut cum aliis docet Sanc. tom. 1. sum. cap. 9. num. 19. rejiciens limitationem, quam in hoc casu ultimo adhibuerant Vazq. & Salas, ibi ab ipso relati.

Secundum autem, nimirum, dum contra possidentem motiva sunt urgentiora rem non posse retinere, videtur esse certum in via probabilistarum. Nam videntes non ita firmatam stare suam sententiam benignam, illam fulciunt hac nostra regula *in pari causa*: sed manifestum est in casu, de quo agimus, non esse parem causam, cùm supponamus adesse urgentiora motiva pro parte contraria possidenti: ergo vel inconsequenter procedunt probabilistæ, vel frustrà adducunt regulam istam in favorem suæ sententiæ. Et confirm. Nam probabilistæ in casu dubio docent posse possidentem dubiũ deponere variando judicium, ita ut deponat speculativum, & eliciat rectum practicum, quia forum internũ debet conformari externo, quoties hic non fundatur in falsa præsumptione; ut docet Bonaccin. to. 2., ubi de peccatis disp. 2. qu. 4. pun. 7. num. 13. citans Sanchez, & apud istum alii plures: In foro autem externo judicatur pro possidente: ergo idem in interno. Hęc autem ratio militat in casu nostro; nam certum est in foro externo judicandum esse contra possessorem ex vi nostræ regulæ: ergo ex vi illius etiam juxta doctrinam probabilistarum non potest possessor rem retinere. Ex quibus colligitur, quàm inconsequenter procedit doctrina probabilismi, cum ex una parte nostram regulam *in pari causa* dicant habere locũ in foro interno, & illam adducunt pro sua sentẽtia de usu licito opinionis probabilis confirmanda; & postea in casibus singularibus asserunt esse licitum uti sententia, aut æquè, aut minus probabili, & resoluunt pro qua parte, illis placet.

742 Dicendum tamen est, teneri possessorem bonæ fidei alteri parti rem tribuere, dum pro illa habet urgentiora motiva. Hoc manifestè constat ex præfata regula, *in pari*, & ex juribus §. præced. allegatis: Siquidem expresè requirit pro jure possessionis, quod causa, seu motiva sint paria. Et ideo N. cursus moral. salm. tom. 3. tract. 13. cap. 1. num. 325. ait: *In dubio melior est conditio possidentis, & illud: in dubio nullus est privandus jure quæsito, intelliguntur, vel de dubio negativo, vel de dubio cum æquali probabilitate habito; quia semper intelliguntur cum illo addito,* in pari causa: *non verò, quandò dispar est causa utriusque, uti est, quandò ex parte unius est opinio probabilis, & ex parte alterius probabilior.*

Nec prodest quod possidens habeat opinionem probabilem de dominio; nam, ut in tota hac controversia ostendimus, stante

te pro alio opinione probabiliori, nequit possidens assentiri minus probabili ipsi faventi, & si assentiatur, facit contra prudentiam, & non conformiter ad divinam voluntatem: Nec potest deponere existimationem, quam habet de majori probabilitate alterius partis, quia regula expressè requirit parem causam ex parte utriusque. Quare debet rem alteri parti tribuere, si certò cognoscitur, aliàs dare pauperibus, aut causæ piæ. Quod confirmatur ex illo principio communi jam adducto: forum internum debere conformari cum externo, dum hoc in falsa præsumptione non fundatur: in hoc certò cogeretur possidens rem alteri præbere. Et eadem ratione Doctor consultus nequit respondere aliter: quod si aliter respondeat tenetur damnum satisfacere alteri parti in defectum principalis possidentis.

743 Ex dictis colligi potest, quid dicendum, dum quis est possessor bonæ fidei, & habet æqualia motiva circa dominium rei, sivè illi sit dubium, sive utrinque opinio æquè probabilis. Dicendum igitur posse certò retinere rem titulo possessionis; nam dum utrinque est æqualis ratio, seu probabilitas, intellectus propriè est in statu dubitantis, ut ex D. Thoma, & Arist. sæpè dictum est supra num. 305., & nu. 570. Quia tunc est par causa, & additur possessio, ex qua integratur jus illam retinendi ex regula *in pari*, & juribus citatis. Ex quo etiam fit Doctorem consultum ita teneri respondere, & si illum induceret ad restitutionem teneretur, illique damnum resarcire.

744 Hæc autem resolutio non tantùm habet locum in doctrina probabilioristarum, sed etiam est necessariò dicendum in probabilistarum principiis. Quod ultra dicta sic probatur: Implicat jus certum esse Titio detinendi æquum, & debitum probabile restituendi illum: sed ratione possessionis in hac nostra hypothesi est jus certum possidenti retinendi æquum: ergo non est probabile, quod debeat restitui, aut quod non possit retinere. Min. constat, & maj. etiam est certa: Nam si certum est posse retinere ratione possessionis legitimæ, est certò falsum teneri illum restituere. Confirm. Dum possessor inter rationes æquè probabiles retinet æquum, non irrogat injuriam probabilem alteri parti; quia non est probabile injuriam alteri irrogare illum, qui habet jus certum possessionis, & in alio solùm datur probabile circa dominium: nam prevalet alia æqualis probabilitas cum jure possessionis; & sic probabile dici non potest jus alterius partis. Itaque nullus potest alium perturbare circa jurisdictionem, aut circa beneficium, circa domum, aut similia, dum est in illarum possessione, quam pacificè, & bona fide adeptus est: Nisi sit moraliter certus ad se earum jus, aut dominium pertinere; nec aliter posse quem contrarium consulere. Quod, ut dictum est, etiam probabilistæ celebriores docent, & in suis principiis etiam est manifestum. Et ita docet Sanchez pluribus locis (licèt in aliquo videatur sibi contradicere) Molina Jurisperitus, Palao, Suar., Vazq. Lessio, alter Molina, Villal., Joann. Sanch., Torres, & alii, quorum verba refert, & sequitur Cardenas de probabilit. tract. 1. disp. 16. c. 8. art. 3., & consentit N. Curs. moral. loco supracitato.

ARTICULUS VI.

Utrum extra materiam justitiæ habeat locum Regula de possessione.

§. I.

Auctorum diversa placita referuntur.

745 Non omnes probabilistæ consentiunt in extensione hujus regulæ ultra materiam justitiæ: nam priores, & celebriores propugnant non habere locum extra justitiæ materiam; ut Sayrus, Vazq., Turrianus, Anton. Perez, Azor., Montesin. tom. 2. in 1. 2. disp. 19. qu. 4. §. num. 109., ubi in dubio, an feceris votum, vel si dubitas de jure, de præcepto, &c. teneris adimplere, nec favet regula: *melior est conditio possidentis*, sed habet locum alia: *in dubiis tutior pars est eligenda, &c.* ita Montesin. Probabilioristę omnes consentiunt, Comitol., Fagnanus, Elizalde, Tyrs. Gonz., Marius Diana, Camargo, Card. Lauræa, Ubigandt, Genettus, & alii plurimi. Et Antonin. Diana part. 4. tract. 3. resolut. 2.

hanc

hanc sententiam appellat valdè probabilẽ. Sanch. lib. 1. Summ. cap. 10. num. 11. defendit extensionem hujus regulæ ad materiam aliarum virtutum; & pro contraria sententia, nimirum non extendi, citat 35. Auctores ex Theologis, & Canonistis, inter quos allegat D.Th. in 4. dist. 38. q. 3. ad 3. qui omnes in dubio, seu pari causa consentiunt teneri ad id, quod tutius est. Cum quo non componitur possessionem habere locum pro libertate in aliis materiis præter justitiam, ut ipsi probabilistæ fatentur; & ideò dicunt regulam de tutiore esse de consilio, & illi opponunt regulam de possessione, ut videre est in Sanch. loco cit. Antiqui omnes, vel ferè omnes, præfatam limitationem etiam statuerunt.

746 Inter professores probabilismi est commune extendi ad alias materias, præsertim inter recentiores, ex quibus plures id conantur probare: plerique verò, maximè Summistæ, Historici, vel Compendiarii extensionem supponunt, tanquam si esset dogma theologicum, quorum fundamentum est fides parentum. Ex antiquioribus nullum refert Sanch. (qui diligens valdè fuit circa allegationem auctorum) qui expresè dicat regulam de possessione extendi extra materiam justitiæ, nisi Suarez tom. 5. in 3. part. disp. 40. sect. 5. num. 15. Ad probandum verò, quod regula de tutiori parte eligenda est de consilio, solùm affert quinque Auctores, ex quibus Angles, quem evolvi in prima, & secunda parte: Nihil agit de jejunio, in cujus tractatu allegatur. Alii tres manifestè docent contrarium opinioni, pro qua citantur: D. Antonini verba dedimus supra qu. 2. art. 6. num. 454., & art. 10. num. 515. & 516., ubi ex eodem dicimus, in quo sensu loquatur; dum asserit regulam de tutiore esse de consilio. Idẽ docet Navarrus, quem adduximus d. art. 6. §. 6. num. 447., quem pro se citat idem Sanchez dicto lib. 1. cap. 10. num. 11. ex Comment. In cap. si quis autem, n. 34. Sed etiam loquitur de tutiore comparativè ad aliam partem omninò tutam, non in casu nostro. Nam ibi num. 40. docet *esse præceptum tutiorem partem sequendi duobus concurrentibus. Alterum est, quod casus ille dubius tangat animæ salutem necessariam; alterum quod res verè sit dubia. Exemplum potest sumi ex D. Thoma quotidianum in quodl. 8. art. 13. de illo, qui plures præbendas obtinet existens dubius utra opinionum contrariarum, quæ in hac re versantur, sit vera.* Hæc Navarr. ubi claret, quàm longè abest à via probabilismi, & à sensu, pro quo citatur.

747 Sylvester etiam (qui est tertius allegatus à Sanchez) expresse contradicit probabilistis: Nam v. dubium num. 4. ait: *Ubi versatur periculum animæ, semper tutior pars est eligenda ... Si detur casus quod securior est minus probabilior, non est eligenda ... Si tamen probabilis hinc inde esset æqualis, tutior eligenda est necessario, quando ex electione alterius imminet periculum peccati mortalis. Quia tunc verum est illud Eccli. 3. Amans periculum peribit in illo.* Eamdem doctrinam tradit v. Aborsus in fin. & v. Absolutio 3. num. 14. Et tamen cum ex professo rem ibi tractaret; illum pro se stare intendunt probabilistæ, quia v. jejunium qu. 10. num. 27. resolvit hunc casum. Vovit quis non commedere ova in die Nativitatis Domini, dubitat an intendisset excludere etiam carnes. Respondet non teneri ab illis abstinere, licet hoc sit securius, sed sufficit eligere tutam. Hoc ita dixit, quia non est præsumendum, quod se tali celeberrimo die privare voluerit magis dilecto, dum se privat minus dilecto. Unde ratione præsumptionis erat certo tutum comedere carnes, licet tutius ab illis abstinere.

748 Pro quo est notandum, quod non est eadem quæstio, an stante pari causa in aliis materiis præter Justitiæ, detur possessio, ratione cujus deponi possit dubium, ac utrum existente dubio, & accedente præsumptione pro parte non tuta, sit eligenda pars tuta. Nam posita præsumptione, cessaret obligatio partis tutioris: Nec est casus regulæ *in pari causa*; quæ solum procedit in dubio, & quando nulla rationabilis causa, vel præsumptio accedit, quæ dubium dirimire possit. Sicut enim in materia justitiæ in pari causa possessio dirimit dubium, nec pars tutior obligat, sic in alia qualibet materia, si adjungatur præsumptio, vel similis ratio. Itaque dubium præsens procedit, dum in utraque parte est æqualitas, an in alia materia, quæ non est justitiæ, possessio aliquid ponat, ratione

cujus

cujus dubium deponi possit, & sic securè operari.

749 Hinc fit, quod licet aliqui Auctores, præcipue antiqui, admittant in dubio non esse necessarium tutiorem partem eligere, non loquuntur in generali, sed in aliquo casu speciali circa dubium juris, vel facti: ut in dubio de voto, aut juramento emisso, de ætate requisita ad obligationem jejunii &c. Et quia in his casibus pro parte minus tuta multoties invenitur aliqua præsumptio, ex vi cujus dubium resolvitur; in hoc sensu præfati Auctores loquuntur. Imo apud quosdam ex illis dubium non accipitur strictè, & proprie, sed improprie, & late pro operatione, vel objecto aliquo modo in certo; ut quando adest formido circa honestatem objecti, licet detur pro illius honestate opinio magis probabilis, vel quando ratio dubitandi est levis.

750 Quare videtur certum hanc regulæ applicationem pro aliis materiis à justitia ortam esse post introductum probabilismum; imò primates illius professores post ipsum natum sententiæ contrariæ de tutiore parte sequenda, & non pro libertate, in pari causa pro libertate subscripserunt. Ut Sayrus, Azor, Man. Rodrig. Montesinus; & alii plures, inter quos Vazquez. 1. 2. dis. 65. cap. 3. sic de suo tempore scribit: *Ego non solum existimo esse debere, quoties dubitatur, utrum sit lex aliqua, aut non, & solum agitur de periculo peccandi, eligendam esse partem tutiorem, in qua peccatum esse non possit. Sed etiam quando dubium est, utrum votum fuerit emissum an non. Et sane in priori casu; quando dubium est, utrum lex lata fuerit, seu extet, an non, nullus hactenus ex Scriptoribus Ecclesiasticis est, qui oppositum asserat.*

Itaque, si qua auctoritas datur pro applicatione, seu positione de hoc principio possessionis libertatis, quæ benignam sententiam redat moraliter certam, non alia est, nisi unanimis consensus juniorum brobabilistarum contra unanimem consensum Doctorum antiquorum cum D. Thoma, & S. Antonino; immo repugnantibus, non solum probabilioristis, sed etiam multis, & præcipuis probabilismi professoribus. Atque ideo judicet, qui sincerè amat, & veritatem quærit, quomodo ex præfato principio adeò incerto, & à probabilismo ipso recentius inducto, & multo minoris auctoritatis, quam ipsemet probabilismus, possit haberi certitudo tanta, ut sententiam benignam evidenter demonstret, ipsamque velint probabilistæ ab omnibus debere admitti, & haberi saltem ut certam moraliter: & ex hoc principio, aut regula evidenter inferri esse licitum, & honestum sequi opinionem, etiam minus probabilem contra legem, & in dubio pariter posse eligi partem minus tutam in omni materia.

§. II.

Ostenditur debilitas fundamentorum asserentium, & quod ex illis potius probatur non habere in aliis materiis locum.

751 IN re tanti momenti, qualis est stabilire principia, & regulas pro conscientia regulanda, & animabus per viam salutis dirigendis, quis dubitet debere fieri non levibus, sed gravioribus fundamentis. Cum ergo stabilita sit applicatio regulæ *in pari* pro omni materia ad præfatum finem, ut libertas nostra illius possessione honestè procedat, in dubium est debere firmari gravioribus fundamentis. Quantum ad auctoritatem §. præcedenti visum est, quam certitudinem potest habere. Nunc videndum, quam habeat a ratione.

Probare conantur 1. & præcipue à paritate justitiæ. Possessionis titulus non minus favet humanæ libertati, quam in materia aliarum virtutum, nec minus privilegium tribuit: nam sicut justitiam violat; qui, invito domino, retinet rem alienam, ita qui, v. g. non adimplet votum, violat religionem: & tamen in dubio justitiæ non tenetur rem à se abdicare, nec virtute justitię tenetur restituere: ergo nec ob votum se libertate in dubio privare, nec per religionis virtutem votum implere, ac proinde etiam in aliis materiis à justitia habet locum regula *in pari, vel in dubio melior est conditio possidentis*.

Resp. paritatem parum urgere, imo retorquetur in arguentem. In primis datur

tur multiplex disparitas inter materiam justitiæ, & aliarum virtutum. Prima tamquam à radice sumitur ex dictis supra numer. 737. Nam cum materia justitiæ sit circa res fortunæ, & earum dominium, atque diuisio sit subjecta Reip. ob bonum commune potest disponere secundum veritatem de illis rebus, prout magis conuenit communi bono; ac proinde transferre jus certum dominii præscribendi, & retinendi, utendique rebus illis, qui possident bona fide. Quo supposito jam adest veritas in intellectu in materia justitiæ, unde nulli periculo est obnoxium retinere rem &c. Cæterum in aliis virtutum materiis, dum adest dubium, an detur lex Dei, an lex se extendat ad talem casum, an talis locutio sit mendacium, neque Respublica, nec homines disponere possunt, vel alterare. Imo in jure Canonico etiam respectu legum humanarum non pro libertate, sed pro tutiori deciditur, ut supra visum est:

752 Quare ex ipsa materia justitiæ impugnatur extensio regulæ *in pari, seu in dubio*, ad aliarum virtutum materiam. Nam quando in materia justitiæ res non est in potestate Reipublicæ de illa disponere, non habet in dubio locum hæc regula: ut constat ex cap. Dominus de secundis nuptiis, & cap. Inquisitionis de sent. excom. in quibus declaratur dubitantem conjugem de valore matrimonii bona fide contracti non posse petere debitum: & sic illi non favet possessio, quia exponitur periculo violandi castitatem, & etiam justitiam per adulterium, de quibus non est potestas disponendi Reipub. Sed circa materiam aliarum virtutum non datur talis potestas hominibus, ut modo dictum est: ergo ex materia justitiæ circa nostrã regulã non infertur extendi ad alias, sed potius contrarium.

753 Deinde datur alia disparitatis ratio: Nam lex justitiæ semper reddit æquale inter personas æquales, & sic lites, & controversię in tali materia inter æquales versantur, sive Rex sit, sive Vassallus, nisi aliqua ex partibus habeat privilegiũ: at inter Deũ, & homines non datur æqualitas, maxime in aliis materiis, in quibus controversia, & lis est inter Deum infinite superiorem, & homines inferiores. Nonne inter has partes potior debet esse homo, aut Deus; lex Divina, aut libertas humana? In pari causa vel dubio, causæ piæ sunt potiores, ut causa Ecclesiæ, dotis, libertatis, & matrimonii, ut est notum in utroque jure: ergo in pari causa, vel dubio stare debemus pro divina lege, quam super omnia magnifacere debemus, quatenus nobis deseruit tamquam piissima regula nos dirigens in viam salutis, & in æternam beatitudinem. Quare si semel daretur jus possessionis in aliis materiis à justitia, potior debet esse conditio legis: quod infra magis ostendere conabimur.

754 Secundo probant à ratione nonnulli recentiores. Voluntas humana habet plenum dominium circa suas potentias, & earum usum, & circa earum actiones: ideò enim dicuntur actus humani, quia sunt in hominis dominio; ideò etiam voluntas est libera, quia possidet tale dominium plenissimum: Sed nemo debet certo dominio privari, nec turbari, nec ejus usu, nisi ad sit certa causa, ex vi cujus privetur, turbetur, aut limitetur. Ergo nec voluntas privari debet dominio, nec limitari circa suas potentias, actiones, nisi detur causa certa. Cum autem causa limitans talem usum sint leges, per quas actiones homini prohibentur; Sequitur, quod donec illi certò constet de lege, non tenetur admittere in certas juris limitationes. Itaque leges tam naturales, quam positivæ sunt limitationes juris, & dominii voluntatis, quod illi naturaliter competit: quare donec pari certitudine sibi constet legem aliquam dominium hoc, & jus illi limitare, non tenetur illam admittere, nec illam obseruare. Et hoc est quod determinat regula juris, *in pari, vel dubio melior est conditio possidentis*: unde etiam habet locum in materia omnium virtutum.

755 Resp. Hoc argumentum nimis probare: & ex ejus doctrina plura sequi absurda. Si ratione possessionis, & domonii voluntatis certi non datur legis obligatio, nisi detur eadem certitudo de lege: ac proinde habet jus omnino certum faciendi quod voluerit: jam erit improbabile ex parte legis quod teneatur secundum illam agere: ergo omnis opinio pro lege erit improbabilis, dum adest aliquod dubiũ, vel controuersia circa legem. -- Deinde

quamuis ex parte legis dumtaxat darentur rationes probabiles, & non pro libertate, tunc non limitaretur ejus dominium, & posset contra legem operari: v. g. Testatur tibi vir fide dignus dari hodie obligationem audiendi missam, quia illam vidit publicare: quis dubitat te imprudenter facere, si illi non assentiris? & tamen non esset tibi ita certum, sicut dominium voluntatis. Præterea stante opinione tenuis probabilitatis, quod non teneris jejunare, manifestum est legem jejunii non esse tibi certam, & evidentem, sicut voluntatis dominium. Et tamen propositio illa, seu opinio est ab Innoc. XI. damnata: ergo ex doctrina argumenti magna inconuenientia sequuntur, & maxima occasio laxitatis inopinando.

756 Talis doctrina nimirum; Nullam rem, seu objecta, quæ non demonstrabantur euidenter, & certo prohibita, eo ipso licita esse, erat perniciosum dogma, quod ex principiis reflexis probabilismi sæpè docuerat Caramuel, maxime in illo suo Apologemate meritò jam damnato, quæ doctrina etiam communiter rejicitur à probabilistis: quare fortasse, qui hoc argumento usi sunt, tamquam Scholastici, nimis speculatiui ad sic discurrendum vi consequentiæ adducti sunt, ut à doctrina contraria in cauti, & nolentes discesserint.

Dicimus ergo ad argumentum, voluntatem ratione suæ libertatis habere certum, & plenum dominium physicum ad bonum, & malum juxta illud Eccli. 15. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui. Apposuit tibi aquam, & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam*. Negamus verò voluntatem habere jus certum generale non limitatum ad agendum moraliter, nisi tantum in ordine ad illa, quæ nobis constat saltem aliqua certitudine morali non esse prohibita.

757 Dices: illud jus certum, quod habet voluntas ad ponendum actum licitè, qui per legem non prohibetur, fundat jus certum in casu dubio, in quo non adest certitudo legis, qua limitetur ipsa voluntas, cum melior sit conditio possidentis. Sed contra: Jus certum ad operandum licite aliquem actum nequit fundare jus certum pro illo, de quo quis dubius est. Habes jus certum ad contrahendum matrimonium cum Olimpia, & aliis, de quibus tibi constat non dari impedimentum, quis dicet hoc jus certum fundare etiam jus certum contrahendi cum Berta, de qua dubitas esse consanguineam? Instatur, & retorquetur argumentum in materia justitiæ, per ipsam regulam *in pari*: Consentiunt omnes, quod si possessio equi sit certa, habes liberum, & uniuersale jus certum disponendi de illo; ex hoc jure certo posses ne inferre, quod etiam, si possessio equi esset tibi dubia, & litigiosa, potes licitè, & liberè de illo disponere? omnes etiam consentiunt non tibi licere. Unde colligitur quam longe à veritate inferatur, quod sicut in materia justitiæ, ita in aliis materiis operari posse voluntatem, quod ipsi placuerit in dubio, vel occurrentia opinionum contrariarum ratione possessionis, cum potius ipsa paritas justitiæ militet contra illa utentes.

758 Probant 3. Neotherici. In materia obedientiæ habet locum regula: *melior est conditio possidentis*; Sed eadem est ratio in aliis: ergo &c. Prob. maj. Subditus tenetur, vel saltem potest obedire Superiori, dum dubitat de honestate præcepti, ut constat ex cap. quid culpatur 23. qu. 1. Ubi traditur milites Regem suum sequi posse ad bellum, dum de istius justitia dubitatur; Sed hoc non ob aliam rationem, nisi quia Superior habet possessionem juris, ut sibi obediatur, quo in dubio privari non debet: ergo in materia obedientiæ, & aliarum virtutum habet locum titulus possessionis, ex vi cujus in dubio, vel contrarietate opinionum de licito, & illicito poterit quis judicare voluntatem liberam ab onere, & obligatione ex possessione libertatis.

Resp. 1. neg. maj. ad prob. neg. min. nempe ex eo teneri Subditum obedire tunc in materia obedientiæ, quia Prælatus propriè possideat in illa materia. Sed ratio formalis est authoritas legitima, & potestas Prælati ad præcipiendum, & ex parte subditi dependentia, & subjecto voluntatis ad obediendum. Voluntas autem Superioris pluris fieri debet, quam voluntas inferioris subjecta: & ratio naturalis dictat, quod illa præsit, & hæc subsit, illa prævaleat

leat, hæc se summitat. Ergo in dubio, & lite inter Prælatum, & Subditum, & multo magis si inter Deum, & hominem, (ut nonnulli recentiores loquuntur) Subditus se debet negare, & illi obedire: aliàs convincitur pluris facere voluntatem suam, quam Dei, & Superioris; cum exponat se periculo proximo faciendi, quod Deo, & Superiori displicet.

Unde argumentum vere militat contra probabilistas; nam si in dubio obligationis in materia obedientię Subditus Prębato tenetur obedire, quanto magis dum in qualibet materia est dubium, an detur lex divina: nam superior humanus potest decepi, non vero divinus. Deinde in dubio an casus particularis compræhendatur in lege, v. g. an compræhendatur obligatio confitendi circunstantias aggravantes in præcepto Confessionis: hoc præceptum certissimum est, ergo nisi homo habeat majus motivum, ex vi cujus illa circunstantia non est confessionis materia, illam tenetur explicare: quia prævalet auctoritas, & voluntas ex parte Dei in tali dubio, cui potius debemus attendere, ut non faciamus quod illi displiceat, quam ad nostram voluntatem.

759 Resp. 2. omittendo majorem, & minorem argumenti, & similiter majorē, & min. probationis: & concedendo, seu omittendo subditū teneri obedire ratione possessionis stantis pro illo: negatur vero ex hoc sequi voluntatem titulo possessionis liberari in dubio ab obligatione, sed potius sequitur teneri. Itaque difficultas præsens circa titulum possessionis consistit: an possessio in aliis materiis faveat libertati: Sed ex argumento apposito probatur non favere libertati: siquidem ideo Subditus tenetur obedire, quia, (ut omnes fere probabilistæ docent,) Superior habet in illo dubio possessionem juris, ut ipsi obediatur: ergo possessio stat pro ipso, & pro ejus lege, aut præcepto. Hoc autem potiori jure habere debet locum respectu Dei, cui non minor obedientia, quam homini debetur: ac per consequens in omni materia virtutum dum adest dubium de obligatione, Deus possidet, & ejus lex; non voluntas, seu libertas creata. Sed de hoc post modicum redibit sermo.

§. III.

Probatur Regulam de possessione non habere locum in materia aliarum virtutum extra justitiam.

760 Distinximus supra §. præceden. num. in voluntate duplicem libertatem, primam physicam, in quantum potest, quod sibi placuerit etiam contra legem: Secundam moralem, quæ sumitur respective ad legem non prohibentem, nec præcipientem. Licet ergo prima libertas debeat ad secundam supponi: quod autem prima sit in absoluto dominio, nihil facit ad rem nostram: quando in præsenti sermo est de moralibus: Ubi non juvat prima libertas ad excusandum à peccato: alioquin cum homo sempor habeat dominium plenum, & possessionem physicam voluntatis, semper excusaretur à peccato.

Hoc supposito probatur prætensum titulum possessionis in omni materia non habere locum. Homo, ut honestè operetur, debet serio, & diligenter quærere divinam voluntatem, & actiones suas legi Dei conformare, ut manet statutum supra: Sed non ita procedit, qui supposita possessione nativa libertatis nostræ, operatur cum dubio, vel æquali fundamento de honestate, & turpitudine objecti: ergo non operatur honeste. Prob. min. talis possessio nativa nostræ libertatis in casu v. g. quod sit voluntas libera in dubio, an contractus sit usurarius, non tollit, nec mutat divinam voluntatem, nihil addit objecto de honestate, ac proinde videt esse contingens, quod detur, vel non detur lex, & voluntas divina damnas actionem circa contractum; videtque esse contingens, quod divina voluntas, & lex Dei violetur. Ergo dici non potest ex tali titulo possessionis sic operantem diligenter quærere divinam voluntatem, & se illi conformare; ac per consequens non adest talis possessio moralis.

Confirmatur. Eo ipso, quòd dubito de lege respectu alicujus actus, etiam dubito, de libertate morali ad illum: ergo etiam de possessione; siquidem hoc ipso,

 quod

quod non est certa libertas moralis, sed dubia, impeditur à lege in genere moris, & sic non ponitur pro libertate certa possessio, imo nulla ponitur: sed dubia possessio nihil prodest, ut patet in materia justitiæ: ergo nec in alia. Cætera constant: & probatur antec. Qui dubitat de lege circa aliquem actum, dubitat etiam an per illum transgrediatur lex in se, & an in se sit peccatum: ergo necessariò dubitat de libertate morali ad illum.

761 Dices: quamvis diversæ sint hæ duæ libertates, & secunda summatur à lege, seu regula prima in genere moris: hoc ipso quòd hæc prima regula est dubia, manet libertas potentiæ expedita in ordine morali: sicut in materia justitiæ possessio, & dominium physicum rei est quid diversum à possessione, & dominio morali, & tamen in dubio an res sit aliena, manet expedita, & libera potentia in ordine morali.

Resp. neg. sequelam. Nam dari legem, & non dari libertatem sunt correlativa: ac proinde, dum dubitas; an contractus sit contra divinā voluntatem, seu legem, repugnat libertatem potentiæ esse expeditam in ordine morali, nisi detur alia ratio specialis pro libertate potentiæ ad dubium deponendum, nec jubat aliqua possessio. Dicere dari possessionem est petitio principii: supponis id: de quo est quæstio. Disparitas circa materiam justitiæ jam assignata est. Nam ibi datur certa possessio physica, & realis, qua posita, ex jure positivo consurgit jus certum retinendi rem, & libertas moralis. In materia aliarum virtutum jus positivum tale efficere non potest. Quod Deus id faciat, & superiores legum latores circa leges positivas, non constat, imo contrarium docetur in S. Scriptura, & jure canonico, ut S. habitum est q. 2. ar. 2., & ar. 6.

§. IV.

Dato quod Regula de possessione habeat locum in materia aliarum virtutum, super possessio stat pro lege Dei, & divina voluntate respectu voluntatis creatæ.

662 PRo meliori intelligentia supponendum est, quodvis, seu ratio ob quam subditus debet legi obedire, non est ipsa lex actualis, seu non fundatur in illa lege, de qua dubitatur, an existat, sed supponitur ad ipsam: hoc ipso quod quis recipit baptismum, manet subjectus Pontifici, & jam adest jus, ex vi cujus tenetur obedire legi Pontificiæ, pro tempore quo legem statuat. Ita hoc ipso, quod homo existit in rerum natura, ipsa excellentia Creatoris, & dominium super omnes creaturas exigit, ut ipsius voluntas fiat in homine, & consequenter in nobis oritur obligatio, ut in omnibus operationibus in ordine morali attendere debeamus ad legem Dei, & divinam voluntatem, tamquam ad primam regulam, ut ab illa non deviemus, ut ex D.Th. dictum est sup. à num. 641. ar. 7. & 8.

Deinde supponendum, quod dominium, & possessio libertatis in homine, non sunt ita absoluta, ut non sit subordinata legibus tam divinis, quam humanis; vel potius Deo per eas nobis suam voluntatem declaranti. Emergente igitur dubio circa legem, seu ejus extensionem ad particularem casum, est lis an super possideat Deus, & ejus voluntas, an vero voluntas, & libertas creata? Quis dicat hanc super possidere, cum de se, & ex natura sua dependeat à Deo legislatore, & quod non debeat subordinari Dei voluntati, & legi? Quomodo potest creata voluntas prævalere contra Deum, & ejus supremum dominium, & auctoritatem? aut contra voluntatem ipsius?

Quapropter solum stat difficultas circa ipsam Legem Dei, & divinam voluntatem; an dum lex nō est certa, qualiter divina voluntas se habeat, per hujusmodi legem permittendo, aut prohibendo, aut præcipiendo: om-

omnes hi tres actus ſunt proprii actus legis, & divinę voluntatis, ut communiter conſentiunt Theologi cum D. Th. 1. 2. q. 9. ar. 2. & cum D. Iſidoro 5. Ethimol. cap. 19. ac proinde numquam voluntas creata poteſt evadere in actibus humanis legem, & voluntatem divinam; atque adeò ſemper operabitur, aut juxta, aut contra divinam voluntatem, nimirum aut præcipientem, aut conſiliantem, aut permittentem. Et ideò juxta veram Theologiam videtur, quod nemo negavit doctrinam ſtatutam in duplici hoc ſuppoſito.

763 Nunc ergo aſſumptum noſtrum probatur. Super poſſeſſio Dei, & divinæ legis, & Dei voluntas prævalet, ſeu ſtat contra poſſeſſionem humanæ libertatis: ergo exceptio poſſeſſionis (ſi qua eſt ex parte voluntatis) nihil prodeſt in dubio, ſeu dum lex non eſt omnino certa, ad litem dirimendam in favorem voluntatis. Ant. conſtat ex dictis: cum voluntas creata ſit omnino ſubjecta, & dependens à Deo, & divina voluntate in ordine morali: conſequentia videtur non minus certa: quia hoc ipſo quod de lege eſt dubium, etiam de voluntate Dei dubitatur: nec poteſt quis judicare Deum tunc ſe habere permittentem; ac proinde Deus ſuper poſſidet in dubio, ſicut lex eſt in dubio: nec homo pro libertate ſua, quam poſſidet, poteſt libito ſuo uti actione humana; niſi lex, & divina voluntas jure ſuo dirigendo permittat.

Confirmatur, & magis declaratur. Homo, & eſt agens liber phiſicè, & eſt agens liber moraliter. Ut agenti phyſico libero correſpondet poſſeſſio ſuæ libertatis ad agendum pro libito, ſit, aut non ſit actio juxta regulam moris. Ut vero agente libero morali, (de quo nobis eſt ſermo,) cum conſtituatur per ordinem ad regulam moris, correſpondet ſubjectio ad leges: ergo leges, ſeu regula moris illum ſuper poſſident jure ſuo in ſingulis actibus: ita ut ubi divina voluntas per legem præcipit, aut prohibet, tenetur facere, aut abſtinere, ſi vero permittit, poteſt libere eligere. Si autem divina voluntas dubia ſit, non proinde voluntas creata poteſt à ſe ſcutere ſuper poſſeſſionem certiſſimam divinæ voluntatis, quæ ſemper viget pro lege: & in tali occurſu oportet, quod totus homo cum ſua poſſeſſione cedat ſuper poſſeſſioni divinæ voluntatis, quæ eſt omnino ſuperior.

764 Doctiſſimus Fagnanus in cap. ne innitaris de conſtit. n. 205. circa controverſiam, & litem, quam juniores introducunt inter Deum, & hominem, dum lex eſt in dubio, ſeu ſolum probabilis, apponit hanc difficultatem. Cum judicium conſtet ex tribus perſonis, Judice, Actore, & reo, c. forus de verb. ſignif., & in ſententia benigna, Deus ſit actor, & homo ſit reus, quis erit judex, qui in hac cauſa pronuntiet, & hominem in ſua poſſeſſione manuteneat contra Deum? Ipſe pius Auctor non reſpondet difficultati: quia merito ei viſum eſt aſſentiri illi ſententiæ Job c. 9. *Si voluerit (homo) contendere cum eo, non poterit ei reſpondere unum pro mille.* Et cap. 33. *Ponam coram eo judicium, & os meum implebo increpationibus.*

765 Nihilominus deciſionem cauſæ, & ſententiam prolatam habemus à Neotherico probabiliſta in ſuo lapidario ſection. 11. pro manutentione poſſeſſionis libertatis creatæ, motus argumento, quod demonſtrationem appellat, qua funditus (ait) evertitur antiprobabiliſmus, illud diffusè variis modis proponit, ſolam mutata arguendi forma. Illud cum tota ſua efficacia in ſumma proponimus. Qui in materia juſtitiæ dubitat de re poſſeſſa, nec poteſt certificari an ſit aliena; ſimul dubitat de lege prohibente illius retentionem: & nihilominus per vos poteſt ille virtute regulæ de meliori conditione poſſidentis retinere, dubium deponendo, non obſtante dubio illo ſpeculativo, quod fortè perſeverat, etiam ſi contingat eſſe activè, & ex parte Dei legem de facto prohibentem retentionem illius rei, utpote in ſe verè alienæ: quia talis lex non eſt activè applicata poſſidenti ob invincibilem ignorantiam in illo dubio imbibitam à ſe inſuperabilem. Nec per hoc contra reverentiam, aut ſubjectionem debitam agit: ſed hæc eadem ratio militat in dubiis cujuſcumque legis, & in omni materia: ergo &c.

766 Verum Judex, ſeu Doctor iſte auditum non applicuit allegationibus ex parte legum, & divinæ voluntatis, non ſolum in materia aliarum virtutum, ſed nec in ipſa

ſa materia juſtitiæ; negantur ex parte legum, & divinæ voluntatis major, minor, & conſequentia prætenſæ ſuæ demonſtrationis. Negatur major: quia ut ſupra probatum eſt à num. 737., titulo poſſeſſionis in materia juſtitiæ à repub. & ſingulorum conſenſu, jureque poſitivo tribuitur jus certum retinendi, & diſponendi; nec datur in Deo talis lex activè, quia mutatur materia diſpoſitione juris poſitivi circa retentionem omnino licitam;& ſic nec deſinit peccare ob ignorantiam, nec agit formaliter, nec materialiter contra legem aliquam. Quod totum explicatur in præſcriptione.At in materia aliarum virtutum non mutatur materia,& ita nequit jus poſitivum tribuere, quod in materia juſtitiæ diſponit. Ut ſupra dictum eſt. Ecce demonſtrationem, & probabilioriſmi deſtructionem à ſuo Auctore adeò magnificatam: in quo præter defectus breviter inſinuatos, adſunt etiam alii. Primò: Si lex dubia, licet revera detur, non eſt applicata voluntati paſſivè, quomodo adhuc in materia juſtitiæ conjux in dubio de matrimonio bona fide contracto, nequit petere debitum, ut determinat Pontifex in cap. Dominus de ſecun. nupt., & c. inquiſitioni de ſent. excomm. Secundò: Si non datur lex applicata, nec datur ex parte poſſidentis obligatio aliqua: quomodo diſponit jus canonicum in cauſa pia, Eccleſiæ v. g., non habere locum regulam de meliori conditione poſſidentis, niſi quia favore cauſæ pię noluit jus poſitivum, in tali cauſa tribuere jus retinendi rem ratione poſſeſsionis: non verò poſſet hoc ſtatuere jus poſitivum, ſi ex naturali jure daretur jus retinendi rem poſſeſſam. Tertiò: Mirum eſt præfatum Auctorem recurrere ad ignorantiam invincibilem; nam ſi ad hanc fit recurſus, deſeritur regula de poſſeſsione, quia poſita ignorantia invincibili excuſatur poſſeſſor. Quartò: Ponere ignorantiam invincibibilem, in tali dubio, alienum eſt à veritate, ut infra probabitur toto articulo ſequenti.

§. V.

Circa poſſeſſionis litem quis nam ſit Judex inter Deum, & hominem.

767 SEd non miſſam faciamus hanc litem, & controverſiam inter Deũ & homines, cum res ſit tanti momenti, abſque ulteriori diſcuſsione, & determinatione: pro quo videre oportet, quis ſit judex in hac lite. Pro quo ſciendum eſt, quod benigniſsimus Creator noſter dedit cræaturæ rationali virtutem, & poteſtatem proferre, & determinare judicium circa ſuas operationes, ſeriò, & diligenter examinando principia naturalia nobis indita, & alias leges divinas, & humanas: quòd mirificè declarat Doctor Angelicus 1. 2. quæſt. 57. ar. 6. *Circa agibilia* (inquit) *tres actus rationis inveniuntur: quorum primus eſt conſiliari, ſecundus judicare, tertius eſt præcipere .... Non enim ratio habet præcipere ea, quæ per hominem fieri non poſſunt. Manifeſtum eſt autem, quod in his, quæ per hominem fiunt principalis eſt præcipere: & ideo virtuti, quæ eſt præreceptiva, ſcilicet prudentiæ tamquam principali adjunguntur tamquam ſecundariæ eubulia, quæ eſt benè conſiliativa, & ſineſis, & gnome, quæ ſunt partes judicativæ.* Hæ virtutes, ſeu prudentiæ ſecundariæ judicant de mediis convenientibus, & opportunis ad finem bonum, ut prudentia ferat ultimum judicium per modum imperii. Hoc eſt Tribunal, quòd in natura rationali, ſeù in mundo minori conſtituit ſapientiſsimus ejus Creator. Ex quibus habemus, quod judex, qui in hoc tribunali profert ſententiam, eſt nobiliſsima virtus prudentiæ per modum imperii, ſeu definitionis finem controverſiæ imponens; in qua ratio ſententiæ conſiſtit: ut ex communi Doctorum ſenſu illam definit Andr. Valen. in paratitlis juris Can. lib. 2. tit. 27. §. 1. *Sententia eſt pronuntiatio, ſeu definitio judicis finem controverſiæ imponens.*

768 Siſtitur ergo ante prudentiæ Tribunal pars legis, & pars humanæ voluntatis in illa controverſia v. g. an qui tempore Paſchæ ommiſſit cõmunicare ſine cauſa, teneatur poſtea, quàm primum poſsit. Ex

par-

parte legis petitur adimpletio; voluntas allegat suam possessionem, quia lex non est certa: non constat de vestra dispositione an prohibeatur, seu præcipiatur, an permittatur. Sed replicant leges: constat desuper possessione nostra, & sic permittere, vel præcipere, aut prohibere est intra terminos nostros, non tuæ libertatis. Non enim tibi datum est ratione libertatis permittere actum, vel ommissionem illius in genere moris, sed nostrum: non ergo infringas possessionem nostram. Si nostram dispositionem dubitas, non potes tu illam judicare tibi permissam: sed tibi incumbit probare de dispositione nostra, quod est permissiva, dum dubitatur an sit præceptiva: quia nos certò possidemus libertatem tuam, & sine directione nostra positiva nihil benè facere potes. Quid ergo consiliabitur eubulia? quid judicabit synesis? quid determinabit prudentia in ordine ad bonum finem virtutum, dum casus adductus ante suum tribunal occurrit, vel in dubio, an sit emmissum votum, an contractus sit simoniacus, aut usurarius, & similibus? Non videtur excogitabile, quòd in tali tribunali vincat libertas creata.

769 Præterea ex parte voluntatis divinæ exigitur, ut ejus allegatio audiatur, dum ejus præceptum dubium, & voluntas creata ratione possessionis ab ejus obligatione se vult eximere. Licet ratione illius legis specialis dubiæ possessio non staret pro ipsa lege speciali, non inde sequitur stare pro libertate, nam possessio potius stat contra ipsam, & pro lege æterna, & divina voluntate. Quoniam datur lex universalis certissima gneraliter prohibens creaturæ rationali elicere, vel ommittere actum, in quo est periculum frangendi præceptum contra quamcumque speciem virtutis. Certè negare potest nemo, stare legem naturalem, atque divino jure stabilitam declinandi periculum peccandi, ubicumque inveniatur, juxta illud Eccles. 3. *Qui amat periculum peribit in illo*. Sed eò ipso quòd sit dubium de aliqua lege, vel an extendatur ad hunc, vel illum casum, datur ejusmodi periculum, ergo licet per illam specialem legem non limitaretur libertas humana, & ejus possessio moralis, limitatur tamen per legem universalem; quomodo ergo prudentia, & ejus adjunctæ virtutes poterunt legitimè proferre judicium pro manutentione possessiones libertatis, & non pro sanctissimis legibus? Et quod de lege æterna, seu de divina voluntate dictum est, etiam dicendum est, dum est dubium de lege humana: quia per hanc explicatur lex æterna, & hæc præcipit virtute illius, & in illa Deus præcipit: unde dixit Christus Dominus: *qui vos audit, me audit*; & peccatum consistit, ut definit D. Aug. in hoc quod sit contra legem Dei, licet ab humano superiore prohibeatur.

§. VI.

In pari causa, vel dubio legis incumbit voluntati creatæ ostendere, seu probare exemptionem ab illa.

770 Animadvertendum, & supponendum est in doctrina, & principiis sententiæ benignæ possessionem non semper stare pro libertate, quando dubitatur, an aliquis actus, vel ommissio sit contra legem, aut non: quia sæpe possidet lex, & tunc probabilistæ docent, quod tutior pars est eligeuda. Explicantque tunc possessionem stare pro lege, quando transit in libertatem onus probandi suam possessionem: & hoc ajunt contingere, quando constat certò de lege, & aliunde suboritur dubium, an ad illam quis teneatur: Ut in eo qui emisit votum, & dubitat an illud impleverit. Dicunt igitur tunc teneri adimplere votum, quia pro illo stat possessio, non pro libertate, donec probaverit adimplevisse.

Ex qua doctrina infertur, & arguitur sic: ergo quando datur lex certa, & est dubium an actus comprehendatur in lege, seu an ad illum extendatur, stabit possessio pro lege: ergo tunc non poterit actum illum exercere operando contra legem, dum est dubium, an actus ille comprehendatur: sequela videtur legitima ex doctrina adversariorum. Nam sicut lex de obligatione adimplendi votum in casu posito est certa; ita est lex certa prohibens omnes contractus usurarios, unde si dubium est an talis contractus usurarius sit, cum lex certa sit,

de-

debet illa possidere. Cum ergo quæstiones morales; vel dubia rarò versentur circa existentiam legis in communi; siquidem regulariter leges certæ sunt, & plerumque dubitatur; an casus particulares compræhendantur, sequitur, quod in moralibus ferè semper possessio stat pro lege, & contra libertatem.

771 Præterea. Si in aliquibus casibus possessio stat pro lege, etiam in omnibus, dum est dubium in casibus particularibus, pro eadem lege stare debet; vel si in aliquibus non stat pro lege, sed pro libertate, in omnibus debet pro libertate stare possessio: ergo inconsequenter procedunt principia probabilistarum. Probatur ant. quoad 2. partem. In exemplo de dubio adimpletionis voti emissi. Nam stante dubio, undecumque ob oriatur, nequit dari certitudo legis: nam qui dubius est de adimpletione, nequit esse certus de lege voti hic, & nunc existenti: quia certitudo illa de voto emisso solum est certitudo de lege, quæ fuit, non de lege, quæ nunc est: ergo datur nunc solum lex in dubio: sed de lege in dubio tantum existente secundum probalistas non oritur aliqua obligatio: ergo in dubio adimpletionis voti remanet volũtas ab ejus obligatione libera.

Ad hæc: gratis ponitur possessio in data hypotesi ex certitudine legis: quia lex ut certò possideat, debet dari hic, & nunc existens: Sed nunc non datur lex nisi in dubio, quandoquidem, si fortè adimpletum est votum, nullatenus lex datur. Ex quo infertur in doctrina probabilistarum etiam in casu posito de voto, & similibus possessionem stare pro libertate, & non pro lege, & huic in omni dubio incumbit probare, & consequenter manente dubio legis, vel numquam possidet libertas, vel semper; quatenus libertas nostra dependet omnino à positiva legis directione. Unde si in prædicto casu de voto, & similibus, tenetur voluntas non facere contra legẽ, ideo est, quià lex sivè certa sit, sive incerta, aut dubia super possidet libertatem, & possessionem humanam.

772. Dices hoc argumentum nimis probare: & instatur. Qui dubitat an receperit à Francisco centum, in dubio non tenetur solvere: Econtra si certò illa recepit, & dubitat de solutione, solvere tenetur. Hoc est certum: & fit idem argumentum: Si dubito de restitutione, jam lex restituendi nunc est dubia, & solum fuit antea &c. ergo eodem modo datur, vel non datur obligatio restituendi in primo dubio acceptionis, ac in secundo; quod est omnino falsum: ergo idem dicendum in materia aliarum virtutum: in dubio adimpletionis teneri, secus in dubio emissionis voti, & sic de alijs.

Respondetur esse disparem rationem. Nam in casu dubiæ acceptionis Franciscus certò possidet bona fide, (ut debet supponi) rem restituendam: & ex jure positivo habet jus certum illam retinendi. In secundo dum est certa acceptio, & dubia solutio, creditor certò possidet jus exigendi debitum, nam dum quis suscepit à creditore rem, transtulit obligationem exigendi debitum: undè non est dubium de possessione obligationis, quam, ob bonum commune, jus positivum disponit certam manere, ut dictum est de titulo possessionis, quod sit melioris conditionis, qui possidet. -- Deinde datur alia certior disparitatis ratio: nam justitia commutativa semper exigit, & ponit æqualitatem, & versatur inter personas, ut æquales, & exigit materiam æqualem: In mutuo, v. g. vel contractu emptionis, & venditionis, æquales sunt contrahentes, nec iste habet superioritatem, ut talis, nec subiectionem respectu alterius, & idem est de hoc altero: In quantum vero ad materiam mutui v. g. in primo casu acceptio est dubia, solutio vero certa; constat autem esse majoris æstimationis solutionem certam, quam acceptionem dubiam. In secundo vero casu, cum sit certa acceptio, & dubia solutio, non dum posita est æqualitas: & ideò in hoc casu justitia obligat ad solvendum, non in primo. In alijs verò virtutibus, est controversia inter subditum, & Superiorem, inter legem, & voluntatem; ubi non datur æqualitas, sed subiectio, & superioritas, ita ut subditus debeat potius attendere ad Dei voluntatem, vel alterius Superioris, quam ad suam, & ejus possessio in ordine morali non est certa, sed potius tam possessio, quam libertas voluntatis superpossidetur à lege, &

vo-

voluntate Divina, ut supra probatum est. Undè voluntati incumbit probare exemptionem à lege, & obligatione; & si in dubio non probat, succumbit.

§. VII.

Dum pro lege militat opinio probabilior, valde irrationabiliter applicatur privilegium possessionis libertati creata.

773. Principium de possessione libertatis in dubijs, seu regula de potiore conditione possidentis, in doctrina, & dictamine recentiorum, non solum procedit in dubijs negativis, sed etiam in dubijs probabilibus utrinque; ita ut, dum non est certa lex, quia dubitabatur de illa, & intellectus non habeat motivum rationabile, nec pro lege, nec pro voluntate, tunc intrat regula melior est conditio voluntatis possidentis: idem quando dantur motiva probabilia pro lege, & pro parte voluntatis licet probabiliora sint sententia pro lege, adhuc dicunt adesse dubium, & libertati favere possessionem: solum excipiunt contra Caramuelem, casum, quo pro lege adest ratio sufficiciens ad assensum; nulla vero pro libertate.

Cæterum dato, (sed non concesso) quod illa regula de meliori conditione possidentis haberet locum pro voluntate, & libertate, quando dubium est purè negativum, & quando opiniones utrinque essent æquè probabiles; qua ratiōe applicari possit, & affirmari, habere locum pro libertate, & contra legem, etiam quando opinio pro libertate est minus probabilis? Hoc enim clarè demonstrari videtur, esse contra regulam ipsam: Nam verba regulæ, & Canonum, ex quibus desumpta est, sunt hujusmodi: *In pari delicto, vel causa melior est conditio possidentis*; sed stantibus pro lege fundamentis efficacioribus; & minus efficacibus pro voluntate, causa non est par, ut ex se constat: ergo melior est conditio legis: & consequenter, est contra ipsam regulam in hoc casu applicari libertati privilegium possessionis.

Confirmatur: Probalistæ, contra quos agimus, asserunt hanc regulam habere locum in materia justitiæ, etiam in foro interno, cum hìc externum non fundetur in falsa præsumptione, (ut docent cum Sanch. qui plures allegat tom. 1. sum. lib. 1. cap. 10. num. 11.) & ex hoc colligunt, quod eodem modo regula habet locum in materia aliarum virtutum, etiam in conscientiæ foro: Sed est certum, quod si pro una parte adsunt urgentiora fundamenta, potior est hujus partis conditio in foro externo, & in ejus favorem debet judex ferre sententiam, nec favet possessio alteri parti. Ergo contra ipsam regulam est applicare favorem possessionis libertati, quando pro lege sunt urgentiora motiva.

774. Tandem valdè inconsequenter videntur procedere recentiores, dum ex una parte docent, stante opinione minus, vel æquè probabili pro libertate, ipsam possidere, & ratione possessionis eximi ab obligatione; & ex alia, dum in casibus particularibus excitant dubia moralia, amplectuntur multoties ut obligatoriam opinionem pro lege, quia judicant probabiliorem: in hoc inquam, in consequentia invenitur. Nam hoc ipso, quod libertati faveat regula, habet jus certum operandi licitè id, de quo est dubium etiam probabile in doctrina præfatorum recentiorum; aliàs ex hoc principio non probarent efficaciter usum licitum sui probabilismi: ergo repugnat stante opinione probabili etiam minus ex parte libertatis, & quod sit probabilior alia ex parte legis, prout hi Auctores statuunt.

Dicet probabilista: dum probabiliorem pro lege amplectimur, loquimur de opinione directa; Si vero de reflexa loquamur, certum habemus judicium ultimum pro libertate esse omninò certum. v. g. An detur obligatio manifestandi in confessione circunstantiam notabiliter agravantem? Multi probabilistæ dicimus absolutè esse manifestandam, quia loquimur propositione directa: Sed si fiat reflexio: *dum est dubium probabile, & sic lex non est certa, libertas nostra possidet; sed possidentis in dubio est conditio melior: ergo pro libertate est judicandum*: omnes istæ propositiones in via nostra sunt certæ.

775. Cæterum major est falsa, & pariter consequentia: ut relinquitur probatum,

tum. Et instatur in materia justitię, ad quam tu recurris pro statuendo opinionem tuam in materia aliarum virtutum. Habita certa, & legitima possessione ex parte Titij, licet ex parte Semphronij non possidentis detur opinio minus probabilis, vel etiam æquè probabilis, non potest licitè Titius turbari circa æquum, nec in foro externo aliquid prodest opinio Semphronij, etiam si facias tuas reflexas; quia habet jus certum retinendi ratione certæ possessionis, & cum in foro interno idem juris fit, peccaret mortaliter Judex ferendo sententiam pro Semphronio, ut est certum in jure, & ex regulla nostra: ergo idem est dicendum in materia aliarum virtutum; si vera, & certa esset possessio ex parte libertatis: certum omnino erit jus operandi juxta suam possessionem, & contrarium non erit magis, imo nullatenus probabile: non enim hæc opinio est probabilis, si contraria est omnino certa.

776. Præterea recursus præfatus ad reflexas (præterquam quod major non est certa, nec hucusque ita ab adversarijs probatum est, imò est falsa) est idem ac dicere, vel ipso facto manifestare; quod nihil fit ab illis doctoribus, dũ casus particulares resoluunt probabilius pro lege, si statim facta reflexione, corruit assertum per propositionem directam; imo hic modus resolvendi esset decipere homines, quod de viris doctis, & cordatis judicare valde alienum est a ratione. Nec faciliter talem modum resolvendi casus conscientiæ licitum esse, salvari potest. Nam certum est apud ipsos virum doctum posse respondere quærenti juxta resolutiones in eorum libris exaratas; quod non liceret juxta responsionem datam. Nam si revera in homine cessat obligatio in aliqua re gravi, undequaque, vel quocumque titulo cesset, non est licitum respondere illi, quod tenetur ad illam sub peccato gravi, dum certò scitur titulus, ratione cujus certò non tenetur. v. g. Homo rusticus apud Hispaniam, quærit à te an feria quarta Cinerum, vel Dominica in passione, possit edere lacticinia: tu scis habere bullam Cruciatæ, erit ne licitum tibi respondere, quod mortaliter peccat, præscindendo a privilegio bullæ; asserendo absolutè peccare mortaliter, si lacticinia commedat? In Regnis Castellæ interrogat quis à te an in die Sabbathi possit edere aliquas partes animalis, aut debere abstinere ab esu omnis carnis. Esset ne secundum prudentiam, respõdere absolutè sub peccato mortali obligari ad abstinentiam ab omni carne, tacendo, & præscindendo à privilegio ratione consuetudinis?

777 Ergo non aliter dicendum videtur, quod quandò existimas dari opinionem, quamvis minus probabilis sit, & possessionem stare pro libertate, & simul judicas titulo, seu privilegio possessionis hominem habere jus certum operandi licitè, & legem, de qua hinc inde dantur opiniones, nullatenus obligare; & totum habes in via tui probabilismi tanquam certissimũ; quomodo potes affirmare, & respondere Petro quærenti super aliqua dubia, circa quæ dantur opiniones utrinque probabiles, teneri eligere tutiorem: nimirum quandò uno ictu percussit tres homines, teneri explicare numerum: & cùm juravit sine intentione adimplendi juramentum, teneri illud adimplere; si vouit ingredi Religionem, non satisfacere assumendo habitum Æquitum S. Jacobi, aut Calatravę; vel ratione ætatis 60. annorum præcisè à lege jejunii non eximi? &c. Quandoquidem in his casibus datur opinio probabilis, & in tua doctrina possessio stat pro libertate, cujus privilegio eximitur quærens ab obligatione certissimè: Quomodo ergo illum alligas obligationi?

ARTICULUS VII.

Utrum ex vi opinionis probabilis detur in intellectu ignorantia invincibilis.

§. I.

Relatis sententiis eligitur pars negativa, dum opinio est æquè, vel minus probabilis contra legem.

778 Supponendum est nos hìc agere de ignorantia propriè sumpta, quæ consistit in privatione scientiæ, vel cognitionis habitualis per se primo, & ex consequenti cognitionis actualis. Et sic ignorans

rans dicitur, qui nec cognitionem, seu notitiam habitualem habet alicujus rei. Eò quod caret notitia in actu primo permanenti in intellectu in speciebus impressis, per quas in promptu habet homo posse in actu secundo cognoscere, & si voluerit illis uti. Quæ ignorantia, alia dicitur juris; alia facti, ut satis notum est. Hanc ignorantiam, dum est invincibilis, excusare operantem à peccato formali, aut imputabili, etiam si juris naturalis sit, certissimum est, & contrarium meritò damnatum à san. mem. Alexandri VIII. in suo decreto anni 1690. die 7. Decemb. Quæstio igitur est non modica, controversa inter probabilioristas, & probabilistas, an in hypothesi, qua quis, v.g. habet opinionem probabilem circa contractum, an sit usurarius, hoc ipso habeat invincibilem ignorantiam? In qua quæstione primi asserunt solùm excusari, dum quis judicat opinionem pro libertate esse unicè probabilem, vel magis probabilem excessu considerabili, itaut possit prudenter formidini non attendere. Secundi verò universaliter docent; ex quacumque opinione, dum modo appareat operanti probabilis, sive magis, sive æquè, sive minus, posse deponere dubium, vel formidinem, ratione ignorantiæ invincibilis; qua dicunt esse imbutam ejusmodi opinionem, & ratione illius formare conscientiam, amplectendo partem, quæ sibi placuerit. Non tamen in hoc conveniunt omnes probabilistæ, sicut contingit in aliis suis principiis, in quibus etiam dissentiunt, & ad invicem opponuntur.

779 Dicendum est: Ex vi opinionis æquè, vel minus probabilis nullatenus datur ignorantia, ratione cujus operans excusatur à culpa. Hæc conclusio probatur primò auctoritatibus Sacræ Scripturæ, Sacrorum Canonum, & doctrina Sanctorum Patrum, prout in tota quæst. 2. adductæ sunt. Secundò, rationibus, quas tota q. 3. dedimus; eamdem docuerunt Auctores omnes antiqui, quibus ignota fuit talis ignorantia imbibita in qualibet opinione probabili, imò clare contrarium docuerunt. Quare talis modus ignorantiæ ortus est noviter post probabilismum ad illud roborandum: Sed cum sit hoc principium minus illo certum, quale robur poterit adhibere?

Probatur nunc primo auctoritate speciali, & ratione D. Thomæ 1.2. qu. 19. ar. 6. ubi sic ait: *Manifestum est, quod illa ignorantia, quæ causat involuntarium, tollit rationem mali moralis, non autem illa, quæ involuntarium non causat*. Quandò autem ignorantia causet involuntarium explicat 1.2. qu. 6. art. 8. *Ignorantia habet causare voluntarium, ea ratione, qua privat cognitione, quæ praexigitur ad voluntarium: non qualibet ignorantia homini cognitione privat*. Ex quibus sic formatur argumentum: Ut detur ignorantia invincibilis in actione, qua exercetur contractus, de quo est controversia, an sit usurarius, debet esse involuntaria malitia illius, ut docet Angel. Doctor. Sed malitia ejusmodi actionis (si fortè est illicitus contractus) non est involuntaria: Siquidem habes notitiam, & prævides indifferenter sequuturam, vel non sequuturam transgressionem legis, si non habes opinionem magis probabilem, quod contractus ille non est usurarius: ergo non habes ignorantiam invincibilem: explicatur exemplis: in ludo, vel sorte; cum exitus sit indifferens, quis dubitat amissionem pecuniæ, si contingat, esse volutariam? In duelo mors propria, vel aliena, & alia hujusmodi, quæ indifferenter prævidentur, certum est, quod nobis sunt imputabilia. Idem in operante ea, quæ sunt indifferentia ad bonum, & malum: Siquidem, quantum est ex parte operantis utrumque extremum amplectitur, vel sit bonum, vel sit malum; ac proinde licèt de facto non detur lex, nec obligatio in re, vult saltem implicitè transgredi legem, & contemnit diviná voluntatem.

780 Probatur secundo: Ignorantia invincibilis causans involuntarium. & tollens rationem malitiæ moralis, est sola illa, quę dicitur antecedens: Sed habens opinionem æquè, vel minus probabilem de malitia alicujus objecti, vel actionis, non habet hujusmodi ignorantiam antecedentem: ergo non habet ignorantiam invincibilem. Major est D. Thomæ; qui ponit exemplum: *Sicut cum aliquis homo ignorat aliquam circunstantiam actus, qui non tenebatur scire, & ex hoc aliquid facit, quod non faceret, si sciret. Puta cum aliquis diligentia adhibita, nesciens aliquem transire*

per viam proiicit sagittam, qua interficit transeuntem; & talis ignorantia causat involuntariũ simpliciter. Ex quibus prob. mi. Nam in casu Sagittarii, si facta diligentia, esset illi, æquè, vel magis probabile, quod aliquis homo transiret, certissimum est peccare mortaliter proiiciendo sagittam, quia tunc quantum est de se, etiam si non transeat homo, illum indirectè voluntariè vult occidere, nec prodest illi aliqua ignorantia: ergò idem in hypothesi, quam versamus.

Deinde ponamus, Petrum videntem mulierem, quærere, an sit soluta, & tres dicere esse solutam, alii tres, vel quatuor esse conjugatam, aut monialem: Si Petrus in illam consentiret, peccatum illud ultra malitiam simplicis luxuriæ haberet circunstantiam adulterii, & sacrilegii: idem de vidente hominem, & habentem testificationem indifferentem, quod esset, vel non esset Sacerdos, si intenderet percutere, quis dubitat peccare peccato sacrilegii ob rationem adductam? Cùm ergo in casu posito, & aliis similibus, agens nequeat non cognoscere actionem suam esse indifferentem ad transgressionem, & non transgressionem, nulla ignorantia excusatur.

781 Prob. tertiò: Quod potest prudenter de lege credi verum, nec prudenter potest negari ut falsum, non ignoratur invincibiliter: Sed hinc inde disputantibus Doctoribus, quod gravioribus, vel æqualibus fundamentis probatur, potest prudenter credi verum, nec potest negari prudenter ut falsum; ut ipsi probabilistæ passim docent: Ergo stantibus opinionibus inter Doctores controversis, habentibus æqualia, vel minora fundamenta circa aliquod objectum, id non ignoratur inuincibiliter.

Confirmatur primo: Stante ęqualitate rationum pro utraq; parte, neutra prudenter potest credi vera, vel falsa, honesta, vel turpis, nisi quia vult, quod esset irrationabiliter. Ergo immeritò dicitur ignorari invincibiliter, quod sit falsa, aut turpis: Siquidem ex suppositione, quod detur notitia, licèt in dubio, ut possit dari ignorantia invincibilis circa falsitatem, deberet credi certò, saltem moraliter partem contrariam esse veram, & honestam.

Confirmatur secundò. Quamvis detur ignorantia circa certitudinem honestatis rei, vel actionis, quatenus lex est certa, sed sub opinione; Cœterum ex alio capite datur certitudo de illicito operationis contra talem legem dubiam, seu tantùm probabilem in sensu probabilistarum: Siquidem proponitur nobis sequenda illa regula juris canonici 45. *Inspicimus in obscuris quod est verisimilius*: Ergo excludit ignorantiam invincibilem, dum quis existimat esse æquè verisimile, vel verisimilius actionem, & objectum non esse honestum.

§. II.

Refellitur quędam distinctio de ignorantia malitiæ formalis, sed non materialis.

782 Respondebis, stante ratione probabili, quod contractus A. v.g. non sit usurarius, ego judico esse veram, quæ mihi dicit non teneri me abstinere à contractu, quidquid sit de illo in se, an errem, vel in se sit malus: sed non pecco, nec exerceo operationem malam sequendo meam rationem, quam judico esse veram: Unde ex prędicta ratione oritur in me ignorantia æquivalenter invincibilis. Deinde in illa actione potest considerari malitia formalis, & materialis, ex quibus hæc non est imputabilis, illa verò imputabilis est: in nostro igitur casu, dato, quod conscientia dictet adesse malitiam materialem, non dictat in exercendo contractum adesse peccatum, seu malitiam formalem, sed potius ex ratione prudenti dictat hanc non adesse.

Sed contra: Repugnat rationem, seu conscientiam non attendere ad actionem, aut objectum, an sit malum, & esse veram, & verè dictare non adesse ibi peccatum. Debet ergo operans in primis attendere, & judicare de objecto, an sit contra legem, & voluntatem divinam: & consequenter, an sit malum, vel bonum; & ideo repugnat malum separari à peccato, hoc ipso, quod habeat aliquam notitiam, ratione cujus dubitat, an sit malum, aut licitum: aliàs esset velle non peccare, peccando. Deinde ratio illa in casu posito non potest esse

esse vera, nec tibi prudens, & tibi subjectivè probabilis: siquidem habes æqualem rationem ad judicandum objectum esse malum. Esset quid affectatum, & prætextus contra rationem, hoc modo: *Sive talis contractus sit reipsa malus, & lege Dei prohibitus, sive non; ego illum exercendo non pecco, licèt nesciam, an illum exercendo agam reipsa contra legem Dei, imo etiam si sit contra legem Dei, non pecco. Quis dicat hæc judicia licitè fieri?* Præterea, qui sic judicat, & operatur, non attendit ad legem Dei, & divinam voluntatem, juxta quam debet formare rectam conscientiam juxta veram doctrinam D. Thomæ, & Theologorum; ergo peccat.

783 Ex quibus etiam refellitur id, quod addebatur. Quomodo enim potest fieri, quod operans non ignoret invincibiliter malitiam materialem, & quod ignoret invincibiliter malitiam formalem? Nam in tantum quis non peccat, in quantum existimat non operari contra legem Dei: qui vincibiliter ignorat esse peccatum materiale, hoc ipso ignorat vincibiliter reipsa esse contra legem Dei: ergo repugnat stante hac cognitione cum ignorantia vincibili, non habere illam etiam circa malitiam formalem. Ulterius conscientia, utpotè regula secunda, ut sit recta, debet applicare primam regulam sibi, seu legem Dei, & si ita non applicat, nequit esse regula, nec rectè operari: Sed si dubitat adesse malitiam materialem in objecto, nequit primam regulam applicare: Siquidem dubitare, an detur ibi malitia materialis, est idem ac dubitare, an sit contra legem Dei: ergo repugnat adesse dubium, & ignorantiam vincibilem de malitia materiali objecti, & eamdem non adesse circa malitiam formalem. Quare in casu nostro elicere operationem ex ratione illa probabili, seu dubia, est velle elicere rectè operationem, sive Deus prohibeat, sive non. Unde hoc ipso peccat, quia ad hoc non est necessarium expressè, aut cum reflexione formali cognoscere me non peccare, ut peccem: sufficit cognoscere me contra legem facere.

784 Demum jam supra dictum est à num. 641. & à num. 651. qualiter debemus inquirere Dei voluntatem, & ad illam attendere juxta Scripturam Sacram, in qua Spiritus Sanctus nobis ostendit regulam, & vias, per quas ambulare debemus. Quomodo hoc ita exequitur, qui amplectitur rem, quæ indifferenter se habet ad esse, & non esse lege Dei prohibitam? Nonnè illud Prov. 18. habet locum? *Qui declinat aurem suam, nè audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.* Ubi est illud Psalm. 118. *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.* Et Eccli. 6. *In mandatis illius maximè assiduus esto.*

§. III.

Quædam fundamenta contrariæ sententiæ referuntur: quorum occasione sententia nostra magis roboratur.

785. Triplicem ignorantiam distinguunt auctores, circa quam potest esse dubium, an à peccato excuset. Prima quando nullam habet homo notitiam, nec in mentem illius venit actionem esse malam, aut quando facta debita diligentia, judicat certo esse licitam. Et quamvis circa ea, quæ sunt juris naturalis, nonnulli probabilioristæ illam non admittant, alij verò communiter in aliquibus casibus illam admittunt, in quo conueniunt cum omnibus probabilistis, qui illam plerumque dari tradunt. Secunda, quando circa dubium de honestate actionis, quis non reperit certitudinem, aut euidentiam, nec habere illam potest, & hoc ipso datur opinio probabilis pro libertate, & consequenter ignorantia invincibilis, licet reipsa actio, & objectum esset illicitum: ita Caramuel in sua apolog. n. 290. cui nonnulli adhærent. Sed hanc ignorantiam esse invincibilem communiter rejicitur ab ipsis probabilistis. Tertia, quando datur opinio probabilis, sivè æquè, sive minus, ut dictum est in principio hujus art. Et hanc esse invincibilem, & ex illa probabilismum adeo firmatum persistere, ut auctor neotericus confidenter dicat. *Assero stare in concussam, & omnino certam, & evidentem causam probabilitatis practicè (si benè intelligatur,) in quacumque inveniatur, & reperiri ignorantiam invincibilem.* Ita confidimus homines ingenioli nostri discursibus,

bus. Sed judicent alij, cum viderint tot, & tantos graves Doctores valde eruditos validis fundamentis propugnare, ut inconcussam viam contrariam sententiæ dicti Neotherici.

786. Probare nititur suam sententiam 1. Quia non potest absolutè illa ignorantia eripi. 2. Quatenus non eam fugere, quando pro una parte occurat ratio probabilis, cur innitatur intellectus ad assensum practicum ejus partis, 3. Quia quando homini occurrit mera ratio probabilis contra legem pro libertate, manet invincibilis, & inculpabilis; non quia non possit dubitare, & in dubio sequi partem tutiorem; Sed quia propter rationem probabilem non tenetur modo vitare ignorantiam, ut docet D, Th. Quodl. 8. art. 15. ibi: *Ea ignorantia est inculpabilis, quæ versatur circa id, quod scire non potest, vel scire non tenetur. Et q. 17; de verit. art. 4. Tunc scientia erronea non sufficit ad absolvendum, quando in ipso errore peccat, ut quando errat circa ea, quæ scire tenetur. Quando autem error est circa, quæ quis non tenetur scire, ex sua conscientia absolvitur*. Sed in casu quæstionis nequit homo scire dari legem, ergo &c. Hæc sunt fundamenta adeo in concussa.

Resp. ad 1. neg. suppositum; quia hoc ipso, quod habeat opinionem solum æquè, vel minus probabilem, habet opositam æquè, vel magis probabilem pro lege: ac proinde habet sufficientem notitiam de obiecti malitia, licèt sub dubio, ac formidine, ac proinde nequit esse actus involuntarius circa objectum, quo deficiente non potest dari ignorantia invincibilis, ut ex D. Th. visum est. Deinde illa propositio est falsa, si quidem optime potest ab ignorantia eripi, judicando hic, & nunc actionem esse moraliter, & practicè illicitam ex fundamentis supra appositis, præcipuè, quia nequit conformari cum lege divina, nec ab illa regulari.

Ad 2. etiam falsum est, non teneri ignorantiam fugere ex eo, quod ratio sit probabilis ut cumq; si non est magis probabilis notabiliter: tenetur enim ob inadequationem cum lege divina, & ob periculum violandi divinam legem; nec intellectus potest circa tale objectum tunc habere assensum practicum rectum, ut totá hac controversia probatum est. Deinde quis dicet non teneri hominem fugere id, quod est indifferens ad malum, & ad bonum, ad deformitatem, & conformitatem cum divina regula? imo hoc ipso talis actio est difformis.

Ad 3. Resp. ex dictis negando non teneri talem ignotantiam, & actionem vitare. Nec illi in aliquo favet Doctor Angelicus: Nam ly, *scire*, non summit strictè pro scientia cum evidentia, aliàs incideret in sententiam Caramuelis, sed pro notitia de malitia objecti, quam jam habet sub dubio, vel formidine, cum qua nequit esse actus involuntarius, quod requirit D. Th. ad ignorantiam, quæ tollit malitiam moralem. Deinde posita opinione magis, vel æquè probabili pro lege, jam datur prudens dubitatio de illa, unde error nequit esse involuntarius, quod Doctor Angel. exemplicavit in jaciente sagittam, qui solum excusatur cum notitiam non habuit: Certissimum est, quod si esset sibi tantum probabile ut cumq: non haberet errorem involuntarium.

787. Tamdem scire tenetur homo in casu nostræ quæstionis esse vitandam ignorantiam, & actionem circa objectum. Nam tenetur scire in suis operationibus conscientiam debere conformari cum prima regula: Unusquisque enim debet scire, qualiter regulanda sit ejus conscientia; ipso lumine naturali homini hoc dictatur, nisi sua negligentia, culpabili passione, aut inordinato affectu non faciat, quod est in se. Præterea scire debet esse timendum, quod dum æquè objicitur malum, & bonum; ne forte sit illicitum. Quia ipsa formido, sivè dubium palam loquitur de periculo, ut si in illud cadat, non sit excusandus. Et ideo D. Th. docet *dum quis dubitat, & occurrunt opiniones contrariæ, tenetur plus inquirere, & magis certiorari, antequàm agat: alioquin committit se periculo, & sic proculdubio peccat, ut pote magis amans beneficium temporale, quam propriam salutem*. Ita quodl 9. art. 5. Quid cum hac doctrina Angelici Magistri, quam pluribus locis inculcat, esse in concussum reperiri ignorantiam invincibilem in opinione utcumque probabili?

AR-

ARTICULUS VIII.

Ad regulandam conscientiam qualiter prosit recursus ad Sapientes.

§. I.

Refertur modus recurrendi ad Sapientes probabilistarum, qui non est ita facilis, ut ipsi cogitant.

788. VUlgaris modus regulandi cõscientiam, & resolvendi dubia moralia in pluribus, tum in cõsulendo, tum in operando, est evolvere aliquos Theologos Morales: & dum reperiant plures ex illis, quatuor, aut quinque, jam actum est circa diligentiam requisitam in re tanti ponderis. & sic habetur id, quod necessarium esse putant ad honestandam operationem, quidquid sit, an alij numero majori, & etiam præstantiori dignitate, & Sapientia contrarium resolvant. Unde dato, quod principia probabilismi non sint adeò efficacia, sufficit (inquiunt) habere pro nobis viros Sapientes graves. Nam in primis dantur plurimi, immò innumeri gravissimi, & Sapientissimi, qui præsentem controversiam de sequela opinionis verè probabilis diligenter discuserunt, & examinarunt; & utriusque partis fundamenta seriò, diligenter, & ex affectu inveniendi veritatem, ponderarunt. Deinde descendendo ad casus particulares, seu quæstiones in speciali, de quibus occurrit dubium v. g. An possit variari officium divinum; plures graves, & docti eodem modo illos examinarunt, & licet talem, vel tales opiniones pro liberate minus probabiles, aut falsas judicemus, illi verò, ut veras absolute docuerunt, & fortè etiam deduxerunt ad praxim: & absque dubio id facere potuerunt; Si quidem prudenter potest fieri, quod post diligens examen honestum existimant; maximè facta reflexione, & suppositione doctrinæ, & assertionis generalis tot graviorum Sapientium probabilistarum de licito usu cujuscumque probabilitatis habentis conditiones, quas habet illa de licita variatione officij divini, & aliæ similes apud auctores particulares. Quis igitur negare potest esse licitum ejus modi usum.

789. Ita discurrunt plerique, vel omnes auctores benigni, quorum discursus non displicet naturæ corruptibili, commoditati, & pariter libertati, & carni, & sanguini. Hinc non pauci mirantur, & exclamant: Quis non credat tot viros pios, & doctos honestè se gessisse? Quis illos repræhẽdere, aut de imprudentia notare audeat? Viros enim pios, & prudentissimos imprudentiæ, & improbitatis nemo poterit nisi imprudens notare.

Cæterum recogitet benignus auctor, qui sic exclamat, an pro parte sibi contraria circa nostram cõtroversiam dentur plures viri, non minus, aut fortassè magis graves, & Sapientes, & non minus probi, & prudentissimi, qui post maturam deliberationem, post serium, & diligens veritatis examen opinionem oppositam docuerunt, & benignam, ut falsam reprobarunt. Numquid isti Sapientes non sunt, nec probi, nec prudentes? aut soli benigni ejus modi sunt. Deinde si circa quæstionem de variatione officij divini (& sic de similibus) dantur viri probi, & docti pro parte affirmativa; (in hypotesi nostræ controversiæ) supponimus pro parte contraria stare plures æqualis, vel majoris auctoritatis, sepientiæ, & probitatis, docentes dari obligationem non variandi officium. Quis, & cur poterit nisi audaciter notare imprudentiæ, & improbitatis hos viros pios, & prudentissimos, & sic omnes antiprobabilistas & illis faventes? Nonne quia benigni non sunt, poterunt sic notari, & quia stant pro lege, & voluntate divina? Respondebis minime sic notari posse: Sed esse non secus sapientes, & prudentes, quam auctores sententiæ benignæ. An autem hoc stare possit hos, & alios contrarium docentes esse simul Sapientes, nunc venit examinandum.

§. II

§. II.

Non est adeò facilè invenire sapientes, ut communiter existimatur.

790. OPtimum medium, ad veritatem inveniendam, resolvendasque difficultates circa animæ salutem, esse diligentiam quærendi sapientes, certissimum est. Ita verbo, & exemplo nos docuit lumen Ecclesiæ clarissimum, Sanctissimus Augustinus lib. de utilitate credendi cap. 12. Sic enim scribit ad Honoratum. *Nihil nobis restare amodo vides, quandiù stulti sumus, si nobis vita optima, & religiosa cordi est, nisi ut quæramus Sapientes, quibus obtemperando dominationem stultitiæ, nec ità multum sentire, dùm inest nobis, & evadere aliquandò possimus.* Sed dum huic salubri medio adhæsisset, in aliam ingentiorem incidit difficultatem: ut ipse ibi cap. 13. exponit: *Hinc oritur difficillima quæstio: quonàm enim modo stulti Sapientem invenire poterimus.* O verus veritatis inquisitor! O humilitatis, & veræ sapientiæ exemplar, & speculum! Quis in comparatione hujus sapientissimi stulti, potest sibi fidere circa facilitatem inveniendi, & discernendi, qui sunt viri sapientes? Consonat Diuus Bernardus Ep. 42. ad Senonem. Episcopum paulo post princ. *Væ nostro generi ab imperfectione sua! vix in multitudinem hominum unum reperias consumatum*, videlicet, in amore, prudentia, seu sapientia, de quibus præmiserat: & prosequitur probans ex Ecclesiastico. *Pulchre quoque per alium quemdam sapientem, cum sine consilio nihil agendum consulat; verum tamen consilij intuens paucitatem, ita loquitur: Multi sint tibi amici; unus autem sit tibi consiliarius de mille.*

791. Quomodo ergo tam facile occurrunt sapientes in via probabilismi? In auctoritate summistarum, in quolibet auctore morali, quasi mero historico, in quolibet compendio. Horum auctoritate opiniones morales, quæ passim sese offerunt faventes humanæ libertati, redduntur verè, & certò probabiles, adeò, ut honestè, & meritoriè sic operentur illas sectantes. Sed undè illis verè sapientissimis Doctoribus Augustino, & Bernardo tanta difficultas, & in auctoribus benignis tanta facilitas? Nonne exhebetudine intellectus? Quis poterit accumen intellectus sibi arrogare, ut in illis luminibus Ecclesiæ viguit? Unde ergo diversitas? Mirum est: ex eodem principio orta fuit. In illis ex summa doctrinæ oppositione, & contrarietate oriebatur difficultas resolvendi prudenter, quia quærebant veritatem: & ex ipsamet contrarietate nata est in probabilismo facilitas pro utraque parte resolvendi, ut in ipsorum doctrina clarè apparet: quia solum probabilitatem inquirunt.

Adeò probabilistis placet contrarietas, illique confidunt, quod plures ex illis præfatam facilitatem volunt per totum extendere orbem. Sed unde, ex quo Sanctæ Scripturæ loco, ex qua alicujus Sancti Patris auctoritate ad hoc statuendum convicti sunt? Videtur ex eò, quod in primatibus, & gravioribus probabilistis, quos tamquam duces sequuntur, inveniunt illud principium generale: Omnes opiniones auctorum, quæ aliqua censura non sunt notatæ, sunt probabiles, & licitus earum usus: Sed hæc opinio (resumunt in particulari) quæ reperitur in summa, vel libro, non est notata aliqua censura: ergo est probabilis, & licitus ejus usus. Quantum periculi afferat adeò universale argumentum, doctus quisque facilè perspicère potest, jam supra notatum est præsertim à num. 662. per totum articulum, qualiter illa major possit habere veram intelligentiam. Pro nunc ommittamus illam, prout ab illis primoribus, & gravioribus probabilistis docetur. At erant prius videnda ipsius requisita ad veram opinionis probabilitatem; ubi depræhendetur, quid requirunt in opinione vere probabili, & ut licitus sit ejus usus? Ipsi enim expresse docent debere niti gravi fundamento, seu magni ponderis, magni roboris; non vero sufficere rationes debiles, sophisticas &c. aliasque limitationes addiderunt. Nec in illis, opinionem in quolibet libro scriptam esse vere probabilem, invenitur, neque somniarunt. De quo videri potest Joan. à Sancto Thoma tom. 1. 12. quæst. 18. disput. 12. art. 3. à num. 17. & à n. 28. de-

de quo infr. à num. 1010. & ſeq. erit ſermo qualiter in uia præcipuorum probabiliſtarum non ſit facilè adherere cuilibet opinioni, licet ab aliquibus, ut probabilis propugnetur. Inde illa minor eſt falſa, nec toleranda, ſiquidem coincidit cum propoſitione 27. damnata ab Alexandro VII.

792. Et ut appareat quam longè ſit à primatibus probabiliſtis talis relata ratiocinatio, aliquos referam: Monteſinos 1.2. t. 1. quæ. 15. diſp. 19. cum retuliſſet aſſertum Mag. de Lorca, ait, *quod frivolum eſt profectò*. Sanchez lib. 7. de Matrim. refert 24. auctores, & ex illis plures ſatis conſpicuos aſſerentes omnes gradus conſanguinitatis, & affinitatis prohibitos in cap. 18. Levitici eſſe de jure naturali impedimentum Matrimonij: & tamen ibi cenſet Sanchez tot auctores non conſtituere opinionem probabilem. Suarez tom. 1. de Religione lib. 2. de diebus feſtis cap. 14. num. 2. refert cum gloſa in c. illa 12. diſt. decem auctores, omnes non levis auctoritatis, aſſerentes, advenas non teneri legibus loci, in quo morantur, niſi perpetuò illic habitaturi accedant, etiam ſi ibi per majorem anni partem commorentur. Subdit Suar: *Hæc vero ſententia non poteſt convenienti ratione defendi, & ideò non cenſeo illam practicè probabilem. Nec enim ſufficit multitudo auctorum ſine ratione, aut fundamento probabili, maximè in re, quæ multum poteſt urgere contra bonos mores*. Hujuſmodi notas quaſi in numeras poſſemus adducere ex præcipuis probabiliſtis; apud quos non eſt facile adhærere opinioni etiam plurium auctorum.

793. Dices: quamvis nonnulli ex noſtra profeſſione probabiliſmi illum modum opinandi, & mittendi ad Sapientes amplexi ſunt, illis non aſſentimur communiter: quia præcipui auctores noſtri nõ mittunt ad quoſcumque pro formanda recte conſcientia, ſed ad viros probos, & præſtantes; & inſuper requiruut, quod ſuper hoc debet adhiberi ſufficiens diligentia, ſicut fieri debet in negotio gravi, & tanti momenti. Cum autem habemus judicium prudens de auctoritate, præſtantia, & doctrina alicujus, vel aliquorum gravium auctorum, hoc ipſo prudenter judicamus illis viſam fuiſſe ſuam opinionem nixam gravibus fundamentis? Quis ergo illos imprudentiæ notavit, nec nos, qui cum illis conformamur? Ad quod dicimus, duo reſtare circa hanc tuam objectionem, aut reſponſionem, quæ videri oportet. I. qualis, & quanta ſit diligentia, quæ eſt adhibenda, & quam grave ſit hoc negotium? De quo erit ſermo infra quæſt. 5. artic. 3. à num. 848.? Quid per Sapientes intelligunt, dum ad tales nos mittunt auctores benigni? & hoc erit hîc examinandum.

§. III.

Repugnat utriuſque partis auctores æqualiter inter ſe diſſentientes, unius, & alterius partis in hoc puncto eſſe Sapientes.

794. SI quæramus Sapientes inter homines, ſicut inquirebat ſapientiſſimus Auguſtinus, ipſe occurrit nobis dicens: De vtilit. cred. cap. 13. *Cum hoc nomen* (ſapientis) *tamen ſi non audeant palam, plerique tamen ex obliquo ſibi vendicent &c.* Nonne hoc ita eſt? Quis auctor non ſibi videtur ſapiens, & etiam ferè quilibet ſaltem tacitè ſibi hoc arrogat, ſi aliquo tempore ſtudio morali operam dedit? & ſi fit tranſitus ad auctores, vel Scriptores, quis non Sapientiores habet, quos vel proprios, aut familiæ, aut emptos habet? Unde quotidiè prodeunt tanta cum facilitate reſulutiones, & libri morales, ſi non ſibi viderentur Sapientes eorum Scriptores? Dicendi etiam ſunt Sapientes, qui juxta commune proloquium, etiam apud ipſos probabiliſtas, inſtar ovium ſequuntur aliorum veſtigia? & ut docet Vazq: 12. diſp. 6. c. 2. n. 5. *Non debere cenſeri opinionem magis communem, quando eã turmatim, & ſine delectu ſequuntur*. In quo ſupponit dari auctores ſequentes alios turmatim, & ſine delectu. Unde certum videtur hos non eſſe illos Sapientes, ad quos fit præfata appellatio, ſeu miſſio. Tamen ſtilus communis recentiorum eſt pro ſua ſententia, ſeu concluſione allegare, nedũ viros diù verſatos in rebus Theologicis morali-

ralibus, sed etiam quot quot invenerunt sine discrimine, pro opinionibus benignis comprobandis, siuè meros summistas, aut hystoricos, aut compillatores puros, in quo videntur in consequenter procedere: nam hinc requirunt Sapientes gravibus fundamentis docentes, & inde alios indiscriminatim referunt pro majori suæ sententiæ confirmatione. Unde cum quisque reperit, apud doctiores Scriptores, illos omnes sic probatos, ipsos existimabit esse omnes verè Sapientes, ad quos esse recurrendum, asserunt probabilistæ.

795 Cæterum non per hoc volumus dicere, quod regulariter Auctores non sint absolutè, & simpliciter sapientes: quia non dubitamus ferè omnes docere plurima salubria, & vera, & ad animas dirigendas utilia, maxime si fiat judicium de eorum doctrinis, supponendo tutas, & veras regulas, seu principia moralitatis conformia SS. Patrum doctrinæ. Deinde merito dici possunt sapientes, & prudentes, quatenus in quæstionibus particularibus, dum invenerunt majus fundamentum pro lege, amplexi sunt absolutè opinionem pro illa probabiliorem: & similiter quando sibi prudenter visa sunt urgentiora, & sic magis nō exiguè accedere ad veritatem. Nam ut infra num 806. dicemus cum D. Thoma, & Philos. Quod plerumque, & communiter contingit, possumus verum existimare: & qnia per se loquendo, quod est probabilius cum excessu, esse verum prudenter, & sapienter existimatur, ideò ita opinantes judicamus, & dicimus sapientes. Quod nos docuit D. Augustinus modo infra referendus, dum ait, quod, *verum putabat, quod alii persuadebant, vel per Auctores Canonicos, vel à probabili ratione non abhorreat*: & sic illos judicabat tunc sapientes, licet non omnia, quibus assentiebatur, esse sibi evidentia existimabat.

Igitur dubium præsens reducitur ad hos terminos. Quando inter Auctores est quæstio: an. v. g. Contractus sit usurarius; & ex parte affirmativa sunt decem, & pro alia alii decem æqualis auctoritatis, vel tantum septem, & consequenter minoris auctoritatis: an omnes utriusque partis sint sapientes, vel tenentes se ex parte affirmantis, aut negantis? Apud probabilistas, omnes sapientes utriusque partis in resolutione hujus dubii indicandi sunt, etiam illi, in quibus existimamus minorem auctoritatē inveniri: & inde deducunt quemlibet posse licitè, & honestè horum, vel illorum opinionem sectari.

796 Pro resolutione notandum est nomen sapientis, si propriè sumatur, non cuicumque convenire, sed illi, qui reipsa veritatem attingit; ita expresse D. August. dicto cap. 15. *Deus enim est veritas, nec ullo pacto sapiens quis est, si non veritatem mente attingat*. Quare ut quis sapiens in aliqua resolutione dicatur, debet in illa veritatem attingere, & consequenter, ut nos dicamus Auctorem, vel Auctores in eadem esse sapientes, etiam existimare debemus veritatem attigisse. Si vero Auctor veritatem non attingat; errat, & potius est ignorans. Hoc manifestum est. Si quis enim sciret obligare legem, quia certò scit esse publicatam, & alius affirmaret non esse publicatam, & ideò non obligare, licet videretur id ostendere motivis probabilibus, non ideo doceret veritatem, sed erraret, & ignoraret; & in hoc ut errans, & ignorans à sciente haberetur. Si quis Historicus adductis fundamentis, & auctoritatibus aliorum nobilium Historicorum doceret, quod non sunt antipodes, ut plures olim dixerunt, non ob hoc diceretur sapiens Historicus in hac parte, sed errans, & ignorans: Sic dicendum in ordine ad resolventes dubia moralia: in quo non videtur dubitandum, præsertim stante auctoritate D. Augustini.

797 Hoc supposito dicendum est: Dum inter se Auctores dissentiunt, aut nullum eorum, aut certum unum esse sapientem, & repugnare utrique parti dissentientes esse in illa re sapientes. Nam in primis contingit unum, & alterum desipere: Arius dicebat Christum esse purum hominem, Manichæus autem asserebat esse solum Deum, uterque desipuit, & erravit, in nullo sapientes sunt. In aliis verò dissidentibus solum poterunt dici, qui ex una parte sunt, quia ex alia falli necesse est: quia implicat utrosque dici verum: ergo qui errant, & verum non dicunt in re aliqua, in hac sapientes non sunt. Totum discursum breviter complexus est D. Aug.

dicto

dicto loc. cit. cap. 13. *Hoc nomen sapientis, tametsi nemo audeat palam, plerique tamen ex obliquo sibi vendicent, cum de rebus ipsis, quarum cognitione constat sapientia, inter se ita dissentiant, ut aut nullum eorum, aut certum unum necesse est esse sapientem.*

Ex quibus fit, qualiter accipienda sit illa remissio, vel appellatio, quæ toties fit ad sapientes: Unde si non designantur isti sapientes, in quibus possimus saltem existimare adesse attingentiam veritatis, nihil habemus. Pleni sunt libri morales dissensionibus de peccato, & non peccato: Utrique disidentes sapientes non sunt; quinam sint graviores, seu veriores aliis, plerumque ignoratur; ergo remittere ad sapientes, & prudentes, ut multoties fit, pro rebus concernentibus ad veritatem, potius est fugere quæstionem, quam solvere.

798 Et quid dicendum in hoc peculiari dubio, de quo agimus; nimirum: cur opinio minus, vel æque probabilis est operanti tuta? Respondent Auctores benigni in hoc nostro dubio: quia pro se habet plures sapientes illam docentes: Sed cur ais esse minus probabilem, & contrariam probabiliorem, nisi quia pro istis habes urgentiorem rationem accedentem magis ad veritatem, & judicas Auctores sententiæ minus probabilis magis ad errorem accedere: Quomodo ergo sapientes nuncupas, quos in hac re magis errare existimas? Hæc igitur est hypotesis nostræ controversiæ, in qua intelligunt per sapientes, qui in tali dubio morali non tam sapiunt, sed potius errant: & tamen potest dubium resolvi, & tutò quisque operari in via probabilissimi.

Dices: quomodo potes sic prudenter loqui de viris adeò præstantibus vita, eruditione, & fama apud universos benè sentientes? Respondeo à te quærendo: Quatuor testes affirmant Petrũ commisisse delictum; alii quatuor asserunt Joannem illud commisisse, omnes pollent bona fama, & vita; quinam horum tibi videntur dicere veritatem, & erunt apud te sapientes, seu scientes à quo factum est delictum? Imputaretur ne tibi injuriæ, vel imprudentiæ, si faceres hoc judicium: Certissimum est non omnes verum dicerere, sed unam illorum partem in hac re falli, & non sapere: & sic decipiuntur, & non sapiunt aut hi quatuor, aut quatuor illi: Ego nec hos, nec illos nominatim designo, nec possum, sed disjunctivè: an qui sint, ignoro? Numquid illis injuriam irrogares? hoc ergo dicimus, & non aliud, dum Auctores videmus hinc inde se contradicentes, quando non datur ex aliqua parte manifestus excessus quoad auctoritatem; & loquimur præscindendo à ratione, qua utuntur: quia hoc modo fit remissio ad sapientes, quia si quoad rationes datur manifestus excessus, pauci prævalent multis.

799 Quid aliud nos docuit magnus Augustinus, nisi quod modo à nobis dictum est? Numquid tantus Doctor intulit alicui injuriam verbis à se prolatis? Præterquamquod, ut jam diximus, viros illos graves, & eruditos inter se diffidentes absolutè sapientes dicendos esse arbitramur, quia in pluribus non decipiuntur. Et adhuc dum inter se modo dicto diffident, appellari possunt sapientes, non positivè, sed negativè, quia nescimus, qui eorum in tali casu sint ignorantes. Cæterum cum debeamus diligentiam adhibere ad inueniendam veritatem de rebus, ut sunt in se, si discernere nequimus, in quibus sit veritas, & pro his non habeamus circa eorum judicium urgentiora motiva, (ex præfatorum sapientium auctoritate,) si major non est, nihil prudenter resolvere, nec conscientiam regulare possumus. Hoc intendimus, & non aliud, per ea, quæ in hoc articulo dicta à nobis sunt.

Ex quibus colligitur D. Augustinum supponere omnem sapientium auctoritatem in rationem tandem esse resoluendam, hac enim nobis rationabiliter persuadere debemus, quod ipsi vera docent. Hoc videtur ipso lumine naturali notum. Nam si illos veritatem attingere non putamus, quid prodest eorum auctoritas? Occasione quarumdam controuersiarum inter illa clarissima lumina Augustinum, & Hieronimum; Max. Doctor. plures viros sapientes allegabat. Cui respondet D. August. Epist. 19. & refertur in cap. *Ego.* dist. 9. *solis scripturarum libris, qui jam Canonici, dicuntur, didici hunc honorem deferre, ut nullum eorum Auctorum in scribendo aliquid errasse firmissimè credam. Alios ita lego, ut quan-*

quantalibet sanctitate, doctrinaque polleant, non ideo verum putem, quia illi ita sentiunt: sed quia mihi per illos Auctores Canonicos, vel probabili ratione, quod à verò non abhorreat, persuadere potuerunt. Idipsum quod de aliis Doctor Sanctus sentit, vult, quod de se ipso existimetur. *Neminem vellem amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in his, in quibus me non errare perspexeris.* Ita de bono perseuer. cap. 21. Et Epist. 111. & 112. cap. 2. *Propterea nunc facio libros, in quibus opuscula mea retractanda suscepi, ut nec me ipsum me sequutum esse demonstrem. Talis ergo sum in scripturis aliorum.* Certè in Augustino nullus humilitatis defectus prudenter notari potest, quasi nimis suo ingenio fideret. Quia eò sancti humiliores, & minus sibi fidentes, quò sanctiores; sed ita judicat, ita docet verbo, & exemplo, ut nostrum studium sit inquirere veritatem.

800 Replicabis: Si vel sapientissimis non est fidendum, nec credendum, idipsum debes de tuis antiprobabilistis sentire; imo etiam de te ipso, nisi velis te existimare sapientissimis sapientiorem: Ergo omnia, quæ in hoc articulo adducta sunt militant contra tuos antiprobabilistas, & contra te ipsum. Atque ideò dum in hac controversia de usu probabilitatis, vestri impugnant nostrum probabilismum, nec sapientes sunt: & sic nihil habemus. Quid faciendum? Ubi inveniendum medium, & doctrina ad dirigendas conscientias?

Resp. hanc objectionem militare contra D. Aug. Cui ergo potius est fidendum, & credendū? Huic S. Doctori, aut tuis Auctoribus? In quæstionibus particulalibus fatemur, quod si antiprobabilistæ, propugnent aliquam sententiam, & pro contraria stent alii tot, & tantæ auctoritatis, (sint ex amplexantibus probabilismum, vel ex contradicentibus illum) idem de ipsis, ac de aliis dicendum esse putamus: quia tunc in illis non invenimus judicium determinatè conforme divinæ legi, nec ubi sit veritas, quam quærimus: ac proinde licet noster intellectus neutri parti possit assensum præbere, ex suppositione quod operemur, debemus tutiorem partem amplecti, ne periculum peccati incurramus. Si vero facta debita diligentia inveniamus majora motiva cum excessu in parte minus tuta, illam tuto amplecti possumus. Hoc est quod habemus, hoc sentimus esse faciēdum ad conscientias dirigendas, & hoc in Auctoribus probis, & gravioribus quærendum. Non enim excludimus, nec illos relegamus. Sed dicimus quod ex eo quod tres, aut quatuor ex viris grauioribus talem opinionem defendant; per hoc præcise quod dicunt honestum, & tutum est, non est acquiescendum; sed ulterius conspiciendum, an dentur alii, vel æquè, aut majoris auctoritatis, & an motiua illis contraria sint urgentiora; & facta collatione inter utrinque motiua, eligi possit, quod probabilius judicatur cum excessu, etiam si sit pars minus tuta; sin autem, vel ab operatione cessandum, vel quod tutius est amplectendum.

801 Ut autem simus veri æstimatores studii, & diligentiæ circa inquirendam, & amplectendam doctrinam, quam legimus, aut audimus, ne in ejus electione, & admissione fallamur, & periclitemur, convenit audire D. Bernardum sapientissimum, verissimum, & prudentissimum Magistrum serm. de triplici custodia. *Utilis est frater* (ait) *qui tibi loquitur: sapiens est, Religiosus, timens Deum: plus dico: Angelus est, & Angelus lucis: etiam sic cave tibi, ne audias unde lædaris. Nec personam velim tibi suspectam esse, sed linguam; præsertim in sermonizatione communi. Bona quidem columbæ simplicitas, sed in hac parte prudentiam serpentis non omittas. Maria nec Angelicum quidem verbum sine discussione præteriens, qualis esset ista salutatio.*

802 Circa quam Bern. doctrinam Noster R. P. Fr. Idelphonsus à Jesu-Maria in illo suo opere vere utili, & erudito: Pericula, & instaurationes perfectionis, & pacis Religiosæ. tom. 1., 1. par. disc. 3. §. 3. Tria, inquit, in hac authoritate sunt ponderanda. Primum: quod in materia doctrinæ non est tutum cuique fidere, licet sit Angelus Dei; quoniam licet secura sit persona, & intentio recta, lingua vero est errori exposita. Secundum: quia licet optima sit simplicitas columbæ, hoc non sufficit, si desit serpentis astutia; nimirum attendere ab observationem capitis, quod est Christus, ejusque certa, ac tuta doctrina.

na. Tertium: quod, qui Beatissimæ Virginis titulo filiorum gloriamur, ipsam speciali studio imitari debemus in sedulo, & diligenti examine circa ea, quæ audierimus, licet Angeli sint, qui loquuntur; non contenti sola bona apparentia; sed curandum nobis ea attente discutere; ne forte afferant, quod nobis possit nocere ob non conformitatem ad doctrinam Evangelicam, & perfectionem. Cæterum animadvertendum hoc examen non facile esse, quia non sit necessaria gratia, & lux non exigua Cœlestis, ut rem attingere recte possimus. Hæc pius, & eruditus Pater. Quæ licet pro sermonibus, & consiliis scripta sint, non minus habent locum in doctrinis exaratis in libris, ut cauti simus in eligendo eorum doctrinam.

Ad id quod sup. n. 800. addebatur: nimirum, nec probabilioristas reputandos esse sapientes, dum probabilismum oppugnant. Negatur enim: quia saltem accedunt magis ad veritatem: fundamentis efficacioribus nituntur: immo, si bene percipiantur certis, & convincentibus, sumptis tam à ratione, quam ab auctoritate, ut ex propriis eorum tractatibus, & dictis in tota hac controversia cuilibet bene consideranti constabit.

803 Ex dictis præsertim in hoc art. colligi potest resolutio illius dubii: An dictum unius Doct. efficiat opinionem probabilem? Id breviter hic tangemus. Probabilistæ communiter docent authoritatē unius Doctoris gravis etiam ex modernis efficere opinionem in praxi probabilem, & tutam, sive in scriptis, sive in voce hoc afferat, etiā si sit contra communem, & contra omnes alios. Circa quod merito ait Joan. Mart. de Prado tom. 1. mor. cap. 1. qu. 2. n. 2. *Quod verissimum esset, si Doct. essent divinitus illustrati, & boni in gratia confirmati: sed cum: Omnis omo mendax: & non sit homo, qui non peccet; alia certior regula humanorum actuum est quærenda.* Itaq; quando dubium occurrens à Doct. disputatū, seu attactū non est, per se loquendo licitū est sequi in praxi unius Viri docti, & probi dictamen, dū redit rationē, (dū est pro libertate) probabiliorem, seu motiva urgentiora pro hac, quam pro parte contraria: tunc enim tale dictamen sequi non est contra prudentiam.

Sed notanda sunt verba D. Th. quodl. 3. art. 10. *In his vero, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores, nullus excusatur, si sequatur opinionem erroneam alicujus Magistri. In talibus enim ignorantia non excusat. Alioquin à peccato immunes fuissent, qui sequuti sunt opinionem Arrii, & Nestorii, & aliorum Hæresiarcharum &c.* Nonne isti existimabantur viri docti, & probi abiis, qui illorum opiniones amplectebantur.

Sed quid dicendum de homine rudi imperito, an licite operetur sequendo consilium viri docti cōmuniter reputati? Resp. quod si dubium est circa fidem, aut præcepta Decalogi, & similia, quæ scire tenetur juxta D.Th., non excusari, idemque apud alios Auctores est commune. Circa alia vero, quæ remotiora sunt, & exigunt majorem discursum, & intelligentiam, juxta communem sententiam excusari possunt. Et sic intelligunt. D.Th. Quia talis homo nequit inquirere, quæ sententiæ rectæ, aut communes sint, & alias esset onus intolerabile plus à tali homine exigere.

Ex quibus fit singularem sententiam Auctoris, siue antiqui, siue recentioris: quæ communi aliorum sententiæ repugnat, non facere uniuersaliter in praxi sufficientem probabilitatem tutam, ut docet Gonet., & alii plures Thomistæ, quos citat, & sequitur M. Ubigandt in Trib. Conf. tract. 2. exam. 3. n. 1. Et Jo: à S. Thoma in 1. 2. D. Th. disp. 12. art. 3. n. 33. ait: *Quod ut fundamenta, & rationes robur habeant, non sufficit ab uno tantum proferri; sed requiritur examen, & discussio plurium; quia jure morali plurium convenientia cum examine, & discussione rationum magnum pondus facit.* Tandem oportet animaduertere periculum in amplectenda doctrina afferente unum virum doctum efficere opinionem probabilem. Nam non rarò plures etiam semidocti, & alii parum versati in re morali, ut contingit in Theologis Scholasticis speculatiuis, sibi vendicant nomen sapientis, seu viri docti, & ab aliis sic existimantur, de quo D. Aug. sup. n. 797. Plures librum propriæ familiæ, seu nationis, vel quia emptum habent, licet sit summa breuis &c. existimantq; talium dictamen esse tutum: & misere decipiuntur.

QUÆSTIO V.

De requisitis ad usum licitum, & honestum opinionis probabilis.

EXclusis à sufficienti modo regulandi rectè conscientiam opinionibus, quæ pro libertate probabiliores notabiliter non sunt, sed tantùm æquè, vel minus probabiles, superest, ut videamus, an, & quomodo probabilitas ita sufficiat pro regula morum, ut sit recta, & sana doctrina; & quid ad hoc requiratur. Ex cujus declaratione refellitur de novo probabilitas Neothericorum.

ARTICULUS I.

An aliqua probabilitas sufficiat ad regulandam rectè conscientiam.

§. I.

Referuntur sententiæ.

804 ADeo varia sunt hominum ingenia, ut ferè nihil sit excogitabile, quod pro se non habeat patronum. In præsenti probabilitatis materia, præsertim hoc ita contingit. Pro sententiæ benignæ dilatatione, & extensione, eousque à suis professoribus peractum est, quod non defecerit probabilista docens, quod hoc ipso, quod in aliquo libro inveniatur doctrina aliqua, licèt obiter, & sine alicujus rationis fulcimento, si ab Ecclesia non erat proscripta, licitè, & honestè ad praxim deduci poterat; quod jam ab Alexandro VII. damnatum est in suo decreto proposit. 27. Et quamvis Viri graviores, & celebriores hanc latitudinem continuò rejecerunt (etsi amplecterentur probabilismum) & plures limitationes, & conditiones apposuerunt, ut licitus evadat usus sententiæ benignæ, etiamsi minus probabilis sit: tamen quia ibi non invenimus veritatem, nec quoad nos, quam quærimus, sed indifferentiam ad veritatem, & falsitatem, vel potius ad falsitatem majorē accessum, ideo illis convenire nequimus, ut in præcedentibus ostēdere curauimus, & deinceps etiam firmabimus.

Exaduerso alii viam dirigendi conscientias adeo coarctarunt, ut totaliter velint excludere omnem probabilitatem à licito, & rectitudine operandi. Pro ejusmodi sententia Caram. in suo Apolog. Romę prohibito num. 116. ait, Libertum Frontonum Doctorem Lovanien. docuisse, non posse non damnari apud Deum, qui relinquentes viam tutam, insistunt opinioni probabili: & sic opiniones, quæ sunt probabiles apud nos, non erunt probabiles apud Deū. Præterea Joann. Sinichius lib. 1. ca. 27. 87. & alibi vehementer invehitur contra omnem probabilitatem, ut naturæ rationali dissentaneam, ut nec liceat sequi opinionem inter probabiles probabilissimam: Sed hęc propositio jam damnata est ab Alex. VIII., & ejus liber Romæ prohibitus. Hunc modum dicendi nonnulli probabilistæ attribuunt Cajetano, & aliis anteprobabilistis, ut Mercoro, Fagnano, imo & D. Thomæ. Sed falsò, quia expresè docent contrarium: solùm enim docent requiri ad rectitudinem operationis quandam moralem certitudinem, quæ non excludit aliquam formidinem de opposito. Quare modum dicendi adeo rîgidum omnino rejicimus; sed cum D. Gregorio Nazianz. sentire volumus; qui orat. 26. ita inquit: *Virtutem excessus, & defectus peræquè labefactant; non secus ac ad regulam additio aliqua, aut subtractio: Nemo igitur sapientior sit, quàm conveniat, nec lege exactior, nec luce splendidior, nec norma rectior, nec præcepto divino sublimior.* Hoc igitur vehementer cupio à verissima prima regula, quantùm possum in nullo discre-

cre-

crepare; & sic nunc examinare (aspiciendo ad illam) requisita sufficientia pro licito, & recto usu probabilitatis.

§. II.

Certum est ad licitè operandum sufficere opinionem probabilem, dum ejus opposita est rationibus, & auctoritate destituta.

805 CONveniunt in hac assertione Theologi, & Canonistæ, exceptis num. præcedent. relatis, & aliis, si qui sunt, quorum notitiam non habemus. Itaque, casu quo examinatis accuratè utriusque partis motivis, & operans reperit rationes, & auctoritatem pro licito operationis; è contra verò non apparet illi motivum alicujus momenti pro illicito, potest dubium deponere: v. g. Pater habens plurima bona pro filiis, quæ pro eorum persona, & statu sunt superflua, dubitat, an possit in vita ultra quintam partem impendere in opera pia, & donationes remuneratorias? Quærit consilium, idque inuenit apud Nauar. tom. 1. consil. lib. 3., ubi de donat. consil. 9., in quo pro parte affirmativa respondit: & cùm sit tantæ auctoritatis scriptor, & motivum efficax, nec pro negatiua non sese offerat motiuum considerabile, potest Nauarri opinioni præfatus Pater assentiri, licet ejusmodi opinio non egrediatur terminos probabilitatis.

806 Probatur assertio I. ex Aristot. 1. Meth. cap. 2. in princ. *Impossibile est omnium habere demonstrationem*. Et 1. Ethic. cap. 3. *Discipuli nati est in unaquaque re certitudinem requirere juxta exigentiam materiæ*. Cùm autem in moralibus euidentia in pluribus haberi non possit, sufficiens erit quædam certitudo moralis, qualis in ejusmodi opinionum genere reperitur. Idem docet Ang. Doctor 2. 2. qu. 60. art. 3. ad 1. *In humanis actibus invenitur aliqua certitudo, non quidem, sicut in demonstrationibus, sed secundùm quod convenit tali materiæ*.

II. Hoc ipso, quod intellectus non inuenit motiuum pro aliquo ex duobus extremis, potest prudēter judicare id esse falsum, & per consequens etiam judicare opinionem pro extremo contrario esse veram, nam, ut docet D. Thom. quodl. 8. art. 13. *Ex duabus opinionibus de eodem, oportet unam esse veram, & alteram falsam*.

III. Quia aliàs nihil tutò ferè agere possemus; & obligaremur ad impossibilia, quod esset incidere in Jansenismum.

IV. Prob. ipsa experientia testante; nam certum existimamus dictum duorum, vel trium testium omni exceptione majorum, credimus scripturæ à publico Notario subscriptæ, & signatæ: & tamen non est euidens, nec excedit moralem certitudinem, seu probabilitatem (de qua procedit nostra assertio) testimonium ejusmodi, ex vi cujus in omni Republica homines prudenter se gerunt. Denique, ut statim dicemus, licitum est amplecti opinionem notabiliter probabiliorem, licèt contraria pro lege sit probabilis: ergo potius licitum erit in casu assertionis. Argumentis in contrarium infra §. 4. fit satis.

§. III.

Dum operanti apparet manifestè probabilior sententia, seu opinio minus tuta, licitum est ei juxta illam operari.

807 EXplicatur: Loquimur de opinione practica probabiliori, quæ versatur circa licitum, non verò de probabilitate speculativa, quæ versatur circa res ipsas, ut in opinionibus circa valorem Sacramentorum, veluti in illa; an valeat Baptismus sub illa forma: ego te baptizo in nomine Genitoris, &c. & aliis similibus, in quibus extra casum necessitatis earum usus illicitus est, juxtà decretum Innocent. XI. propos. 1. Deinde opinio debet apparere operanti probabilior, non utcumque, sed manifestè, seu notabiliter, & absque culpa, sine passione, pravo aliquo affectu, & facta diligentia seriò, & cum vera intentione inveniendi veritatem; quod maximè debet attendi. Multum namque inclinatione, passione, & affectu ad aliquem finem non rectum, nec secundum veram prudentiam mens obcœcatur, ut sibi persuadeat esse verum, & bonum, quod, purgato oculo, contrarium appareret. Ut enim notat Doctor Ang. 2. 2. qu. 60. art. 3. *Unusquisque faci-*

faciliter credit quod appetit.

Oportet igitur nos, ut non decipiamur, mentem nostram figere in æternitate, & ad memoriam reuocare, quam strictam rationem debemus tamdem reddere judici, cui cuncta, tametsi abstrusissima, patent; ipsumque ex corde deprecari: *Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me: doce me facere voluntatem tuam*, Psal. 118. Assertionem modò appositam non solùm docent antiprobabilistæ scribentes hac tempestate contra probabilismum, sed etiam Auctores antiqui, ut videre est in D. Antonin. Nauar. Cajet. Syluest. Tabiena, Armilla, Corduba, &c. Quantum ad probabilistas certum est, negari non posse usum licitum talis opinionis, immò asserunt esse optimum inquirere opiniones probabiliores, & non eligere minus tutas, dum sunt æquè, aut minus probabiles. Quare cùm ferè omnes in assertione nostra conueniant, non videtur necessarium in hoc negotio nimium cõsummere tempus.

808 Prob. 1. ex regula utriusque juris, quæ in ciuili est 114. & canonico 45. *Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consueuit*. Idemque determinatur in cap. Cappellanus de feriis, Clem. unic. §. fin. de Sum. Trin. §. Item pretium inst. de empt. & vendit. l. ideo quia. ff. de legib. & aliis jurib. Quæ quidem regula aliud non est, nisi principium naturale: & ideo ita seruatur in foro externo in omnibus Tribunalibus: & cum non fundetur in præsumptione, locum habet in foro internò juxta communiter receptam doctrinam. Et ex hoc principio venit intelligendum aliud axioma commune utriusque juris; nimirum: *In dubiis tutior pars est eligenda*. Itaut si verisimilius, certius, seu probabilius sit, de quo est controversia, & licèt non sit pro lege, sed pro libertate, & consequenter minus tutum, jura permittunt illud sectari, dum agitur de rebus necessariis necessitate præcepti; secus si necessarium sit necessitate medii: & ideo in rebus de pręcepto solùm est de consilio amplecti tutiorem partem minus probabilem, quia sic vitatur omne periculum etiam remotum.

809 Secundò probatur ex cap. inquisitioni de sent. excomm. Ubi Pontifex docet, Conjugem, qui certus non est de matrimonii valore, eò quòd habeat in contrarium, credulitatem, & conscientiam ex leuibus fundamentis, posse reddere, & petere debitum, deponendo dubium. Cùm autem operans habens fundamenta manifestè validiora pro licito operationis, possit existimare fundamenta pro parte tutiori esse leuia, poterit minus tutam eligere. Idem probatur ex cap. majores, de baptismo, ubi Pontifex etiam adhæret parti probabiliori.

Tertiò probatur auctoritate simul, & ratione D. Thomæ 2. 2. qu. 70. art. 2., ubi ait: *Secundùm Philosophum 1. Ethic. certitudo non est similiter quærenda in omni materia. In actibus enim humanis, in quibus constituuntur judicia, & exiguntur testimonia, non potest haberi certitudo demonstrativa, eò quòd sunt circa contingentia, & variabilia; & ideo sufficit probabilis certitudo, quæ ut in pluribus veritatem attingat, & si in paucioribus à veritate deficiat*. Ubi S. Doctor rationem moralem aptissimam assignat pro modo in hoc ordine licitè operandi; si adhæreamus opinionibus fundamenta præstantiora habentibus, etiam si minus tutæ sint. Quia ut in pluribus veritatem attingunt, & si in paucioribus à veritate deficiant; ac proinde prudenter existimare possumus opinionem notabiliter probabiliorem esse veram.

810 Contrarium verò existimandum est in opinionibus minus probabilibus; de quibus prudenter judicandum est esse regulariter, ut in pluribus falsas. De æqualiter probabilibus inter se oppositas non est nobis prudens ratio ad existimandum hanc, aut illam esse veram, aut falsam: Unde non adest prudens ratio, ut minus tutæ licitè adhærere possimus. Ratio D. Thomæ conspicitur habere locum in humanis commerciis, & in aliis prudentiæ generibus, in gubernativa, judicativa, militari, œconomica, &c., in quarum exercitiis in suo unoquoque procedunt homines non cum certitudine omnimoda, neque cum æquali, vel minori verisimilitudine, ubi datur aliquod imminens periculum. De quibus generibus prudentię agit S. Doct. 2. 2. qu. 50.

Quartò prob. ex S. Antonino 1. part. Sum. cap. 10. §. 10. *Certitudo* (ait) *quæ in mate-*

materia morali requiritur, non est certitudo evidentiæ, sed probabilis conjecturæ. Non enim consurgit certitudo moralis ex evidentia demonstrationis, sed ex probabilibus conjecturis, grosis, & figuralibus magis ad unam partem, quàm ad aliam se habentibus. Et confirmatur hoc ex D. Thoma, qui assensum quemlibet determinatũ nuncupat certitudinem in 3. sent. qu. 2. art. 2. qu. 3. *Certitudo*, inquit, *nihil aliud est, quàm determinatio intellectus ad unum; tantò autem major est certitudo, quantò fortiùs determinationem causat.* Et ad 1. *Certitudo fidei dicitur media inter certitudinem scientiæ, & opionis. Certitudo enim scientiæ consistit in duobus scilicet in evidentia, & firmitate adhæsionis: Certitudo fidei consistit in uno tantùm, scilicet infirmitate adhæsionis. Certitudo verò opinionis in neutro.* Hæc S. Doct. qui adhæsionem opinionis collocat, & illam accipere docet ex fortiori motivo ad partem, ad quam inclinatur, q. 14. de verit. art. 1.

§. IV.

Occurritur objectionibus desumptis ex doctrina SS. Patrum.

811 Obiicies 1. ex doctrina D. Bernardi lib. 5. de consider. ad Eug. c. 2. ubi plura docet, quæ usum opinionum clarè proscribunt. *Opinio* (inquit) *certitudinis nihil habens, verum per verisimilia quærit potius, quam aprahendit. Omnino in his cavenda confusio, ne aut incertum opinionis fidei figat, aut quod firmum, fixumque est fidei opinio revocet in quæstionem. Et sciendum hoc, quia opinio, si habet assertionem, temeraria est: fides si habet hæsitationem, infirma est &c.* igitur in doctrina Melliflui Doctoris non est licitus usus opinionum quantumcumque probabilium.

Resp. 1. D. Bern. loqui de opinione in genere, dum quis, per hoc quod invenit, vel judicat aliquid esse probabile, sine ulteriori examine partis contrariæ, an sit vera, vel an sit verum objectum, procedit ad operandum, tunc enim temerarie ageret juxta à nobis hactenus dicta. Secus dum re benè perpensa apparet objectum manifestè probabilius. Nec credibile est tantum Doctorem docuisse sententiam, quam nuper damnavit Alex. VIII.

Resp. 2. loqui S. Patrem de cognitione mysteriorum fidei, ut ipsius verba relata satis indicant. Certum est nos debere captivare intellectum in obsequium fidei, nec possumus illam deserendo nostris opinionibus niti, nec in dubium revocare ea, quæ fidei sunt. Quod S. Doctor docet ob quorumdam intellectus, qui volunt per suas ratiunculas mysteria adeò recondita metiri.

812 Obiicies 2. doctrinam D. Augustini, qui tantas in ordinationes, & absurda infert ex eo, quod quis regulet vitam ex probabili, ut videatur id pœnitus esse reiiciendum ab usu fidelium. Sed quia sup. q. 2. ar. 11. plures ex hoc S. Doctore auctoritates retulimus, præsertim ibi §. 1. in fine, illam ex lib. 3. contra accademicos, ubi videri possunt. Tamen quatenus videntur militare contra hanc nostram assertionem, Resp. D. Augustinum reiicere probabile in genere, ut ad D. Bernar. responsum est; probabilè verò, quod moraliter certum existimatur, minimè oppugnare. Primum rectè reiicit, quia probabile ut sic, nequit dicere conformitatem cum lege æterna, quia ad illam, & contra illam indifferens est; & sic non lex divina, sed judicium humanum esset prima regula. Deinde sequeretur nobis nihil esse timendum de passionibus, pravis consuetudinibus, sugestionibus diabolicis, erroribus, ignorantiis, ob quæ plerumque homines existimant malum bonum, & sibi saltem probabile videtur. Etiam sequeretur Gentiles, Judæos, Turcas, Hæreticos &c, dum obstinatè credunt, & defendunt suos errores, divinaque blasphemantes, aliaque scelera exercentes honestè, & licitè operari: quia omnes hi probabile, imò certò judicant (licet passim decepti) veriora sua pestifera dogmata, quam mysteria nostræ fidei. Hæc intendit refellere D. Augustinus; & etiam illas opiniones probabiles, in quibus non quæritur veritas, sed æquè admittunt tam falsitatem, quam veritatem. Non verò excludit opiniones delicito certò moraliter certitudine explicata: ut expresè docet lib. 2. de doctr. Christ. c. 8. & refertur in c. 6. dist. 19. ibi: *In his, quæ non acci-*

piuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures, gravioresque recipiunt, eis, quas pauciores, minorisque auctoritatis Ecclesiæ tenent. Si autem aliàs invenerit à pluribus, aliàs gravioribus haberi, quamvis hoc inveniri non possit, æqualis auctoritatis, eas habendas puto.

813 Tertiò obiicies ex eod. D. Augustino homil. 41. relato in c. Si quis autem de pœnit. dist. 7. ibi: *tene certum, dimitte incertum*: sed omnis opinio licèt probabilis habet secum formidinem, & consequenter incertitudinem: ergo &c. confirmat. ad licitè operandum requiritur, quod formetur judicium prudentiæ practicum ultimum omninò certum, & evidens: at hoc fieri nequit ex vi opinionis probabilis, quæ ut talis excludit omnimodam certitudinem, non enim ex principiis probabilibus, & incertis potest concludi judicium omninò certum: ergo.

Resp. ad auctoritatem, ly certum non intelligi de omnimoda certitudine, sed de morali jam explicata, & ex ipso S. Doctore constat hanc sufficere, ut ex loco citato visum est, & ex alio supra q. 2. ar. 12. §. 1. n. 554. adducto.

Ad confirmationem dicimus potius militare contra probabilistas requirentes illam omnimodam certitudinem in judicio practico ultimo. Quod licet conentur adstruere ex suis principiis reflexis, cum hæc omnia certa non sint, sed fallacia, frustra nituntur ex illis inferre ejusmodi certitudinem evidentem. In nostro modo dicendi sufficit certitudo moralis, ut probatum est ex D. Th. neque SS. Patres, nec antiqui aliam cognoverunt, nec requisierunt, de quo fusius ar. seq.

814 Obiicies 4. Ex D. Th. quodl. 7. ar. 5. *Omnis quæstio, in qua de mortali peccato agitur, nisi expressè veritas habeatur, periculo se determinatur*. Sed per opinionem non habetur expressè veritas. Ergo: & quodl. 8. ar. 17. docet, quod sic operans, *in quamdam dubitationem inducitur, & sic si manente tali dubitatione plures præbendas habeat, periculo se committit, & sic proculdubio peccat*. Resp. Mentem Ang. Doctoris satis constare ex auctoritatibus ejus supra adductis, & ex allatis sup. q. 12. ar. 11. à n. 534. Rectè igitur docet quæstionem, in qua agitur de peccato mortali periculosè determinari: nam in regula probabilitatis, est periculum errandi, eò quod aliquando fallit, & ideò timere quisque potest, an in hoc casu erret, aut fallat opinio, etiam si probabilior sit secundum se; quia forte occurrit circunstantia, ratione cujus detur exceptio. Et ideò advitandum periculum diligens attentio debet adhiberi pro invenienda veritate, qua diligentia posita, si illam expressè invenire non possit, sufficit certitudo de veritate jam explicata.

Ad locum ex quodl. 8. diximus sup. d. ar. 12. n. 538. Etenim licet operans habeat prædictam certitudinem moralem, seu opinionem manifestè probabiliorem, solet mens adhuc fluctuare, & in quandam dubitationem induci. Quòd in negotiis humanis passim experimur: & qui in nullo dubitant, potius ignorantes sunt. Hoc igitur tempore dum quis dubitat, si operetur non deposito dubio, proculdubio peccat. Hoc, & non aliud docet D. Th., & omnes debemus dicere, etiam probabilistæ: nam etiam in via sententiæ benignæ si in opinione certò probabili non quiescit practicè intellectus, sed dubitat, & stante dubitatione, operatur, peccat.

Et quòd non exigat D. Th. aliam majorem certitudinem, quàm jam explicatam, constat ex doctrina ipsius 1. 2. q. 57. ar. 5. Ubi assignat rationem à priori: nimirum: ut quis licitè agat, sufficit habere dictamen prudentiæ, quæ est propriè, & simpliciter talis: qui autem operatur cùm opinione probabiliori modo explicato, agit secundum prudentiæ dictamen simpliciter talis, prudentia enim, cum sit circa operationes humanas moraliter eliciendas, quæ circa contingentia versantur, non exigit evidentiam, seu omnimodam certitudinem ad ejus directionem; siquidem talis certitudo passim est impossibilis, & esset exigerere impossibilia humano modo operantibus: sufficit ergo objectum se habere manifestè magis ad verum, quàm ad falsum ad prudenter operandum.

§. V.

§. V.

Difficili objectioni fit satis.

815 OBiicies ultimo, & difficilius: in principiis antiprobabilistarum cadit sub præcepto illud: *In dubiis tutior pars est eligenda*; adeò, ut etsi detur æqualis probabilitas pro utraque parte, intellectus manet suspensus, nec potest prudenter, quod minus tutum eligere: sed quantumvis probabilis sit opinio pro libertate, & contra legem, est minus tuta, & contraria tutior: ergo etiam si probabilior sit, eligi non potest. Conf. 1. ideò impugnatis opiniones æquè, vel minus probabiles, dum sunt contra legem; quia in earum electione datur periculum frangendi divinam legem, & operandi contra divinam voluntatem, quod vitare tenemur: juxta illud: *Qui amat periculum, in illo peribit*: sed quamvis opinio sit probabilior, id periculum datur; imò hoc ipso quod quis opinatur, timet rem fortasse se aliter habere: ergo non potest regulare actionem suam ad conformitatem cum lege divina.

Confirm. 2. regulariter Auctores vestri oppugnant sententiam nostram benignam hoc exemplo: Pone Petrum seligere centum opiniones minus, vel æquè probabiles, & habere efficacem animum illas omnes ad praxim reducturum. Certissimum est de facto amplecti plures, & fortè majorem partem illarum, quæ falsæ sunt, & contrariæ divinæ voluntati, & legi Dei, à qua non possunt regulari. Tunc sic: Hoc ipso exemplo arguitur contra vestram assertionem. Si Petrus seligeret alias centum opiniones etiam probabiliores, se etiam exponeret eidem periculo violandi in pluribus legem divinam; siquidem aliquæ ex illo numero essent falsæ: ergo eadem difficultas datur in vestra sententia rigida, ac in nostra benigna, ac proinde vel possumus adhærere opinioni minus probabili, vel non possumus etiam probabiliorem sectari.

816 Hoc argumentum retorquent probabilistę, contra suam sententiam impugnãtes, sed quantum distat illorum doctrina à nostra pro regulanda conscientia, & quàm majora, & evidentiora inconvenientia ex suis principiis oriuntur, vel ipsi nequeunt non perspicuè videre. Unde ipsi nobiscum sentiunt tutam esse nostram viam, & de consilio, ut in plurimum amplectendam. Quare ipsi tenentur etiam respondere objectioni, quæ licèt contra ipsos efficaciter probet, non tamen contra nostrum modum regulandi conscientiam.

Ad objectionem ergo respond. Illud principium de tutiore parte eligenda, licèt contineat præceptum, explicari per aliam juris regulam: *Inspicimus in obscuris quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit*. Quare dum opinio habet præstantiora motiva, habet quamdam moralem certitudinem, unde absolutè, & simpliciter tuta existimatur, & licitus ejus usus. Et si aliquod datur periculum contra legem agendi, est remotum, nec datur obligatio illud vitandi; aliàs homines ad impossibile obligarentur, cum habere omnimodam certitudinem in omnibus sit supra humanam conditionem. Hoc autem non habet locum in sententia benigna; licèt enim probabilistæ velint dicere, nos ad impossibilia homines obligare, efficaciter hoc nequeunt probare; sed potius contrarium à nostris probatur per juris principia, textus canonicos, auctoritatem, & rationes non parum urgentes.

817 Ex quibus constat responsio ad primam confirmationem. Nos enim benignam sententiam impugnamus, non ob quodcũque periculum, sed quia proximum est. Etenim cum opinio æquè probabilis sit indifferens immediatè ad verum, & falsum; ad malum, & bonum; quis negare poterit dari tale periculum proximum? In nostra verò sententia periculum est remotum, & obligatio pro illo vitando est supra modum conditionis humanæ: alioquin si omne periculum teneremur vitare, deberemus exire de mundo, ut Apostolus loquitur de communicatione cum fornicariis, avaris, aut rapacibus hujus mundi. 1. ad Cor. c. 5.

818 Ad secundam confirmationem etiã ex dictis respondetur admittendo in tali casu esse contingens nonnullas ex illis sententiis non esse veras: sed quia raræ sunt, & ut in plurimum opinio, hoc ipso, quod probabilior, potest vera existimari, dum divisivè in casu particulari occurrit, potest

etiam procedente tempore quælibet illarum eligi, & consequenter habere intentionem omnes illas ad praxim deducere. Et quamvis inferatur aliquam, vel paucas non habituras conformitatem ad legem divinam, cum hoc de qualibet in particulari ignoretur, non datur obligatio vitandi hoc periculum, & erit ignorantia invincibilis, & violatio materialis, & non imputabilis. Nam obligari hominem ad amplectendas opiniones tutiores, etiam si oppositæ sint manifeste probabiliores, est contra communem, & receptissimam sententiam, utpotè supra possibilitatem conditionis humanæ, & aliàs ex illis centum probabilioribus non cognoscitur, quæ determinatè sit falsa, nec tenetur vitare magis hanc, quam illam: ergo vel omnes, vel nullam vitare tenetur.

819 Dices cum Auctoribus benignis: Etiam praxis vestræ sententiæ est supra modum regulariter possibilem conditionis humanæ: Siquidem præter difficultatem amplectendi, & exequendi operationes tutiores, ubi non datur pro libertate opinio manifestè probabilior, adest passim ardua difficultas discernendi, quænam opiniones sint magis, vel minus probabiles: Sed propter ejusmodi difficultatem asseritis non teneri hominem sequi semper quod est tutius: ergo vel hoc non debetis admittere, vel nobiscum consentire circa sententiam benignam.

Respond. nego maj. Nec datur tanta difficultas discernendi inter opiniones, & resolvendi dubia ad regulandas conscientias in via, quam appellant rigidam; & licèt detur difficultas, non sunt divina præcepta solvenda, quia difficilia, de quo agimus infra à num. 1006. per tot. art. Et instatur, & declaratur in aliis generibus actionum humanarum. Dux prudens militiæ, legislator prudens, prudens mercator, & qui prudenter se gerunt in omnibus actionibus, & negotiis temporalibus, non aggrediuntur, aut exercent, quæ ad eorum munus attinet, nisi quod verisimilius, aut certum existimant habiturum bonum exitum: non verò id, in quo æquè, vel magis judicant subituros detrimentum. Si ergo circa res transitorias, & parvi momenti ita se gerunt homines, licèt plures occurrant difficultates, quid oportet nos facere in rebus tanti momenti, ut est divina voluntas, & salus animæ æterna?

Secundo respond. ad 2. confirmat. negando posse hominem licitè habere absolutè intentionem ad praxim deducendi illas centum opiniones probabiliores: Quia posset contingere, procedente tempore, mutare judicium benè perpensis aliquarum fundamentis, & existimare non esse probabiliores tempore executionis, aut ratione alicujus circunstantiæ. Quare solùm esset licita illa intentio hac conditione, dummodò tempore executionis existimet, quamlibet esse probabiliorem.

ARTICULUS II.

Utrum ad licitè, & honestè operandum requiratur, quod ultimum dictamen conscientiæ practicum sit absolutè certum, & evidens?

820 MAgnum versatur dissidium inter Theologos circa modum formandi judicium, seu dictamen consciétiæ practicum sufficiens, seu necessarium ad rectè eliciendas operationes morales. Probabilistæ, præsertim reflexistæ, volunt necessarium esse operanti habere tale judicium certum omninò, & evidens; adeout si hac certitudine careat, delinquat juxta qualitatem materiæ, dum ita adhæret parti minus tutæ, ob periculum imputabile violandi divinam legem. Quod mirum videtur; nam cùm sint adeo benigni in complanando viam ad superos per quodcumque probabile, in cujus sequela sese offert tanta latitudo, & conscientiæ levamen; tandem deveniendo ad postremum requisitum pro formanda conscientiæ rectitudine, se ipsos ostendunt non parum rigidos. Et si benè tale requisitum perpendatur, devenitur ad rem valdè arduam, licèt ipsi illam facillimam decantant, ut à modo ostendetur.

Econtrà antiprobabilistæ, tametsi ab adversariis, ut rigidi publicentur, in hac parte benignè procedunt, docentes sufficere certitudinem moralem in ultimo judicio practico; animadvertendo, quod sicut datur

tur in rebus moralibus diversitas objectorum, rerum, seu actionum, & consequenter diversitas præceptorum exigentium magis, vel minus strictam obligationem, sic requirunt juxta earum qualitatem majorem, vel minorem certitudinem. Planè nō est facilis resolutio præsentis assumpti, & difficilius, quod omnibus placeat hac tempestate, cum tot dentur auctorum placita, ex quibus alii videtur nimis dilatare viam, quam Christus Dominus in Evangelio nobis ostendit: alii verò nimis illam videntur restringere; in quo debemus attendere, nè procedamus arbitrio proprio, sed juxta Apostoli monitum, 2. Cor. cap.10. *Secundùm mensuram regulæ, qua mensus est Dominus*. Aliter verò sive laxando, sive restringendo, declinabimus à via veritatis, & à regula veræ rectitudinis: Nam, ut docet D.Hieronymus in Matth.cap.6. *Si à recta via paululum declinaveris, non interest, utrum ad dexteram vadas, an ad sinistram, cum verum iter ammiseris*.

§. I.

Judicium ultimum practicum, prout assignatur à probabilistis, nullo modo est absolutè certum, & evidens, sed illegitimè illatum.

821 Notandum, quod plures ex auctoribus sententiæ benignę, pręsertim recentiores ita assignant judicium ultimum practicum, & illud adstruunt tanquam dogma, seu principium in via probabilismi; unde tale judicium nobis proponunt ut infallibile, & valdè facilè. Si autem aliquis dicat plures, vel majorem, & nobiliorem partem probabilistarum non exigere evidentiam, & tantam certitudinem simpliciter infallibilem, sed vel signatè affirmare debere esse certum moraliter, vel solum dicere, debere certum esse: Si hoc dicas, non inficiamur, imò ita præsumimus esse intelligendos. Cœterum, quia alii plures præfatam infallibilem certitudinem requirunt, & consequenter infallibilem securitatem depredicant, hoc dicimus non conformari veritati, nec Sacræ Scripturæ, nec doctrinæ SS.Patrum.

Probatur 1. Non est principium unde inferatur talis securitas, & certitudo infallibilis; nam non aliunde inferunt, & deducunt, nisi ex suis principiis reflexis: nimirum: qui operatur probabiliter, operantur prudenter; ex non promulgatione legis, possessione libertatis, &c. Hęc autem principia sunt fallibilia, ut constat ex hactenus dictis in hoc opere: & quamvis illa ut inconcussa conantur stabilire, non apparet unde, neque id consequuntur: immò ex probabilistis celebrioribus multi illa rejiciunt ut falsa, & talē certitudinem refellunt, quos dabimus infra §.4. Deinde omnes antiprobabilistæ auctoritate, & urgentissimis rationibus eadem oppugnant; & consequenter dictamen ex illis principiis deductum non habere majorem certitudinem, quàm opiniones directas, ex quibus colligitur, & formatur: quis poterit negare tantorun Doctorum sententiam esse probabilem? Ergo doctrina contraria de prædicans dictamen ultimum esse infallibiliter certum, non excedit ordinem opinativum probabilem: & consequenter est falsum, esse infallibiliter certum, & tribuere infallibilem securitatem.

Confirmatur. Dum opinio est tantum æquè, vel minus probabilis; æquè, vel magis existimatur esse contra divinam voluntatem; nec per principia reflexa mutatur divina voluntas, nec objectum in se accipit aliquid veritatis, & falsitatis, ut supra sæpè statutum est, & ex se constat: ergo sicut antea intellectus ex vi opinionis directæ ejusmodi certitudinem, & securitatem non poterat habere, neque ex artificio reflexionis illam potuit deducere.

822 Probatur 2. ex Scriptura Sacra, & SS.Patribus, quibus potius stare debemus, quàm nostris fallibilibus discursibus. Nam omnes Libri sacri pleni sunt verbis incutientibus nobis timorem, & admonentibus non assentiri tantæ certitudini, & tali securitati, Psal.2. *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore*. Psal. 18. *Delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me*. Apost.1.Cor.4. *Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non justificatus sum. Qui autem judicat me, Dominus est*. Et ad Philip. cap.2. *Cum metu, & tremore vestram salutem operamini*. Et Apoc.3. Christus Dom. quemdam admonet, & in illo omnibus nobis loqui-

quitur: *Dicis, quia dives sum* (in charitate, & aliis virtutibus, ut ibi exponitur, & tamen addit) *& nescis, quia pauper es, miser, miserabilis, pauper, & nudus*.

823 Scitum est illud Job cap. 9. *Verebar omnia opera mea*. Ubi D. Greg. *Quid ergo vir sanctus sua opera verebatur, qui illa semper exhibuit, ex quibus placari Deus erga iniquitates solet? quid ergo est, quod mira opera faciens, hac ipsa veretur pavens, dum dicit: verebar omnia opera: nisi quod in Sancti viri actibus, verbisque colligimus, ut si placere Deo veraciter cupimus, postquam perversa subigimus, ipsa in nobis bene gesta timeamus?* Deinde idem S. Job. c. 3. ait: *Viro cui abscondita est vita, & circumdedit ei Deus tenebris*. Ubi etiam S. Greg. *Est autem, & alia vitę nostrę absconsio. Quia nonnumquā ea ipsa, quę rectè nos agere credimus, an in stricti judicis examine recta sint ignoramus. Sępè opus nostrum causa damnationis, quod profectus putatur esse virtutis. Sępè unde placari Judex creditur, inde ad irascendum placidus instigatur, Salomone attestante, qui ait: Est via, quę videtur homini recta, & novissima illius ducunt ad mortem. Unde Sancti Viri cum mala superant, sua etiam bona gesta formidant, ne cum bona agere appetunt, de actionis imagine fallantur; ne pestifera tabes putredinis sub boni specie lateat coloris. Scimus enim, quia corruptionis adhuc pondere gravitati dijudicare bona subtiliter nesciunt: Et cum ante oculos extremi examinis regulam deducant, hęc ipsa in se nonnunquam, & quę approbant metuunt, & tota quidem mente interna desiderant, sed tamen de incertitudine operum, trepidi, quo gradiuntur, ignorant*. Hæc Sanctiss. Doctor. cujus libri pleni sunt hujusmodi doctrina.

Quid cum hac sapientia cœlesti, certitudo, & securitas infallibiler nixa opinionibus æquæ, vel minus probabilibus, & minus tutis? *Quid est aliud pestifera labes putredinis, sub boni coloris specie latens? Quid vitia sub virtutis specie tecta*: Nisi actus per se illiciti, qui à nobis liciti, & boni, falsa verisimilitudine videantur? Et propterea S. Doctor trepidos nos semper, si justi sumus, esse jubet, ne fortè Deo displiceat, quod à nobis rectum existimatur, & approbatur.

824 Contemplans eadem Job relata verba: *Verebar omnia opera*, D. Bernar. serm. 3. de Adventu D. paulo ante fin. *Sapiens*, ait, *veretur omnia opera sua, scrutatur, discutit, & dijudicat, honorat quippe veritatē*, (attende) *qui & se, & sua omnia in eo statu, quo veritas habet agnoscit veraciter, & humiliter confitetur*. Et tract. de forma honestæ vitæ ad med. *Pone providentię modum, ne sapiens tibi videaris. Semper, & ubique atque in omnibus operibus, time, ne fortè excedas in aliquo: hic B. Iob verebar inquit omnia opera mea*. Et Epist. 306. de se in praxi testatur. *Vereor omnia opera mea, & quod operor non intelligo*. Ubi igitur est illa evidentia, & certitudo infallibilis de honestate operationis? peccabat ne tunc Vir Sanctissimus?

D. Augustinus lib. 22. de Civit. Dei cap. 23. loquęns de justis ait: *Continuis vigiliis excubant, ne opinio verisimilis fallat, ne decipiat sermo versutus, ne se tenebra alicujus erroris offundant; ne quod bonum est malum, quod malum est, bonum esse dicatur: Ne ab iis, quæ agenda sunt metus revocet: ne in ea, quæ agenda non sunt cupido præcipitet*. Et horum rationem assignat ser. 12. de temp. *Nam voluntatis propensio auctoritatem vitiis quærit, & quod malum est bonum, aut bono proximum esse suadeat*. Hæc est securitas, quam veri Theologi, & Ecclesiæ Sanctæ lumina nobis tribuunt, & docent verbis, & operibus.

825 Quibus simillimus est stylus, & doctrina cœlestes Magistræ, & Sanctiss. Matris N. Theresiæ, ex lib. Mansionum mans. 7. cap. 4. Cujus scripta plena sunt verbis, quibus indicat, qualiter semper omnia opera sua verebatur, continuòque admonens quantum debemus opera nostra etiam bona formidare. Et quod magis est commendatione dignum: cum in septimis Mansionibus describeret statum animarum illarum, quæ ad supremum Sanctitatis gradum pertingunt, & in terris potius cœlestem vitam agunt, affirmat de illis procul esse ab omni peccato, & ab omni imperfectione morali; & tamen hoc cautè accipit, & prudenter exponit, dicens: *Nec vero putetis has animas, eò quod adeò ingentibus desideriis teneantur, & determinatione non committendi, vel unam imperfectionem ob*

totum

totum mundum, propterea non admittere plures, immo, & peccata: non autem cum advertentia: nam ad hoc videtur illas Deus auxilio valde speciali adjuvare, peccata inquam venialia: nam de mortalibus, quæ ipsæ cognoscant, liberę sunt quamvis non securæ, ne forsitan aliqua habeant: quod non leviter illas cruciabit. Hæc nos docet cœlestis Magistra, doctrina in superno gymnasio comparata. Aliena ergo videtur illa infallibilis, & evidens certitudo judicii practici à doctrina scripturæ,& SS.Patrum, & omnimoda securitas, quam promittunt auctores benigni media quacumque probabilitate ab ipsis admissa, vel ex vi suarum reflexionum.

S. I I.

Assignatur certitudo requisita, & sufficiens ad judicium ultimum practicum, ut quisque possit honeste operari.

826 Dicendum est, ad licitè, & honestè operandum requiri, & sufficere regulariter in judicio ultimo practico certitudinem moralem juxta modum humanum, quæ componitur cum aliquo timore, vel formidine; non ita, quod intellectus judicet, quod fortè fallitur, sed quod forte poterit non ita esse. Pro cujus intelligentia est præsupponendum triplicem esse certitudinem, ut docet D. Th. loco citato sup. art. præced. §. 3. in fine. Prima fidei Divinæ: quæ absolute dicitur talis, & concretum etiam dicitur absolute certum, quia perfecte est tale, & simpliciter infallibile; & excedit spheram probabilitatis. Quandoque vero dicitur certitudo moralis, quia concernit materiam morum. Secunda certitudo est scientiæ, cui conveniunt, quæ dicta sunt de certitudine fidei, cum differentia, quod fidei certitudo est obscura, scientiæ vero evidens. Tertia vero est certitudo moralis; quæ in rigore non distinguitur à certitudine probabili, ut ibi docet D. Th. Solet tamen distingui à probabilitate;quatenus per certitudinem moralem intenditur significari notabilior, & insignior aliqua probabilitas; quæ recedat longe à fallibilitate, & propinquius accedat ad perfectam certitudinem.

Quare quoties absolutè profertur moralis certitudo in materia morali, solum intenditur significari probabilitas prudens, solida, connexaque moraliter cum veritate. Ut docet Divus Thomas & Philosophus, uterque in proœm Ethic.. & vera Theologia statuit. Non vero significatur per hanc moralem certitudinem probabilitas vaga, aut pure apparens, aut præscindens à vero, & falso; à bono, & malo, & quæ utrique communis sit, etiamsi formaliter, & in mente operantis existat. Hæc enim nullatenus certitudo dici potest, cum non dicat determinationem ad veritatem, in qua consistit certitudo.

827 Hoc supposito probatur posita assertio auctoritate, & ratione ex D.Th. 1.2. qu. 96. art. 1. ad 3. *Non est eadem certitudo quærenda in omnibus, ut in 1. Ethic. dicitur: Unde in rebus contingentibus (sicut sunt naturalia, & res humanæ) sufficit talis certitudo,ut aliquid sit verum ut in pluribus, licet interdum deficiat in paucioribus.* Et idem docet 2. 2. q. 60. art. 3. ad 1. ex quibus verbis sic formatur ratio. Qui de quolibet objecto judicat juxta propriæ naturæ conditionem, & juxta ipsius objecti naturam, rectè, & prudentèr judicat: Sed qui de agibilibus, & contingentibus judicat per judicium ultimum practicum, probabile probabilitate à nobis assignata, judicat juxta conditionem, & naturam objecti propriam:ergo qui per hujusmodi judicium judicat de agendis,rectè, & prudenter operatur: ac proinde agens ex tali judicio(saltem ordinarie) recte operatur.

Confirmatur auctoritate, & simul ratione D.Antonini 1.par.sum.tit.3. cap.10. §. 10. *Tertia conditio, inquit moralis, seu civilis tangitur in principio Ethicorum, ubi dicitur: Quod disciplinati est in unaquaque certitudinem quærere juxta exigentiam materiæ. Æquè enim vitiosum est persuadentem quærere Mathematicum, & Moralem demonstrantem. Non enim consurgit certitudo moralis ex evidentia demonstrationis; sed ex probabilibus conjecturis grossis, & figuralibus, magis ad unam partem, quam ad aliam se habentem. Dicitur autem probabile, quod à pluribus, & maxime sapientibus apparet verum. Ex hoc igitur sequitur, quod in humanis agibilibus sufficit talis*

certi-

certitudo, quæ non semper scrupulos omnes abjiciat, sed sufficit ut contemnat. In hoc brevi compendio docuit Sanctissimus, & sapientissimus Præsul, quidquid poterat desiderari pro resolutione controversiæ de probabilitate, quæ hodie adeò difficilis reddita est, & tot laberinthis intricata. Idem, quod D. Antoninus, docebant antiqui Theologi pro formanda rectè conscientia propositionibus directis, & dictamine practico conscientiæ cum eadem morali certitudine.

828 Ulterius idem confirmatur. *Sapientia* (ut nos docet ejus liber cap. 8.) *attingens à fine usque ad finem, & disponens omnia suaviter in numero pondere, & mensura*, & D. Aug. in Psal. 102. *Alia obsequia exigit ab hominibus, alia ab Angelis*. Divina igitur providentia non obligat homines in suis operationibus ad modum extraordinarium: Sed judicia hominum de rebus moralibus ex sua conditione sunt fallibilia; Nec possunt homines veritates morales, etiam diligenter quæsitas, consequi cognitione evidenti regulariter, & ut in plurimum. Ergo sufficiens est certitudo moralis à nobis assignata etiam in ultimo judicio practico.

829 Ostenditur manifestè ex ipsa experientia. Accedamus ad ipsos probabilistas, qui adeò commendant certitudinem, & evidentiam dictaminis practici ultimi ex artificio sui probabilismi. Et certè difficulter respondebunt se in cunctis actionibus concludere apud se prorsus infallibiliter suarum operationum honestatem. Unde hanc omnimodam certitudinem credere possumus in tanta varietate actionum, & negotiorum comparari adeò facilè posse? ita quod non sit necesse cuilibet dicere, & deprecari: *ab occultis meis munda me Domine*. Multoties Theologus, & Confessarius resolvit casus, seu dubia, quæ in libris non reperiuntur attacta: nihilominus ex principiis, ex aliis similibus casibus probabiliter resolvuntur: unde constat Theologo, & Confessario evidenter nihil diligentiæ omisisse pro recta, & debita resolutione? Th. Sanch. & N. Ant. à Spir. Sancto, & alii plures probabilistę ejusmodi novas resolutiones in lucem ediderunt: si ab ipsis quæreretur: unde vestrum judicium evidens in illis formatum est; ita quod omnia ad hoc peragendum vos præstitistis; & hoc evidenter vobis constat?

Prælatus applicat subdito gravem pęnitentiam, seu in re gravi contra illum sententiam pronuntiat: facilè ne evidenter cognoscit, nec deficere, nec excedere; & alias mortaliter peccaret? Quid de Confessario, quomodo illi evidenter constare potest, quod facit reipsa quantum debet, nec aliquid omittit in cognoscendo, & disponendo pœnitentes, ut integrè confiteantur numerum, species, circunstantias, peccatorum; dolorem, propositum efficax, instruendo, ab ignorantiis liberando, & pœnitentiam proportionatam imponendo, & aliàs, indebitè exercet suum munus? Quis si deberet elicere tale judicium practicum infallibile, auderet officium Confessarii gerere? Quis officium Prælati admittere? Quid de summo Pontifice, Cardinalibus, Episcopis in adeo difficilibus negotiis passim occurrentibus? Sint ipsorum Prælatorum, & Confessorum conscientiæ testes, an polleant tali omnimoda certitudine, & securitate, quantumvis innumeris reflexionibus utantur. Concluditur ergo tandem probabilismum potius in Rigorismum incidere striĉtiorem, quam ipsimet probabilistæ suis adversariis attribuunt.

§. III.

Enodantur argumenta contraria.

830 Arg. 1. Hoc ipso, quod objectum sit verè probabile, vel in via probabilismi, vel juxta modum probabilioristarum, conveniunt in eo, quod actio imperatur, seu dirigitur à prudentia: ergo juxta utrumque modum dicendi debet dari tunc judicium practicum verum perfecta certitudine. Ant. supponitur: & conseq. probatur. Veritas judicii practici sumitur per ordinem ad appetitum rectum, ut docet D. Th. pluribus in locis, & ideo tunc est verum, quando tali appetitui conformatur: Sed hæc conformitas semper invenitur in judicio prudentiæ; quia semper consonat appetitui recto operari eo modo, quo prudentia judicat, vel imperat:

rat: ergò repugnat operari honestè, & secundum prudentiam, & quòd judicium practicum non sit verum perfecta certitudine.

Confirm. Nam prædictum judicium solum dictat conveniens esse, & consonum appetitui recto operari hic, & nunc sic, sicut de facto operatur; quòd est perpetuo verum, & nulli falsitati expositum, ut in casu adorationis hostiæ: judicium practicum non judicat hostiam esse consecratam, aut coram Deo esse dignam adoratione; hoc enim est munus judicii speculativi antecedentis: sed dictat conveniens esse, & recto appetitui conforme adorare hic, & nunc illam hostiam, quam morali certitudine judicat esse consecratam. Sic etiam in aliis judiciis quamvis tantum moraliter certis nulla falsitas esse poterit; quia adesse pro nunc prædictam convenientiam semper fuit, & erit verum. Hujus confirmationis doctrina videtur adeò consona principiis D. Th. ut illam doceant N. Salmanticenses t. 3. in 1. 2. quæst. 57. in not. ad art. 5.

831 Confirm. 2. supposita sententia nostra de licito usu opinionis probabilioris minus tutæ, licet hæc non excedat limites probabilitatis, sufficit ad formandum prudens judicium pro licito operationis, eò quòd non requiritur, nisi certitudo moralis imperfecta: ex quo formatur hic discursus: certissimum est sufficere, & requiri pro rectitudine operationis certitudinem moralem, licet imperfectam, & contrarium semper requirere, esset exigere impossibile: hæc est doctrina nostra: sed non est difficile hoc cognoscere; immo dicimus quòd operans debet existimare, & cognoscere habere judicium practicum saltem certitudine morali imperfecta: ergo debet esse omninò certus de rectitudine operationis. Debet ergo in nostris principiis operans elicere hunc discursum ad rectè operandum; qui constat ex propositionibus reflexis: ergo licèt excludamus reflexas probabilismi illas in nostra sententia admittere tenemur.

832 Respon. ad argumentum, quod quantum ad modum dicendi probabilistarum, repugnat formari judicium evidens practicum in suis principiis; ut in hoc exemplo: quod est probabile, est licitum: posse pingere est probabile: ergo licitum. Hoc ultimum judicium solum potest evadere probabile: licet applicentur omnes probabilismi reflexiones; ut supra in discursu hujus controversiæ ostensum est; nisi appellatio fiat ad legem antecedentem, seu reflexam, de qua, & de inconvenientibus positionis illius dictum est supra à n. *665*. Quare negatur antecedens argumenti: ***quod hoc ipso quod objectum sit probabile utcumque; actio circa illud imperetur, seu dirigatur à prudentia.***

833 Quantum verò ad nostrum modum dicendi est difficultas. Pro ejus explicatione est notandum, nos nequaquam dicere, quod non possit multoties dari, & de facto adesse judicium omninò certum de honestate operationis, sed quòd necessariò non exigitur. Dum ergo reipsa datur tale judicium in se certum, etiam certum est à prudentia dirigi, & imperari: quia tunc est capax, ut à prudentia reguletur. At verò si judicium deductum ex opinione probabiliori non conformatur cum objecto, ut est in se, est erroneum, & sic à prudentia revera non imperatur, ut dicitur infrà n.*869*. & in hoc sensu concedimus antec. argumenti. Et neg. conseq. ad probationem conceditur mai. & min. negatur verò ult. conseq. dum dicit judicium prudentiæ debere esse verum semper perfecta certitudine, si hoc intelligatur quo ad nos.

834 Itaque in principiis nostris requiritur ad licitè, & honestè operandum, quòd judicetur objectum esse bonum certitudine morali explicata: sed quia fallibiles sumus, multoties formidamus; quòd fortè possibile sit tunc nos decipi, licet non judicemus fortasse decipi. Eodem modo formaliter, vel virtualiter, sivè explicitè aut implicitè debemus judicare actionem nostram esse conformem appetitui recto, & regulari à prudentia: cæterum hoc esse evidens, & judicium nostrum à nobis existimari debere omninò certum, ita ut semper possimus esse securi in omni opere nostro, & aliter semper peccamus, id difficillimum est. Unde potest tibi certissimè constare fecisse omnem diligentiam ad eliciendum judicium, quòd talis opinio est manifestè probabilior? Si dicas; ita communiter habe-

tur apud Auctores. Sed numquid sunt infallibilis veritatis, quòd non potuerint decipi; ut de facto decepti sunt circa plures propositiones damnatas? Quomodo possumus certo scire practicos nostros errores de inhonestate, vel honestate rerum plerumque non oriri ex culpis nostris præteritis (ex quibus relicti in nobis sunt mali habitus,) ex nostris passionibus immortificatis, & ex affectionibus pravis, ex negligentia, & in curia circa legem divinam quærendam? Timere ergo possumus, nè ob horum aliquod decipiamur; & dum judicamus probabilius quid esse honestum, possit contingere non adeò rectum esse judicium nostrũ, ut existimamus. Quid aliud est appetitum esse rectum nisi voluntatem esse bene dispositam circa proprium finem, & bonum virtutis? undè licet existimemus multoties benè operari, difficillimum est certò judicare practicè conformiter ad hujusmodi appetitum, & omnimodam certitudinem semper habere de honestate operationum; ut ex dictis §. præcedenti constare potest.

835 Ex his fit satis 1. confirmationi; dicimus, judicium practicum dictare esse conveniens appetitui recto hìc, & nunc operari; sed semper teneri hominem elicere hoc dictamen cum omnimoda certitudine, falsum est. Circa adorationem hostiæ non est dubium, nec aliqua formido, cum ex nullo capite sit periculum peccandi. In aliis verò judiciis, licèt moraliter certis, quia tamen ex parte legis dantur aliqua fundamenta impedientia omnimodam certitudinem, & periculum, (quòd licèt existimetur exiguum,) remanet in nobis aliqua ratio formidandi: & tamen non erit contra legem humanæ prudentiæ, nec contra debitam reverentiam legi divinæ, sic operari.

836 Ad 2. confirm. neg. min. illius discursus; nimirum esse facilè operanti cognoscere semper se habere judicium practicum verum certitudine morali, ita ut hoc sit illi omnino certum, & evidens: ut constat ex dictis: nam si loquamur de conscientia, dum opinatur, potest errare, in applicatione rationis ad casum particularem, ut docet D. Th. qu, 17. de verit. ar. 2. ad 1. *Vel propter errorem particularem assumptæ, vel propter in debitum ratiocinandi modum.* Si verò loquamur de occasionibus, quæ se passim offerunt, quis dicat, *quantum facere debui, tantum feci, quantum debui facere ad eliciendum actum amoris Dei super omnia, tantum feci, & hoc mihi certissimum est?* Idemque in resistentia gravis tentationis. Non sic ajebat Job timens, sed: *etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignoravit anima mea*: ubi D. Gregorius: *Plerumque inter vitia, virtutesque caligamus.* Ad Salmanticenses, dicimus, non debere intelligi de adeo perfecta, & infallibili certitudine, sed de morali. De quo supra agitur à numer. 591. & inf. à num. 850. aliàs manifestè opponerentur D. Thomæ, quod non est credendum.

837 Arg. ult. Ideò antiprobabilistæ conantur refellere probabilismum, ob inconveniens, quòd ex illo videtur sequi, nimirum, quia admissa sequela probabilitatis in genere, sequitur impedimentum profectus animarum, & salutis æternæ periculum: sed hoc inconveniens sequitur ex doctrina antiprobabilistarum circa judicium practicum: siquidem talis doctrina redderet animos languidos, atque tepidos, cum numquam sciamus rectè operari, & etiam efficeret animos nimium timidos, & perplexos; in quo quis dubitat adesse impedimentum profectus animarum, & salutis æternæ periculum? ergo talis doctrina non est admittenda.

838 Respond. neg. min. Quandoquidem potiùs nostra doctrina, & via, quam docet, nos ducit per exactum medium Christianorum; quòd est, per spem, & metum; per amorem, & timorem: de quibus Magistra nostra Cœlestis, & M. S. Theresia in via perfectionis, cap. 44. paulo post princ. ait: *Amor Dei, & timor duæ arces sunt fortes, undè indicitur bellum adversum mundum, & dæmones.* E contra: de justitiis, & innocentia, & non peccato confidere, ut nihil timoris adsit, inde facile oritur præsumptio, & de innocentia, & justitia nostra nimium timere, ita ut amori, & spei non detur locus, est periculum desperationis. At ex una parte, spem habere, excitat amorem, & ex alia timor ducit ad humilitatem: & ex ipso timore, & non multa confidentia, excitatur fervor in anima. Et ideò Scriptura S. in ipso virtutum exer-

exercitio admonet nos ad habendum timorem: *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Pariter divina providentia circa statum nostrum ita nos relinquit, ut simus incerti de remissione peccatorum, & justificatione nostra. Nec hoc redit nos tepidos, & languidos. Sic circa nostras operationes; licet omnimodam certitudinem non possimus comparare, non ideò reddit languidos, & perplexos sed potius cautos, & magis solicitos. Unde rectè docuit S. Concil. Tridentinum sess. 6. c. 9., & can. 13. *Quod homo dum se ipsum, & propriam infirmitatem, & in dispositionem respicit de sua gratia formidare, & timere potest.*

§. IV.

De mente Theologorum circa certitudinem, de qua actum est.

839 IN principio hujus articuli dictum est, qualiter diversus erat modus sentiendi circa modum formandi conscientiam per ultimum judicium practicum; diximus inter ipsos probabilistas dari diversitatem sentiendi; nam plerique, maximè recentiores autumant per principia reflexa esse formandum tale judicium, nec sufficere propositiones directas solum probabiles: contrarium docent Mich. Medina, Vazquez, Lorca, Granados, Montesinos, Salas, Esparza, & alii, præsertim ex primoribus, qui vel nullam mentionem faciunt de reflexis, vel expræssè asserunt, pro tali certo judicio, esse inutiles. Antiqui verò cùm D. Th., & D. Antonino, in hoc, & præcedenti articulo relatis, requirunt, & exigunt saltem certitudinem moralem jam explicatam. Unde si quandoque insinuant requiri certitudinem in conscientiæ dictamine, loquuntur de præfata morali certitudine, non simpliciter tali.

840 Sed plures ex probabilistis recentioribus non semel, & non levibus ponderationibus repetunt, & attribuunt in convenientia nostro modo dicendi, & quòd plures ex antiprobabilistis in Dei Ecclesia introducunt rigorismum, immo Tutiorismum, & Jansenismum; ad quod probandum adducunt verba prædictorum antiprobabilistarum. An hoc fiat, ut suam benignam sententiam commendent, & aliis contraria non arrideat, præscindimus. Sed quàm longe sit à veritate, talia inconvenientia ex nostro modo dicendi oriri, constare potest ex dictis, & dicendis in tota hac controversia: & similiter, quam cœco modo judicat, qui tot viris gravibus, & doctissimis clarissimè loquentibus, & doctrinam vere salutarem docentibus Jansenismum adscribit.

841 In primis Azor. t. 1. lib. 2. c. 16. rigorem hunc, nimirum non excusari operantem ratione opinionis probabilis, quacumque probabilitate polleat, si coram Deo est falsa, attribuit D. Thomæ, Almaino, Cajetano, Adriano, & Armillæ; alii moderni id attribunt Belarmino, Mercoro, Fagnano, & aliis: Sed immeritò. Et quantum ad D. Thomam clarissimè constat ex doctrina ipsius, & Aristotelis relata supra in hoc art. §. 2. & art. præcedenti §. 2. Si autem quodl. 8. ar. 17. in quo fundatur Azor, ut attribuat (irrationabiliter tamen) tutiorismum Doctori Angelico, jam ejus mentem exposuimus dicto ar. præced. §. 3. circa finem. Et ipse S. Doctor se explicat in locis à nobis adductis dicto §. 2. & clarissimè in prooemio ethicorum, ubi cum philosopho docet objectum moralis scientiæ esse fallibile, & multoties inter proprios limites concludere per discursus probabiles: ex quibus repugnat judicium infallibile concludi, nisi cum lydio lapide velis affigere imaginarie operibus D. Th. reflexiones probabilismi.

842 Cajetanus in summ. V. opinio. Se clare explicat, dum inquit: *Non enim propterea aliquid opinione tenetur, quia diversi Auctores contraria sentiunt: quoniam cum hujusmodi contrarietate, stat quod una pars sit ratione sufficienti ad moralem certitudinem fulta. Et jam non est opinio apud capientes rationem illam. Sed quia nesciunt multi discernere inter certitudinem moralem, & mathematicam, omnia quodammodo locant sub opinionibus.* Eadem est mens Adriani, Armillæ, Almaini, & aliorum antiquorum, quòd ex ratione, qua probant suam doctrinam, satis colligitur: *quia opinio* (inquiunt) *habet dubitationem admixtam, & in dubiis id, quòd tutius est, semper*

est amplectendum &c. ubi non excludunt opinionem certam moraliter, sed quæ intellectum cum dubitatione relinquit, qualis est respectu operantis æque, vel minus probabilis.

843. Belarm. lib. 3. de justific. cap. 2. *Tertium gradum*, ait, *habent illa, quæ tot signis, & conjecturis nituntur, ut securum hominem reddant, & anxietatem excludant: non tamen formidinem omnem expellant. Atque hæc dicitur certitudo conjecturalis, & opinionis est potius, quam fidei.* Et licet ibi exigat, quod *veritas appareat ad liquidum ad judicium de honestate*: intelligitur de liquiditate imperfecta, sicut dixit de certitudine. -- Mercorus part. 2. art. 7. satis se explicat: *Ideoque* (ait) *quando intellectus judicat utramque partem contradictionis esse proprie probabilem, ac unam probabiliorem altera; excessum probabilitatis unius super alteram non debere esse notabilem. Quanto enim una excedit in probabilitate, tanto altera decrescit; si admodum excedatur in probabilitate à magis probabili, propriè non posset dici probabilis.* In quo liquido indicat non requirere aliam certitudinem, nisi moralem, & quod sit notabiliter probabilior altera.

844. Denique Prosp. Fagnanus in C. *ne innitaris* num. 109. ait: *In moralibus non requiritur certitudo evidens, seu mathemathica, immo vitiosum est illam quærere teste Philosopho 1. eth. c. 3. tum quia alioquin nihil agere possemus. Etenim omnino impossibile est omnium esse demonstrationem, ut legitur 4. Meth. c. 2. tum denique, quia si licitum est sequi opinionem probabiliorem; cujus apposita est probabilis, ut patebit infra &c.* Quod ibi late probat num. 225. & num. 228. & 420. Quod autem improbat est: *sequi probabile in genere* an 45. eò quod non dicit magis verum, quam falsum. Quare qui præallegatis auctoribus attribuunt requisitum evidentiæ, & omnimodæ certitudinis, de honestate operationis, non videntur illos integrè legisse: & sic incautè illis affixerunt tutiorismum.

845. Addimus præterea, quod etiam si in aliquo, vel aliquibus auctoribus catholicis inveniatur, quod judicium de veritate ad honeste operandum debeat esse clarum, *liquidum*, & evidens, dum agunt de materia morali; non ideo deberemus existimare in modo illo loquendi exigere plus quam probabile, & opinativum à nobis assignatum: quoniam ex ipsa materia, & circunstantijs, qualia sunt actiones humanæ, & obiecta singularia, meritò loquutio restringitur, nec loquens aliundè contrariam intentionem ostendit: ut reipsa ostendebant Tutioristæ, & Jansenistæ, sicut satis ostendit Sinichius, dum verbis adeò expressis negat posse eligi opinionem inter probabiles probabilissimam.

846. Hoc explicatur ex modo loquendi in jure: ut judex possit ferre sententiam præsertim capitalem, probationes debere esse certas, & evidentes, & luce clariores, determinat l. ult. C. de probat. l. si quis 34. ff. ad leg. Jul. de adulter. l. 26. tit. 1. part. 7. & alibi sæpe: & tamen hujusmodi probationes sufficit esse juxta illud Christi D. Math. 18. *In ore duorum, vel trium stat omne verbum.* Quis dubitat horum testimonium esse fallibile? Confessos in jure pro judicatis haberi placet; in l. fin. C. de Confessis. Quis ignorat aliquando contingere deficienti plena probatione reum exponi torturæ, & aliquando vi tormentorum confiteri crimen, quod numquam perpetravit, & sic pœna capitis plecti? & talis probatio in jure habetur, ut certa, & liquida, & luce clarior.

847. Refert Ciaconius in historia Pontific. & Cardin. Quemdam Cardinalem doctrina, & virtute præstantem, cum judicis munere fungeretur, non posse sibi suadere, quempiam vi tormentorum sibi imputaturum crimen grave non commissum: Cum mors omni tormento sit terribilior juxta Aristotelem. At pro habenda experientia descendit ipse ad stabulum, & æquum, qui ei magnæ erat æstimationi interfecit: Idque imputavit famulo, qui equi curam gerebat. Illumque negantem adstrinxit torturæ; & statim quod non fecerat, fecisse confessus est. Et ita Cardinalis experientia didicit, quod alias incredibile reputabat. Si ergo terminis supra adductis utuntur leges, tam Canonicæ, quam Civiles, & quia est juxta subiectam materiam, cum sit fallibilis, non indicant aliam, nisi moralem certitudinem, cur non potest sic intelligi idem modus loquendi

di auctorum in materia morali?

ARTICULUS III.

Quanam diligentia sit adhibenda pro certitudine morali ad licitè, & honestè operandum juxta diversitatem rerum, & obiectorum:

§. I.

Ubi datur strictior obligatio, debet adhiberi major diligentia pro certitudine judicij practici.

848. CUilibet facile constabit, ad operandi modum, ut prudenter quis se gerat, debere adhibere diligentiam juxta qualitatem, & conditionem negotiorum, & actionum. Diligentiam majorem adhibet medicus pro curando Rege graviter ægrotante, quam pro famulo, Judex majus studium ponit in discussione litis circa principatum, aut ditissimum primogenium, quam si lis verteretur super bobem, aut equum. Ipsa natura propensione innata id ostendit. Nam sine deliberatione majorem diligentiam adiicit pro cōservatione capitis extendens manum cum illius periculo, ut in colume illud servet. Proculdubio nemo negabit hoc idem in moralibus exigi. In hoc ordine dantur virtutes, & etiam præcepta, quorum aliqua sunt præstantiora, vtiliora, & urgntiora respectu finis intenti per easdem virtutes, & præcepta. Atque ideo juxta eorum conditionem, & qualitatem requiritur major, vel minor solicitudo, ut inpraxi impleantur, aut non violentur: & consequentèr, major diligentia exigitur ad formandum judicium practicum in operando earum obiecta, & quod hujusmodi judicium magis accedat ad veritatem.

849. Pro cujus clariori intelligentia animadvertendum est id, quod supra à num. 7. & à num. 641. ex Divo Thoma statutum est: Nimirum: legem, seu voluntatem Divinam solam esse regulam universalem unicam, atque supremam honestatis moralis respectu omnium actionum moralium. Hujus Divinæ legis æstimabilitas adeo præponderat omnibus rebus, seu bonis creatis, & creabilibus, ut quilibet debeat carere omnibus bonis, & omnia mala pati potius, quam voluntariè recedere ab hac Sanctissima regula per aliquam actionem, vel levissimam, aut ipsi levissime repugnantem: ut patet in solo unico levissimo mendacio: quod neque pro totius mundi salvatione loqui licet. Diximus etiam loco citato nos habere strictissimam obligationem quærendi pro viribus, ut sciamus hanc supræmam regulam: Ex qua oritur obligatio vitandi malum morale; periculumque in illum incidendi, & pariter obligatio bonum sequendi juxta præscriptum illius. In hoc ergo sita est tota vita, salus, sapientia, & beatitudo nostra. Hinc tam crebro in Sacra Scriptura commendatur solicitudo circa scientiam, æstimationem, & custodiam legis, & voluntatis divinæ. Idemque cœlestis Magister noster docet nos semper eflagitare: *Fiat voluntas tua sicut iu Cœlo, & in Terra*: quam etiam alibi suo exemplo, & verbo summè ponderavit dicens: *Meus Cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei, qui in Cœlo est*. Joan. cap. 4.

850. Inde fit, quod sicut ex hoc principio, seu adæquata ratione, scilicet voluntate divina, tenemur vitare, quod ab illa recedit, eique opponitur, & simul vitare periculum ipsam violandi; ita etiam oritur obligatio majorem, vel minorem sollicitudinem, & diligentiam adhibendi in sequendo bonum ab eadem lege, & divina voluntate præscriptum, & in præcavendo mala ab ipsamet prohibita. Ratio est: quia lex æterna dirigit, vel per se, vel per suos ministros humanos legislatores ad ultimum finem homines, ad cujus assequutionem est necessarium illum timere, diligere, colere &c. Hæc autem opera ab ipso præscripta, alia sunt excellentiora, & magis ad finem assequendum utiliora, & efficaciora. Econtra ex prohibitis, alia sunt ultimo nostro fini magis opposita, efficaciusque illum impediunt. Hinc provenit, quod lex divina perfectiora, & excellentiora bona strictius, & severius præcipit; quatenus magis convenientia, & necessaria ad nostrum finem ultimum; & obiecta, quæ magis illi aversantur, etiam severius, & strictius prohibet, & punit. Cum au-

tem

tem ratio humana in quantum est regula, debet primæ regulæ, seu legi æternæ conformari, eò majori conatu debet tendere in obiectum bonum, & declinare à malo, quò divina regula magis propendit in bonum aliquod, & districtius obiecto malo aversatur.

851. Ex quibus legitime infertur non parem, & eamdem diligentiam ubique adhibendam esse ab operante, vel consulente, ut cognoscat veritatem de honestate, vel malitia obiecti, quod ex directione legis æternæ amplecti, vel fugere tenetur. Quomodo enim potest quis obligationes, ad quas tenetur, adimplere, nisi illas cognoscat? & regulariter quomodo cognoscet, nisi quærat, & inquirat? Unde sicut in obligatione adimplendi, includitur obligatio sciendi, & inquirendi; ita in majori, & strictiori obligatione adimplendi, datur major obligatio sciendi, & inquirendi, ut sic cautius caveatur periculum errandi, & deficiendi.

852. Hoc ostenditur in materia Sacramentorum, dum agitur de eorum valore. Certissimum est Divinam Voluntatem strictius, & severius præcipere validam eorum administrationem, & prohibere invalidam, quam alia plura obiecta. Quoniam ab ipso Deo sunt immediatè instituta, maxime conducentia ad honorem, & cultum Divinæ Majestatis. Et quia in eis, & per ea Deus operatur specialissime ut causa principalis, & auctor supernaturalis perfectissimos, & nobilissimos effectus, gratiam sanctificantem, charitatem &c. Et in ipsis quasi firmissimum fundamentum Ecclesiæ suæ sanctæ Hierarchiam stabilivit. Quæ omnia frustraret, qui sua malitia, vel negligentia Sacramentum nullum efficeret: privaretque suscipientem donis, & effectibus tam æstimabilibus. Quare homines debent cavere omnem errorem, seu falsitatem judicij sui majori diligentia, ac studio in hac, quam in alijs materijs. Et consequenter debent formare judicium magis firmum, ac certum, alias non se ad divinam regulam conformabunt.

§. II.

De certitudine iudicii ad honestè ministranda Sacramenta.

853. Quanta verò debeat esse certitudo dictaminis de valore Sacramenti, ut quis licitè, & honestè in administratione, & receptione agat, est non parum difficile diffinire: immo nec est humano modo possibile hoc determinare. Nihilominus nonnulli Neoterici probabilistæ, præsertim auctor Lapidis lydij, asserunt, & contendunt, numquam esse licitum uti aliquo judicio opinativo de valore alicujus Sacramenti, quantumvis probabili: sed judicium in hac materia (excepto casu necessitatis) debere esse pœnitus certum absoluta, & perfecta certitudine, quæ omnino excludat omnem deceptionis formidinem. Adeoque hoc esse certum, quod contrarium sit damnatum in prima propositione Decreti Innocentij XI.

854. Cæterum hic modus dicendi non caret magna difficultate. Nam apud omnes constat de sententia illa, (quæ nondum quiescit) de necessitate doloris ad Sacramenti Pœnitentiæ valorem: quæ requirit, quod dolor procedat ab aliqua charitate saltem imperfecta, & inchoata, ita ut hæc sit amor Dei propter se, & super omnia. Quam sententiam præter plures modernos amplexi sunt Magister sententiarum, Divus Bonaventura, Richar. de Sancto Victore, Altisiodorensis, Adrianus, Vega, Corduba, Victoria, & alij. Et hanc sententiam prohibet Alexander VII. notari aliqua censura. Et tamen sententia communis hodie defenditur, scilicet sufficere attritionem, seu contritionem imperfectam, quam exponit Concil. Triden. sess. 14. cap. 4. ita (præter innumeros super hanc quæstionem de attritione scribentes) novissime, & non inefficaciter N. Doctiss. Mag. Garzia tom. 1. de Sacramentis à num. 1657. Quod latè prosequitur, tom. est Romæ impræssus hoc anno 1710. cum Mag. S. Palatii approbatione. Idem defendunt Salmanticenses de Pœnitentia tom. 1. trac. 24. disp. 5. à num. 301.

Et

Et novissime etiam R. P. Mag. noster Fr. Ignatius Ponce in eruditissima controversia in Tridentini caput de contritione Romæ typis data anno 1705. ubi latissimè eamdem sententiam propugnat, & explicat præfatam propositionem Innocentij XI.

855. Deinde etiam datur sententia ab Ecclesia non dum proscripta, quam docuerunt Almainus, Scotus, & pro illa citatur Cajetanus, asserentes requiri certam intensionem, & durationem doloris ad veram dispositionem, antequam Deus illum acceptet. Sed cum hoc non requirat Concil. Tridentinum: est commune apud Theologos, dolorem requisitum sufficere, dummodo talis sit quoad essentiam, & substantiam, ut à concilio exponitur, & de alia sententia non curatur. Similiter sententia communis docet sufficere dolorem efficacem sub ratione communi pro remissione peccatorum: quamvis Silvius, & alij requirant dolorem specialem de quolibet peccato, aut saltem debere dari actum, qui singula, & cuncta peccata expressè, & distinctè detestetur. Alia etiam dabimus infra, & rationem, quare non curatur de hujusmodi opinionibus.

856. Præterea si deveniamus ad praxim, jam articulo præcedenti §. 2. num. 829. aliqua diximus de Confessario: quis multoties certus esse potest omnimoda certitudine de dolore pœnitentis, integritate confessionis, & propositi efficacia, nisi habeat revelationem supernaturalem, videatque clare, & penetret cor pœnitentis? Similiter dum Parocho constat ex uno teste fide digno, vel duobus, puerum non esse baptizatum, illum potest baptizare. Pariter dum Episcopus confert Confirmationis Sacramentum, dum Sacerdos ministrat Extremã unctioné, unde illis constat evidéter esse verum Chrisma, aut Sacrum Oleum? Quid etiam in venerabili Sacramento, & Missæ Sacrificio? quanti defectus possunt contingere ex parte Ministri, & ex parte materiæ, ut per se patet, & aliquando evenit? Sane si omnes ministri deberent habere omnimodam certitudinem, quomodo liceret administrare Sacramenta: Nisi ipsis Angelis beatis? Quid de recipientibus? Quis omnino certus est esse baptizatũ, aut absolutum, recipere hostiam consecratam &c. cum hoc dependeat ab intentione ministri, de qua solum est certus certitudine morali? Huic ergo nititur communiter totus mundus, ut ultra non sit anxius quisque circa validam receptionem Sacramentorum. Quare nimis strictè videntur procedere asserentes generaliter omnimodam, & perfectam certitudinem in judicio suo, ut licitè, & honestè Sacramenta conferant, aut recipiant.

857. Quid enim dicendum, ut possimus scire, quomodo se debent habere ministrantes, & recipientes Sacramenta, ut licitè, & honeste procedant, & qualiter debent adhibere diligentiam, ut illorum effectus non frustrentur, vel saltem frustratio, si contingat, non imputetur ad culpam? certe debemus quam maximè eniti, ut veram habeamus certitudinem judicij nostri, quantum humano modo fieri potest. Et quidem majori solicitudine, & conatu, quam in alijs materijs: specialique studio nobis curandum, ut fiat, vel recipiatur validè Sacramentum. Nam si re ipsa invalidè fiat; specialia, & gravia mala sequuntur; ergo hujusmodi periculum magni momenti à nobis censendum est: & consequenter magna cura, & studium adhibendum est pro tali periculo vitando, juxta illud principium, de quo textus in cap. ubi periculum 3. de electione in 6. *Ubi periculum majus intenditur, ibi pròculdubio est plenius consulendum.*

§. III.

Difficultas ex propositione prima damnata in decreto Innoc XI.

858. AD diffiicultatem sumptam ex decreto Innoc. XI. damnantis primam propositionem, ex vi cujus jam non est licitum sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiori, respondet Laurentius Pisanus in suo erudito Gladio Gedeonis in expositione dictæ primæ propositionis, intelligi de illis opinionibus mere probabilibus, quæ non sunt frequenter ab Ecclesia admissæ, nec communiter habentur ut certo tutæ; cum id, nec ex se habeant, nec ex usu Ecclesiæ, & ali-

as versantur in concursu alterius opinionis assignantis materiam, & formam certam, ut v. g. Datur difficultas, an requiratur ad valorem Sacramenti pœnitentiæ propositum explicitum, an vero sufficiat implicitum non peccandi. Prima docet esse necessarium explicitum; Secunda asserit implicitum sufficere: Sed quia prima assignat materiam certam, secunda verò tantum probabilem, neque ex Ecclesia habemus fundamentum ad asserendum esse materiam certam, non est licitus hujus secundæ opinionis usus. Hoc autem non evenit, quando utraque opinio est ab Ecclesia recepta. Tunc enim non est altera illarum ita determinatè certa, ut excludat certitudinem, & securitatem alterius. Quod constat ex verbis propositionis, quatenus dicit: *non est illicitum in Sacramentis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti relicta tutiore*: Vbi ly *tutiore* summitur adversativè, idest dum contraria non est tuta, ut ex se constat, & ab auctoribus exponitur. Unde solum damnat, quæ tuta non est. Idem docet cit. Garzia num. 1686. & alij.

859 Dices repugnat opinionem oppositam esse probabilem, & tutiorem, quæ stat pro valore Sacramenti, & aliam excedere sphæram probabilitatis, & consequenter esse absolutè tutam, siquidem hoc ipso quod sit tantum probabilis, affert secum formidinem circa ejus veritatem. Resp. quod quando opinio est consueta, & quasi approbata ab Ecclesia saltem per usum fidelium conformem, licet careat certitudine Methaphisyca, habet tamen moralem certitudinem, non ut cumq; sed talem, ut vix appareat aliqua formido, ratione cujus detur dubium alicujus momenti de valore Sacramenti. Et quamvis oposita sit tutior, ipsa tamen est tuta, & periculo caret. Quod explicatur, præter casus opinionum proximè adductos, in materia Sacrameoti ordinis: nam apud Græcos in ordinandis præsbyteris non utuntur porrectione calicis, & patenæ, ut mos est Latinis, sed contactu aræ, in qua est calix. Et licèt nonnulli auctores materiam, qua utuntur Latini, asserant esse de essentia Sacramenti, tamen ab Ecclesia admittitur modus Græcorum, quod testatur Lugo ità factum Romæ præsente sum. Pontifice. Item plures opinantur esse de essentia consacrationis Episcopi, quod fiat saltem à duobus Episcopis, & altero Abbate: & tamen Innoc. X. ann. 1647. concessit Fabio Chisio Nuncio Colonien. postea Alex VII. consecrare Episcopum assistentibus alijs duabus personis in dignitate constitutis: & Innoc. XII. ann. 1699. concessit idem Episcopo Janni Philippo assistentibus duobus Abbatibus infulatis.

860. Itaquod unus, vel alter Doctor etiam clari nominis aliquam veritatem vertat in dubium, non est sufficiens, ut dubia, vel leviter debeat reputari. Alioquin vix haberemus aliquid certum in moralibus, nec in phisycis, nec in methaphisycis. Raró aliquid est, in quo aliquis non dissentiat, etiam si sit ipso lumine notum: Quid clarius quam terram quiescere, & Cœlos moveri; & non defuere aliqui contrarium propugnantes: *Nihil est tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile*, dixit Cicero in Paradoxis: & fusius docēt N. Salmāt. dicto tom. primo de pœnit. disp. 5. n. 307. Si autem opinio licet singularis revera haberet fundamenta, ratione quorum posset prudenter existimari intervenire periculum alicujus momenti deceptionis circa Sacramenti valorem, non esset contemnendum, sed omnino vitandum.

861. Circa reliqua, quæ adducta sunt supra ex contingentibus ex parte facti, videtur dicendum, quod ex lege prudentiæ, & præcepti juxtà qualitatem materiæ tenetur quisque, prout exigit rei, seu operationis conditio, quò gravius fuerit periculum, adhibere media difficiliora, & exactiorem vigilantiam ad illud præcavendum. Cæterum adhibere non tenetur regulariter media difficillima, & studium humano modo moraliter impossibile; & præsertim quando raró contingit periculi eventus. Cum enim Christus D. voluerit per homines Sacramenta tractari medijs rebus naturalibus, & humanis actionibus contingentibus, non videtur exigere a suis ministris majorem diligentiam, quam humanam, seu aliam, quam homines probi, cordati, & prudentes adhibere solent in negotijs serijs, & gravibus. Nec benignissimus Redemptor voluisse est credendus, ut Sacramen-

mentorum administratio, & receptio fuisset hominibus nimis difficilis, & onerosa, & quæ magnam afferret anxietatem,& difficilem solicitudinem, & sic homines non retraherentur ab administratione, & receptione eorum, & maxime in actione adeò frequenti, & ordinaria: ex qua dependet tum major honor, & gloria Sanctissimæ Trinitatis, tum tot fructus in Animabus Catholicorum. Quare exigere in omni judicio practico, seu actione circa Sacramenti valorem illam perfectissimam, & metaphisycam certitudinem, non est conforme modo consueto fidelium. Unde concludendum, certitudinem moralem jam explicatam videtur sufficere. De quo si quis plura desiderat, adeat Camargo de regul. honest. mor. 1. lib. 2. controver. 4. per totam. Salmant.& Ponce supra citatos.

862. Ex dictis infertur, quid dicendum sit circa alias nonnullas quæstiones, in quibus ipsimet auctores benigni asserunt dari obligationem amplectendi tutiorem, & oppositam non esse practicè probabilem: ut illa de medico, dum habet tutam medicinam, non posse applicare dubiam, vel probabilem. Circa quam etiam judicandum est, quod si habet formidinem alicujus momenti, nequit illam opinionem sequi; secus si fuerit communis fere omnium suorum auctorum, licet aliquis singularis contrariam defendat sine urgenti fundamento. Cæterum multoties medici non possunt habere omnimodam certitudinem. Ita ut non detur aliquod periculum detrimenti sanitatis: Undè nimis durum, & periculosum esset illis vacare curationi infirmorum. Quare regulariter, ipsa experientia testante, sequuntur id, quod probabilius, & certum certitudine morali imperfecta existimant, & tamen nemo prudenter illos imprudentiæ arguet.

863. Similiter in quæstione de bello movendo, cum maxima cautela incedendum est. Cum enim tot damna, & præjudicia gravissima nedum circa hominum vitam, & res temporales, sed etiam circa salutem animarum, & tot Dei offensæ sequantur, major certitudo incomparabiliter requiritur ad bellum movendum. Sed notandum, quod omnia hæc, & omnia alia, quę concernunt conscientiam, & actiones morales cujuscumque conditionis sint, ita debent regulari, & practicum judicium circa ea omnia, & singula formari, quod detur conformitas ad legem, & Voluntatem divinam, quæ tamquam prima regula præcipit, vel prohibet obiecta, vel actiones magis, vel minus strictè, & severè, secundum quod magis, vel minus conducunt ad nostrum ultimnm finem consequendum, vel quatenus ipsum magis, vel minus impediunt: Ut supra dictum est.

ARTICULUS IV.

Utrum judicium practicum, dum nititur opinioni reipsa falsæ, pertineat ad conscientiam erroneam.

§. I.

Proponitur assertio affirmativa, & probatur.

864 OCcasione argum. 1. supra art. 2. §. 3. proponitur hoc dubium: pro quo supponendũ est,quod quando judiciũ practicum innititur rationi, & opinioni probabili, quæ post adhibitam diligentiam debitam recte existimatur ejus usus licitus in praxi, tunc, si reipsa talis opinio est vera, judicium practicum pertinet ad conconscientiam rectam. In hoc nulla dari potest dissensio inter probabilioristas, & probabilistas. Et probatur breviter: quia omnis ratio vera est ratio recta, & idem de judicio vero intellectus: Siquidem in illo nihil datur, quod rectitudini opponatur. Præterea virtutes morales, & prudentia definiuntur per rectitudinem: & ita habetur apud Arist. 3. Physic cap. 3. *quod sit dispositio perfecti ad optimum*: de quo N. Salmant. tom. 3. disp. 1. de Virtutib. n. 69. & non aliud nisi rectitudinem intendunt, & respiciunt virtutes: ex articulo autem præcedenti constat actus virtutum regulari etiam per rationes probabiles; (& est receptum inter Theologos,) & per judicia vera, certa certitudine morali, ut ibi ex D. Th. visum est: ergo ratio, & judicium rectum, si in se vera sunt, etiam si nobis sint probabilia, si recta existimantur, pertinent ad conscientiam rectam.

865 Quare difficultas est dum nobis apparet recta ratio probabilis, seu judicium practicum; sed in se falsum est, an pertineat ad conscientiam rectam? Probabilistæ innixi illi suo principo: *Qui operatur probabiliter, operatur prudenter, consequenter docent*: opinionẽ etiam minus probabilẽ, licet in se falsam, & judicium illi innixum, pertinere ad conscientiam rectam. Sed de qualitate talis principii, quam longe sit à veritate, diffuse actum est supra fere per totam quæst. 1. 2. 3. & 4. Dicendum tamen est, quod quando ratio, vel opinio probabilis reipsa est falsa, licet nobis appareat probabilis, vel probabilior, non pertineat ad conscientiam rectam, sed ad conscientiam erroneam. Et idem est dicendum de judicio practico illi rationi, vel opinioni innixo. Hæc conclusio probatur eisdem fundamentis, quibus supra, cũ ageretur de cõscientia erronea, probatũ est, voluntatem errantem, etiam invincibiliter, non esse bonam positive; conclusionem docent communiter probabilioristæ, Palancus, Elizalde, & alii; & ex probabilistis eandem docet late Mag. Ferre, in 1.2. ubi de conscientia erronea.

866 Et indubie eam docet D.Th. 1.2. qu. 19. art. 6. & de verit. qu. 14. art. 1. ut loco cit. ponderavimus. Et nunc breviter. Probatur 1. Quia conscientia adæquate dividitur in rectam, & erroneam: Sed in casu nostro conscientia non est recta, ergo erronea. Prob. min. Idem enim est conscientia vera, ac recta: sed quando est vera pertinet ad conscientiam rectam: ergo quando est falsa, pertinet ad erroneam. Confirmatur, & explicatur. Conscientia constituitur ex ratione, & ex illa formatur: ergo si ratio est errans, seu non est in se vera, nequit constituere conscientiam, nisi errantem. Rectitudo enim judicii non aliunde sumitur, nisi ex conformitate ad ejus objectum prout est in se; Sed hujusmodi cõformitate caret, dum nititur rationi erranti; nec tollitur errare, per hoc quod probabiliter erret: consequenter opinio, vel ratio probabilis falsa pertinet ad conscientiam erroneam. Hæc autem ratio, & confirmatio etiam probat respectu judicii practici, siquidem hoc ipso quod fundetur in ratione falsa, nequit in se esse verum, & positive rectum.

867 Probatur 2. Per conscientiam erroneam non aliud intelligimus, quam errare conscientiam circa bonum, judicando, aut dicendo malum bonum, & bonum malum, tenebras lucem, & lucem tenebras, vel quo ad substantiam, vel quo ad modum, vel circunstantiam; ut si actio reipsa simoniaca existimetur justa, seu religiosa; variare Officium Divinum esse bonum, casu quo reipsa est prohibitum, & malum. Sed quando ratio; vel opinio est errans, sic se habet, & etiam judicium practicum; quid enim aliud dictat, nisi quod revera in se est malum, esse bonum?

868 Confirmatur ex D.Th. 1.2.q.19. art. 6. *Idem est*, inquit, *quærere, utrum voluntas discordans à ratione errante sit mala, quod quærere, utrum conscientia errans obliget*. Ubi expresse pro eodem accipit rationem errantem, ac conscientiam errantem, vel erroneam, aut ad illam pertinere: quod stare non posset, si omnis ratio errans non pertineret ad conscientiam errantem, sed aliqua ad rectam pertineret: at ratio probabilis falsa est ratio errãs, quid enim est errare, nisi falsum verum judicare? Tandem probatur. Nam quando datur ignorantia invincibilis, etiam datur conscientia erronea, ut supra 1. par. quæst. 3. art. 1. num. 25. ex D. Thoma, & secundum veritatem late probatum est: Sed quando ratio probabilis, seu opinio est in se falsa, non aliter salvari potest ejus usum non esse peccatum, nisi ratione ignorantię invincibilis & sic ad hanc recurrunt probabilistæ pro salvando usu licito suæ probabilitatis, & etiam antiprobabilistæ idem dicunt in eorum via, quando opinio probabilior est reipsa falsa: Ergo in omnium sententia ratio, & opinio probabilis falsa pertinet ad conscientiam erroneam.

869 Ex quibus colligitur actum, seu operationem elicitam ex vi opinionis falsę in se non esse positive bonam, nec meritoriam, sed tantum esse bonam negative, quatenus excusatur operans, dum facta debita diligentia, judicat objectum esse licitum; quod solum contingit in nostra sententia, dum opinatur probabilius, & cum excessu objectum esse licitum. *Diximus operationem elicitam ex vi opinionis falsa*

non

non esse meritoriam. Secus vero est dicendum de aliis actibus; qui antecedere, vel commitari solent, qui ex se boni, & meritorii sunt, ut si bene opinaris contractum non esse usurarium, & illum inis ad debita solvenda, vel eleemosynam indigentibus erogandam, licet contractus reipsa sit usurarius, & consequenter actus ad illum terminatus non sit meritorius, tamen illa bona intentio non vitiatur, & sic bonam positivè, & meritoriam esse censemus. Sed quia doctrina hujus numeri latè discussa, & probata est supra dicta 1. par. q. 4. art. ult. in fine: ibi si placet videri possunt huc pertinentia.

§. II.

Proponuntur argumenta contraria, & dissolvuntur.

870 OBjicies contra conclusionem, Primo. Ratio probabilis licet reipsa sit falsa, solum ex hoc sequitur, quod sit errans speculative, non vero practice: sed ut formetur conscientia recta, sufficit quod sit vera, & non errans practice: ergo ratio probabilis, licet in se sit fasa, non pertinet ad conscientiam erroneam. Min. constat. Et major probatur. Dum rationem illam judico probabilem, possum formare judicium practicum verum, siquidem practice nemo errat, nisi existimando falsum esse verum: sed nullo modo judico rationem illam esse falsam; ergo apud me est practice vera, & ex illa possum formare judicium practicè verum.

871 Confirmatur, quia judicium practicum non formatur adæquate, & formaliter ex ratione, seu opinione speculativa, sed ex certissimis regulis prudentiæ, dum adhibetur seriò, & diligenter debita diligentia inquirendi veritatem: Si ergo facta hac diligentia judicat prudenter esse verum, licet cum formidine, contractum A. v.g. non esse usurarium, potest quis habere judicium practicum à virtute prudentiæ, licet opinio, vel ratio præcedens in se falsa sit, siquidem judicium prudentiæ non regulatur penes id, quod in re est, cum hæc virtus versetur circa contingentia, quæ sunt fallibilia. Ex quo fit quod tale judiciuū sic à prudentia regulatum, & operatio ex vi illius elicita, erunt honesta, & meritoria.

872 Resp. ad argum. Negando maj: Ad probationem dico æquivocatione, & fallacia non exigua laborare: Si enim ly *nemo errat practice, nisi existimando falsum esse verum*, habeat hunc sensum, *nisi cognoscat, quod existimat verum, esse falsum*, negandum est, nam hoc modo tollitur omnis conscientia erronea, illamque convertit in conscientiam rectam contra D. Thomam, & receptam sententiam Theologorum. Si vero prædicta verba prout jacent summantur: Est verum quod; *tunc quis errat existimando esse verum, quod in se est falsum*. Quare dum judico rationem aliquam esse probabilem, si falsa in se est, me posse formare judicium verum practicum, est falsum; quia tunc hoc judicium meum esset prima regula, ut statim dicam.

873 Ad confirm. resp. concedendo ant. & neg. conseq. licet enim possit quis facta illa diligentia, prudenter judicare non esse usurarium illum contractum, dum opinio sibi apparet practice, & vere probabilis; non sic iuducat prudenter, quod in re sit conformiter ad prudentiam, sed solum in existimatione, quod sufficit, ut excusetur à peccato, quamvis opinio sit in se falsa: unde negatur tale judicium practicum regulari à prudentia. Nec probatio ibi addita contrarium suadet: nimirum, quod hæc virtus est circa contingentia, & fallibilia, & sic non regulatur penes id, quod in re est. Nam dicimus; prudentiam esse circa contingentia, & fallibilia, quatenus hæc possunt esse, & non esse bona, vel mala, variatis statutis, vel circunstantiis; non quia prudentia hæc respiciat, & regulet, licet in se mala sint, sed potius ponitur ad discernendum inter bonum, & malum, & inter verum, & falsum. Nam sicut virtus in voluntate, v. g. justitiæ nequit inclinare in contractum in se injustum, licet existimetur honestus, sic virtus intellectualis, qualis est prudentia, inclinat ad bonum ipsius, seu ad perfectum, non ad vitium, seu ad peccatum, vel defectum.

874 Sed dices secundo: Conscientia recta solum dicit, quod non peccemus: sed hoc ipso quod habeo opinionem, quam

judico esse mihi vere, & practice probabilem, non pecco illam sequendo, licet in se sit falsa: ergo ex illa formatur conscientia recta, & non erronea. -- Confirm. Probabilista valde affectus modo suo regulandi ait: Ego certissimum judico, quod, hoc ipso quod sit probabilis, operatio est licita, & mihi est licitum illam amplecti in praxi, quidquid sit, an in se sit objectum verum, vel falsum; nos enim non curamus de objecto in se, an sit contractus usurarius, sed an sit licitum illum exercere: ergo licet in se ratio non sit vera, apud nos formatur conscientia recta non erronea.

875 Resp. ad objectionem neg. maj. nam conscientia recta efficit non solum, quod actio non sit peccatum, sed etiam quod sit positivè bona, & honesta; at non peccare etiam potest provenire à conscientia erronea, dum adest ignorantia invincibilis, est doctrina expressa D.Th.1.2.q.19. art. 6. *Ubi dicit*: *quod si conscientia erret ignorantia invincibili, excusatur*. Et de verit. q.14. art. 1. Ubi agens de conscientia erronea, qualiter obligat, inquit: *Secundum hoc conscientia ligare dicitur, quod aliquis nisi conscientiam impleat, peccatum non incurret; non autem hoc modo, quod implens recte faciat*. Et addit S.Doctor, quod, *Qui aliter dicunt, non videntur intelligere*.

876 Ad confirmationem ut respondeam, se offert illa prudentissima responsio Sanctorum Martyrum Joannis, & Pauli; ad Terentianum: *Si tuus Dominus est Julianus, habeto pacem cum illo; nobis alius non est nisi Dominus Iesus Christus*: Sic proportionabiliter: Si Probabilistæ adeo fidunt suo probabilismo, & ejus artificio; habeant pacem, & concordiam cum illo. Nam nobis aliud consilium non est, nisi amplecti verba Magistri Cœlestis: *diligite veritatem, & veritas liberabit vos* Joan. cap. 7. Et Zachar. cap. 8. *veritatem tantum diligite*. Probabile ut sic, & utrumque oppositum probabile, est certum non continere veritatem, sed est indifferens ad verum, & falsum. Ut ex se constat. Unde qui probabile in genere amplectitur sine ulteriori inquisitione, non quærit, nec sequitur veritatem. Et ideo Doctor Montesinos in 1. 2. D.Th. disp. 29. num. 168. amplectendo utramque probabilem ut licitam, etiam si sit minus probabilis, id ingenue fatetur, respondendo ad argumentum sibi difficile; dicens, quod *qui habet opiniones contrarias probabiles, non judicat utramque esse veram, sed probabilem tantum; distinguitur autem esse probabile ab eo, quod est verum*. Hæc docet Doctor iste pius, & eruditus, qui in dedicatoria sui operis facta D. Thomæ fatetur suam doctrinam non esse suam, sed Ang. Magistri. Sed in hac doctrina de opinione probabili ab illo re vera discedit.

877 Itaque in hac parte quam longe sit ab ea, quam docet D. Th. constat ex pluribus locis. Nam quodlibet 9. art. 15. inquit. *Omnis quæstio in qua de peccato quæritur, nisi expresse veritas habeatur, periculose determinatur*. Et infra. *Pracipuè periculum est ubi veritas ambigua est, quod in hac quæstione accidit.... inveniuntur in ea Theologi Theologis, Iurista Iuristis contrarii*. Et 2. 2. quæst. 70. art. 2. ait: *Certitudo non est similiter quærenda in omni materia..... Sufficit probabilis certitudo, quæ ut in pluribus veritatem attingat, & sic in paucioribus à veritate deficiat*. Hoc autem non habet locum in opinionibus æquè probabilibus, de quibus non potest censeri, quod magis attingant veritatem, quam falsitatem, & multo minus de minus probabilibus. Alià ad id concernentia adducta sunt ex D. Th. sup. qu. 3. art. 1. 2. & 3. Semper enim fuit perpetuus S. Doctor in inquirenda veritate, non sistendo in probabibilitate ut sic, sed saltem in existimatione, quod objectum est verum, & bonum.

878 Quod autem quis sibi persuadeat, quod hoc, quod sit probabile etiam minus, est sibi certo licitum, & honestum, non tollitur, quod conscientia sit erronea, sed excusabitur à peccato, quando tale probababile est falsum; non vero erit actio honesta positive, nec meritoria, ut supra ex D. Th. dictum est. Deinde, non ille qui se commendat, probatus est, sed quem Deus commendat. Potest quidem tunc falli, imo, & coram Deo illicite operari, siquidem revera operatur irrationabiliter, nec ad illam suam persuasionem habet efficax fundamentum, sed potius claudit oculos, ne videat veritatem: Si solum quærit proba-

probabile, quod à veritate distinguitur, seu quod non est magis verum, quam falsum, certum videtur, non ambulare per viam Deo placentem: nam juxta id Ps. 118. *Omnes viæ tuæ veritas*. Et quid esset docendum de modo operandi Judæorum, Hæreticorum, & Mahumetanorum? Nonne hi non dicent, & sentient se certissimè benè operari in suis erroribus? & ob hoc erunt bona honesta, & meritoria eorum opera? Omnes sumus homines, & licèt catholici in illis crassis erroribus non possimus ignorare aliquo modo, in aliis possumus falli, judicando malum bonum, & non invincibiliter. Alia plura circa materiam hujus articuli dicta manent supra, dum agitur de conscientia erronea, præsertim ab art.4. usque ad 10.

ARTICULUS V.

An subditus teneatur obedire, dum judicat Prælati opinionem minus tutam esse minus probabilem.

879 AUctores benigni pro sua sententia roboranda urgent resolutionem hujus quæstionis. Dicunt enim, quod juxta communem sententiam, præsertim à Sanctis Patribus edoctam, subditus tenetur obedire Prælato præcipienti secundùm sententiam minus tutam, licèt subditus illam judicet minus probabilem. Hinc contra nostram sententiam insurgunt: ergo non est necessaria probabilitas major, seu certitudo illa moralis in nostris principiis requisita; sed sufficit certitudo reperta in qualibet opinione juxta modum sententiæ benignæ. Aliàs aperiretur via ad eludenda plura Prælatorum præcepta, & enervandam sanctæ obedientiæ debitam subjectionem, & consequenter inducendam sacrorum ordinum relaxationem.

§. I.

Ad tuendam obedientiæ virtutem, non benè recurritur ad viam probabilistarum.

880 A Deo extendit ramos suos probabilitatis arbor, ut Episcopus Antonius Gandavensis in Epistola Pastorali ad Clerum suæ Diœcesis invehatur sic contra laxiores opiniones: *Experimur quotidie tanta passim licentia, novas, ac laxas in doctrina morali excogitari opiniones, & commenta, ut vix quidquam posthac illicitum futurum sit, si eorum placitis acquiescimus; nec ullum præceptum naturale, aut positivum, quod quæstuosis illorum probabilitatibus obnoxium non sit, & eludatur*. Et licèt in omni materia morali licentia nimia opinandi cavenda sit, maximè in hoc puncto obedientiæ; Hanc super omnia commendat passim Sacra Scriptura, idemque Christus Dominus docuit verbis, & exemplis, & per hanc meruisse exaltationem suam nos admonet Apostolus.

881 Quantùm laudata sit à SS. Patribus, quàm utilis, quàm omninò necessaria ad vitam æternam consequendam, nemo verè Catholicus ignorat. Convenit paululum audire illum verè spiritualem Magistrum S. Laurentium Justinianum de Contemptu Mundi cap. 9. *Proinde quisque Christianus discat à Christo jussa divina perficere, & tradito sibi obedire mandato. Discat, inquam, quantum Deo obedientia placeat, quanta sit excellentiæ, quantæ virtutis, quantæ gratiæ, quanti meriti, quàm locuplex, quàm honesta, quàm congrua, quàm proficua, quàmve hominibus salvandis necessaria. Hanc instituit Deus, Scriptura commendat, promulgavit Christus, perfecit opere, commendavit exemplo. Non aliunde spiritualia Charismata conferuntur, virtutes crescunt, dona cumulantur, perficitur lex, gratificatur anima, unitas custoditur, patefiunt mysteria, natura reformatur, augetur gratia, promittitur gloria; per quam innocentiam custodivit Abel, ab hominibus transfertur Enoch, à diluvio est servatus Noe, &c.*

882 Doctrina ergò, per quam tam divina

vina virtus, ejusque perfectio evacuatur, aut labefactatur, ex se patet, quàm perniciosa, & nociva erit animabus, & quàm noxios effectus in Dei Ecclesia producet. Quare omnes, qui salvari cupiunt, debent talem doctrinam fugere, & scribentes, & docentes à suis scriptis, & doctrinis eliminare. In hoc non dissentiunt Auctores catholici, & præcipuè Religiosi, quippè veras virtutes ex corde diligentes. Dissentiunt tamen, quia Auctores benigni dicunt, quod ad tuendam hanc virtutem, & ejus perfectionem est necessarius recursus ad viam sui probabilismi; aliter verò obedientia, saltem quoad modum obediendi perfectum, labefactabitur. Antiprobabilistæ verò penitùs sentiunt contrarium.

883 Probare contendunt primi suam sententiam; quia antiprobabilista negat esse licitum usum sententiæ minus tutæ, nisi manifestè cum excessu sit probabilior: ergo dum præceptum Prælati ad hujusmodi probabilitatem non attingit, nequit Subditus judicare rem præceptam esse licitam, nec illam opere adimplere: Et cum talem probabilitatem habere difficillimum sit, passim etiam Prælatorum leges, & præcepta nullam vim in subditos habitura forent.

884 Confirm. Dum Prælatus, aut Superior non est ita doctus, ut in ejus opinione possit existimari dari majorem probabilitatem, sed potius subditus censet se doctiorem (& quis se judicat alio minus peritum?) impossibile est in via contraria probabilismo se conformare Superioris voluntati. Deinde etiamsi superior doctissimus sit, subditi in ipsis auctoribus vident opinionem carere tali majori probabilitate, & ulterius superioris mandatum nihil addit roboris ad augmentum veritatis in opinione, cum superiores sint homines, & sicut cæteri fallibiles: si ergo ante mandatum est minus, vel tantùm æquè probabilis, adhuc illo imposito, in eodem statu permanebit. Et ita subditus in tali eventu nec obedire poterit licitè. Non sic in via probabilioristarum; nã hoc ipso, quod superior habeat opinionem probabilem, legitimè præcipit: Et licet subditus habeat opinionem probabiliorem contrariam, potest se conformare cum superioris voluntate, & sic tenebitur obedire; & sic facillimè mandatum adimpletur, & sic omnimodè salvari, & defendi potest cęlestis obedientię virtus, & ejus perfectio.

884 Cœterum hæc facilè dicuntur, sed non facilè verificantur. Quid ergò infertur ex hoc modo theologizandi sententiæ benignæ? Ad summum, quod subditus possit se conformare cum opinione superioris, & quod possit obedire. Sed quod teneatur, prout requiritur, ut obedientia non labefactetur, nec probatur, nec facilè potest in via probabilismi concludi, sed potius contrarium. Quod sic ostenditur; nam in ejus principiis est probabile nedum speculativè, sed etiam practicè subditum non teneri obedire Prælato, maximè dum est quæstio circa rem, an sit licita, dum pro se habet opinionem, vel minus probabilem. Et cum aliàs tot dentur probabilitates, & unusquisque facilè credit dictamen proprium esse probabile, vix aliquid reperietur, quod in controversiam non vertatur, & pro utraque parte rationes non adducantur; & cum homines adeo prosequantur suam libertatem, & proprium judicium, faciliter poterit quisq; habere judicium probabile pro se, & non teneri obedire: & sic ubi locum habebit obedientiæ virtus, & perfectio?

885 Probatur assumptum ex eisdem probabilistis, & ex eorum principiis. Januarius part. 1. resol. 44. num. 13. (quem citat Diana par. 9. tract. 9. resol. 45. appellans virum doctum, & sapientissimum) docet probabilitatem non sufficere ad obligandum subditum; nam quando est opinio pro superiore, & pro subdito, possessio non magis favet juri superioris in subditũ, quàm libertati ipsius subditi: ergo non est major ratio, cur subditus teneatur obedire superiori, quàm sequi suam libertatem. Nam posita sub opinione potestate superioris in subditum, eò ipsò superior non dicitur simpliciter esse in possessione, sed tantùm sub opinione, & opinabiliter: & sub opinione etiam est, subditum non teneri obedire sic præcipienti. Hæc Januarius, & diffusè pergit respondens ad argumenta.

886 Idem docet Castro Palao tom. 1. disp. 2. pun. 6. num. 5. ait: Audeo tamen affirmare valde probabile: non esse te obligatum superiori præcipienti obedire, quan-

quando opinionem habes probabilem illicitam esse rem imperatam, vel excedentem ejus jurisdictionem. Moveor primò: licitum subdito est non parere superiori præcipienti, quando est opinio probabilis non esse obligatum parere: Sed quando est opinio probabilis non esse licitum, quod imperat, vel esse extra ejus jurisdictionem, est opinio probabilis non esse obligatum parere. Probatur min. Quia probabilitas opinionis de obligantis subditum obedire, in nullo alio capite efficaciori fundari potest, quàm in eo, quod probabile sit rem imperatam illicitam esse, vel esse extra ejus jurisdictionem. Hæc Palao, & prosequitur idem aliis rationibus propugnando, & latè satisfaciendo argumentis contrariæ sententiæ.

887 Idipsum docent Spinula, Ragius, seu Giragus, Rocaful, Petrus de Ledesma, Barn. Gallego, Joann. Sanch., Franc. Lugo, Scobar de Mendoza, quos refet Martinez de Prado tom. 1. Theol. Mor. cap. 1. qu. 7. à num. 14., & probabile dicit Diana 2. par. tract. 13. resol. 10. & alii. Hanc opinionem esse probabilem in principiis probabilismi non videtur ab ejus professoribus posse negari: quando autem quis credit, quod est opinio probabilis, non teneri subditum obedire, licèt possit, posse tamen non obedire, docet Sanchez 1. Decal. c. 3. num. 7. citans Sayrum. Et Castro Palao supra citatus, ut certum statuit citans Sayr., Joann. Sanchez, Torres, &c. Ergo in via sententiæ benignæ, in quolibet casu particulari, in quo adest probabilitas pro subdito, vel ipse existimat illam habere, obedire non tenetur, licèt minus probabilis sit.

888 Ex prælibata doctrina, quæ (si rectè perpenditur) consequenter procedit in via probabilismi, quantum evacuet, & labefactet obedientiam, quilibet agnoscere potest. Et ex ipsis nobilioribus auctoribus benignis plures, quos infra dabimus, non audent illam admittere, sed potius oppugnant, & in communem conspirant sententiam, quia aliàs subditi se possent armare contra superiores, pax communis turbaretur, & alia damna, & detrimenta non parva sequerentur. Quare potius ex hoc principio, seu sententia communi, quod *in nostro casu tenetur subditus obedire*; infertur sententiam benignam non esse sustinendam, cùm secundùm ejus doctrinam difficillimũ sit probabilitatem objectivam subditis faventem negare.

889 Ad hæc. Ex præfata sententia deobligante subditum, infertur, non solùm non peccare, sed etiam à pœna excusari, nec superiorem posse subditum non parentem aliqua pœna multare. Ita docet Spinula opusculo de probabilit. disp. ult. sect. 4. ubi ait: Non posse subditum tunc puniri, patet; quia per id præcisè, quod quis excusatur à culpa, etiam excusatur à pœna: & quod sine culpa fit, nulla pœna puniri potest juxta illud: *Rem, quæ culpa caret in damnum vocari non convenit*, cap. cognoscentes de constitut. Idipsum sentit Rocaful lib. 3. de conscientia, cap. 14. num. 146. ubi dicit: *Respondeo non incurrere pœnas, nec censuris ligari. Et ratio est, quia non delinquit subditus non obtemperando in hoc casu, cum sequens opinionem probabilem culpa careat operando. Nam sine culpa quisque non est puniendus, ex reg. jur. in 6., & sanè si subditus puniretur in hoc casu, puniretur ob actionem, quæ solùm esset peccatum ex superioris judicio, seu propter peccatum excogitatum à Judice, non propter peccatum reverà coram Deo commissum, quod est absurdum*. Ita ille, cui consonant alii plures probabilismi professores, docentes in omni materia à judice, vel superiore puniri non posse sequentem opinionem etiam minus probabilem.

890 Admissa ergo hac doctrina humanæ inclinationi non parum plausibili, quis non videt qualiter subditi possent illa muniri, & armari contrà superiores? Quæ scandala non orirentur? Quantum detrimenti circa pacis conservationem in omni Republica, præsertim in Religiosis communitatibus? Et si pax turbatur adeo utilis, & necessaria omni communitati, & Reipublicæ, quid boni in illis posset conservari? Certissimum quidem est similem doctrinam non inveniri in sacris litteris, nec à SS. Patribus edoceri, sed potius contrariam, ut post modicum ostendemus. Quare cum in via probabilismi, si consequenter procedatur, inferatur deobligatio subditi in casu quæstionis, infertur in ejusmodi via, obedientiæ virtutem, & ejus perfectionem non posse tueri, sed potius labefactari.

§. II.

§. II.

Ex sententia probabilioristarum non sequitur subditum non teneri obedire, sed potius debere.

891 Sed restat videndum, an supra adducta inconvenientia inferantur ex doctrina, & principiis probabilioristarum. Perspicuum videtur nullo modo inferri, sed potius ex illis tuendam, & valde commendam esse obedientiæ virtutem. Primò; quia dum incidit quęstio, aut dubium morale, nisi detur major probabilitas cum excessu pro libertate contra legem, aut præceptum, hoc debet adimpleri in nostris principiis: Sed non adest major probabilitas cum excessu, de eo, quod nõ teneatur subditus obedire, quando habet opinionẽ probabilẽ pro se, quod non tenetur obedire: ergo certum est in nostris principiis, quod obedire tenetur. Prob. Nam non solùm probabilioristæ, sed etiam probabilistæ oppugnant, & defendunt sententiam subditum obligari asserentem: pariterque asserunt esse communem, & omnino sequendam, imò & contrariam non esse practicè probabilem, sed solùm speculativè. Deinde ipsimet, qui docent esse probabile subditum non teneri obedire, notant contrarium esse probabilius, ut videre est in Læsio, Spinula, Januario, excepto Rocaful. Præterea non videtur aliquem posse asserere esse probabilius cum excessu, non obligare tunc superioris mandatum: ergo in nostris principiis omnino obedire tenetur subditus.

Dices: Inconsequenter procedere antiprobabilistas in doctrina nuper tradita: Nam si nemo potest amplecti sententiam contra legem, & pro libertate, nisi sit cum excessu probabilior, & subditus opinatur probabilius præceptum, vel rem præceptam, esse contra legem divinam, quomodò potest existimare esse licitam? Ergo implicat judicare esse probabilius cum excessu esse licitam, quod per vos requiritur ad licitè operandum. Quod magis roboratur ex dictis in hoc art. §. præced. à n. 883.

892 Sed contra: Nam in doctrina nostra non ex eo pręcisè tenetur subditus obedire, quia objectum, vel res præcepta est magis, vel minus probabiliter licita, sed ob aliam circunstantiam, & urgentius fundamentum; nimirum ob superioritatem, & auctoritatem superioris: Unde licet ante mandatum actio aliqua esset magis probabiliter illicita subdito, posito mandato, jam debet existimare sibi esse certò licitam, ut ex SS. Patribus illicò videbimus, & dicemus, qualiter deponet proprium judiciũ. Et in ipsa doctrina communi probabilistarum in hoc puncto instatur. Nam ipsi communiter dicunt, quod licèt ante præceptum esset probabile, imò & probabilius, actionem esse licitam subdito speculativè, & practicè, imposito tamen præcepto non manet practicè probabilis ipsi subdito: Hoc autem non fundatur in probabilitate, seu ratione præcisè se tenente ex parte objecti, sed in auctoritate Prælati: In quo indicant deserere principia sua reflexa, & probabilismi artificium, quo nequibant non prospicere obedientiam non parum detrimenti pati. De quo infra in hoc eodem art. redibit sermo.

§. III.

Quando res præcepta non est manifestè mala, obligatur subditus ad deponendum proprium judicium, & obediendum superiori. Probatur ex SS. Patribus.

893 In primis curabimus stabilire obligationem subditi, tum auctoritate Sacræ Scripturæ, & SS. Patrum, tum rationibus; & postea qualiter possit, & debeat deponere propriam sententiam de malitia rei. Primo probatur ex Verbis Christi D. Luc. c. 10. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit*: Ubi licet ad Apostolos loqueretur, qui loco ipsius pastoralem curam habituri erant, in eis tamen ad omnes pastores animarum loquitur: ut docet D. Bern. de præcepto, & disp. cap. 12. Antioch. Abbas, homil. 3. in t. 2. Bibl. Vet. PP. S. Vinc. Ferrer. tract. de Vit. Spir. c. de obedientia, & fere omnes, qui agunt de hac virtute, præsertim D. Basilius const. monastic. c. 23. *Animadverte* (inquit) *quid in Evangeliis Dominus dicat*,

dicat, cum de obedientia adversus servos suos adhibenda, legimus sancire: Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit. Quod Apostolis dixit, intelligendus est in communi legem sanxisse in Pastores, qui aliorum futuri erant moderatores; id ex multis, eisque certissimis litterarum testimoniis, manifestissimisque argumentis probari potest.

894 S. Bernardus, ex eisdem Verbis Christi D. deducit obligationem prædictam in subditis dict.c.12. de præc. & disp. *Quod si tantopere* (ait) *cavenda sunt scandala parvulorum, quanto magis Prælatorum, quos sibi Deus quodammodo æquare in utraque parte dignatus, sibimet imputat illorum, & irreverentiam, & contemptum contestans in eis, qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.... Quamobrem quidquid vice præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quam si præcipiat Deus.* Et paulò post obiiciens sibi, idem, quòd contra nostrum modum dicendi obiiciunt probabilistæ nonnulli: *Sed homines, inquis, facile falli in Dei voluntate de rebus dubiis percipienda, & in præcipienda fallere possunt.* Respondet S. Pater. *Sed enim, quid hoc refert tua: præsertim cum teneas de Scripturis: quia labia Sacerdotis custodiunt scientiam, quia Angelus Domini exercituum est. Requirunt, dixerim, legem non quam vel authentica ulla Scriptura tradiderit, vel ratio manifesta probaverit; de hujusmodi quippè, nec præceptor expectandus, nec prohibitor auscultandus est: Sed quòd ita latere, aut obscurum esse cognoscitur, ut in dubium venire possit: Utrum nam Deus sic, aut aliter velit, si non de labiis custodientibus scientiam, & ex ore Angeli Domini exercituum certum redatur &c. Ipsum proinde quem pro Deo habemus, tanquam Deum in his, quæ non sunt apertè contra Deum, audire debemus.* Hactenus Theologus hìc verè cœlestis:

895 Ubi apertè docemur causam, & rationem, quare subditus tenetur obedire, quando res præcepta est dubia, an sit licita, nimirum, quia loco Dei præcipit: Unde non relinquitur res sub consilio adimplenda, sed ait Sanctiss. Pater: *Haut secus omnino accipienda est, quam si præcipiat Deus*: & in Verbis ultimis: *Tamquam Deum, in his, quæ non sunt aperte contra Deum audire debemus.* In quibus exprimitur obligatio. Sed licet detur opinio probabilis, immo, & probabilior, esse rem præceptam illicitam, non est apertè contra Deum: ergo obligatur subditus obedire. Juxta quam hujus Sacri Doctoris sententiam non est recurrendum ad majorem præcipientis sapientiam, sed ad auctoritatem, ratione cujus vice Dei præcipit: quare circunstantia hæc efficit, ut subditus judicet sibi jam esse licitum, quòd ante præceptum non poterat sic judicare.

896 Idem repetit aliis pluribus locis S. Bernar. quippe Sanctæ obedientiæ verus amator, & æstimator: Et præsertim eodem lib. de præcep., & disp. c. 13. cum supponeret, quòd: *Jussa hominum qualibet, vel instituta divinæ auctoritatis pondere æstimanda sint*: introducit imperfectos obedientes argumentantes, & asserentes vix hominem posse salvari in tanto cumulo mandatorum, quæ prælati per in curiam sæpè præcipiunt, undè difficilè, aut impossibile videtur illa non prævaricari. Sed respondit hoc non provenire ex ipsis præceptis, sed ex imperfectione obedientium. *Imperfecti cordis* (ait) *& infirmæ prorsus voluntatis indicium est statuta seniorum studiosius discutere, hærere ad singula, quæ injunguntur, exigere de quibuscumque rationem, nec unquam libenter obedire, nisi cum audire contingerit, quod fortè libuerit, aut quòd non aliter licere, seu expedire monstraverit, vel aperta ratio, vel indubitata auctoritas: delicata nimis, immo, & nimis molesta est hujusmodi obedientia.* Hæc D. Bern.

897 Secundò considerandum venit illud Christi D. mandatum, (loquendo de Pharisæis superioribus, cœcis, iniquis, plenisque superbia, & avaritia:) *Quæcunque dixerint vobis, servate, & facite: opera autem illorum nolite facere.* Matth. 23. Si de talibus sic præcipit Magister Cœlestis, quid de Superioribus, qui plerumque sunt viri cordati, & timorati? Ad idem facit, quòd Apostolus tradit ad Ephes. c. 6. *Obedite Dominis carnalibus sicut Christo cum timore, & tremore &c.* & iterum ibi: *Facientes voluntatem Dei ex animo cum bona voluntate servientes sicut Deo, & non hominibus.* In quibus locis etiam præcipua vis obligandi resolvitur in id, quòd volun-

tas superioris, est Dei voluntas.

898 Et quia hæc materia magni momenti res est, dabimus aliquas SS. Patrum auctoritates. In capit. quid culpatur 23. q. 1. sumpto ex D. Augustino lib. 22. contra Faustum Manichæum, sic dicitur: *Vir justus si fortè, sub rege etiam sacrilego, militet, rectè potest illo jubente bellare, civica pacis ordinem servans, cui quod jubetur, vel non esse contra Dei præceptum, certum est, vel utrum sit, certum non est*. Quid clarius: D. Bonaventura t. 2. opusculor. In speculo disciplinæ p. 1. c. 4. allegat, & confirmat auctoritatem D. Bernardi supra adductam: *Quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, sic accipiendum est, quasi præcipiat Deus*.

899 S. Nilus Abbas lib. ascetico col. 20. t. 5. Bibl. VV. PP. idipsum declarat exemplo navigantium, qui gubernatori navis obtemperant, quamvis conjectare aliud, suadere videantur: *Sic igitur* (inquit) *qui saluti animæ suæ aliis crediderunt, ommissis propriis opinionibus, & conjecturis, periti rectoris arti cedant, & scientiam illius cogitationibus anteponant*. S. Cæsarius hom. 8. ad Monach. ap. Bibl. VV. PP. t. 2. *Quidquid, tibi à senioribus fuerit imperatum accipe tamquam de Cœlo, sicut de ore Dei prolatum. Nihil reprehendas, nihil discutias, in nullo pœnitus murmurare præsumas; totum justum, totum Sanctum, & utile judica, quidquid tibi à Prælato videris imperari*.

900 S. Dorothæus tract. de vita rectè instr. ser. 1. in fine. In eod. t. 2. Bibl. ait: *Assuescat seipsum patri dedere, ab illo nulla in re postmodum dissentire; sed omnia ipsius arbitrio faciat, ea fide, ac certitudine, ac si Deo in cunctis non homini pareret*. S. Joan. Climacus gradu 31. de discret. par. 2. illius gradus: *Quicumque voluntatem Christi addiscere volunt, suam prius voluntatem studiosè mortificare deberet; deinde verâ fide, atque innocua simplicitate orantes Patrum, seu Fratrum animas, summa cordis humilitate, ac sine hæsitatione cogitationum interrogantes, quæ illis consulunt, tamquam ex Dei ore suscipiant*. S. Bernardinus dialogo de obedientia; expressius docet: *Ubi subditus rationabiliter dubitat, an quod præcipitur sit peccatum, an non, tunc profecto obedire tenetur*. Consentiunt in adducta doctrina cæteri Sancti, & Auctores Mystici, seu spirituales, dum hoc punctum attingunt.

901 Ex quibus manifestum fit. 1. subditum teneri in casu nostro obedire. 2. Motivum SS. Patrum non inniti in via probabilismi, & mirum esset, quod viri adeò illuminati, & verè doctissimi, ignorarent hanc viam, si alitèr non poterat salvari facultas, aut obligatio obediendi in subdito: in potestate ergo, & imperio superiorum loco Dei præcipientium existimant, & colligunt SS. Patres ejusmodi obligationem. Et licet D. Augustinus in cap. quid culpatur, solum dicat posse subditum tunc licitè bellare, non tollit, imò ex hoc sequitur teneri præcipiente superiore: alias non posset superior punire nolentem, & illum puniendo, injustè procederet, nec illum cogere ad bellandum posset, quòd absurdum est, nec in praxi admissum.

§. IV.

Probatur ratione idem assumptum, & fit satis nonnullis objectionibus.

902 Prima ratio. Quando in SS. Patribus invenimus determinatum aliquid circa virtutum exercitia, seu obligationes, eorum doctrinæ standum est, nec aliorum Auctorum Sanctis opposita admittenda est, sed potius reiicienda: at secundum SS. Patrum doctrinam, dum subditus non est certus superiorem rem illicitam præcipere, illi potest, & tenetur obedire: ergo asserendum est subditum tunc non obediendo peccare. Min. constat ex auctoritatibus supra adductis, quæ magis urgent, dum adversarii nullam auctoritatem Sancti alicujus pro se afferunt. Major probatur ex Gelasio Papa Epist. 5. ad Honorium Dalmatæ Episcopum cujus verba refert Episc. Genettus t. 1. Theol. mor. tr. 1. c. 1. q. 3. *Ubi est* (inquit) *quod scriptum est: Terminos Patrum tuorum ne transgredieris .... Quid ergo tendimus ultra deffinita majorum &c.* Hanc auctoritatem, & alias plures adduximus ad probandam hanc doctrinam, ex Summis Pontificibus, ex D. Bernardo, S. Petro Damiauo, & aliis supra q. 2. ar. 7., & seq., & aliis locis.

293 Pro-

903 Probatur secundo ratione abinconvenienti desumpta ex D. Th. quodl. 4. art. 14. Ubi inquirit: *Utrum debeant vitari illi excommunicati, de quorum excommunicatione apud peritos est diversa sententia*. Respondet S. Doctor, *quod si dubitatio præcedat ante judicum declarationem, non debent vitari; quia in hoc casu in meliorem partem interpretari debemus. At si dubium oriatur post judicum declarationem, huic magis standum est. Primo quidem, quia judices solicitius discutientes negotium, plenius possunt percipere veritatem, etiam si sint minus periti quam alii, qui perfunctoriè constituuntur*. Hæc D.Th. Quæ quidem ratio etiam habet locum in superioribus, qui ut in plurimum plenius possunt percipere veritatem, tum quia solicitius discutiunt negotium: tum quia cum eorum munus à Deo commissum sit dirigere subditos, Deus illis potius assistit, ut non errent, quam aliis, etiam si magis periti sint.

904 *Secundò* (prosequitur Doctor Angelicus) *quia hoc esset magnum nocumentum, si sententiæ non staretur, si quilibet pro suo libito vellet sententiæ calumniam ingerere; quia sic litigia essent interminabilia; & ideò in tali casu est standum sententiæ judicum*. Quis apertè non videat hoc maximum inconveniens pullulare ex subditorum resistentia contra superiorum mandata, si per probabile ex parte ipsorum possent se eximere à præstanda obedientia, & recusare correctionem, & pœnas ob non obedire impositas, aut imponendas?

905 Sed obiicies conscientia nostra non est regula honestatis, nisi quatenus fuerit conformis regulæ primæ, seu legi æternæ, ut sæpe in superioribus inculcatum est. Sed si subditus habet opinionem propriam, (præsertim si probabilior est) quod res præcepta sit illicita, nequit conformare suam conscientiam cum regula prima: ergo in casu nostro nequit subditus formare conscientiam de obediendo tali rei præceptæ. Minor Prob. multipliciter. Primò. Quia certissimum est præceptum Dei magis obligare, quàm præceptum superioris, ut ex se constat: sed subditus habet opinionem probabiliorem, quòd præceptum superioris est contra præceptum Dei: ergo obligatur Dei præcepto obedire, & non superiori, undè male poterit formari conscientiam de obediendo superiori. Confirm. tota vis obligationis revocatur ad voluntatem divinam; & in tantum homines habent vim obligandi in conscientia, in quantum in eorum jussionibus adest divina voluntas: At stante pro subdito probabiliori judicat judicio absoluto prudenter, quod potius aversatur voluntas divina rei præceptæ; nec in principiis nostris potest habere de eodem objecto probabiliter duplex judicium contrarium: ergo &c.

906 Secundò. Quia in ordine ad materiam præcipiendam, an sit licita, nec ne, potestatem non divinam, sed humanam tantum habet superior; quæ quidem vinci potest, vel majori auctoritate doctiorum, & fortasse sanctorum auctoritate, & rationum efficacia: sed in casu nostro, supponimus habere subditum pro se majorem efficaciam ex auctoritate, & ratione: ergo vincitur judicium superioris, nec poterit illi subditus conformari.

907 Tertiò. Arguit. Joan. Mart. de Prado t. 1. Theol. mor. c. 1. q. 7. §. 7. citans Lugo, & Th. Sanch. asserentes subditum posse obedire, sed non teneri. Nam præcepta, & leges injustæ non obligant in conscientia; quia, ut inquit D. Augustinus lib. 1. de libero arbitr. c. 5. *lex esse non videtur, quæ justa non fuerit*: sed quando est manifestè probabilius præceptum, vel legem esse de re illicita, est præceptum injustum ex parte rei præceptæ, & aliàs in nostris principiis tenemur probabiliora sequi, ut prudenter operemur: ergo in casu nostro nullatenus obligat superioris præceptum. Ad quod etiam facit illud Actorum c. 4. *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus*.

908 Verum quamvis hæ objectiones non parvam difficultatem ingerere videantur, non cogunt recedere à doctrina Sanctorum Patrum, nec doctrinam nostram enervant: nam si absolutè sumantur, nimis probant. Omnes enim Theologi (excepto forte aliquo) asserunt, & propugnant subditum posse obedire, nec illicitè tunc facere, sed modò perfictiori procedere obediendo in casu nostro. Et licèt pro parte, quòd non potest, aliqui citant Adrianum, sed revera loquitur in sensu à nobis illico ex-

exponendo: ſolum à Reverendiſſimo Tyrſo refertur Scildere, quem efficaciter refellit. Deinde fatemur præfata argumenta convincere ſubditum non poſſe ſuperiori obedire in caſu noſtro in ſenſu compoſito ſuæ opinionis, non tamen probant, quòd abſolutè non poſſit: quia poteſt, & debet deponere proprium judicium, ut SS. Patres, & Miſtici docent ob circumſtantiam, interveniente obedientia. Qualiter hoc ſe habeat, & poſſit, debeatque deponere, in ſequentibus explicabitur.

909 Ex quibus facilè reſpondetur objectioni, conceſſa maj. diſt. min. non poteſt conformare conſcientiam cum regula prima in ſenſu compoſito ſuæ opinionis, aut ex ſuppoſitione quòd illam non deponat, conceditur: illam deponendo, prout tenetur deponere, negatur: & ſub eadem diſtinctione conceditur, & negatur conſequ. Ad 1. probationem conceditur major, & ad minorem: *ſed ſubditus habet opinionem probabiliorem præceptum ſuperioris eſſe contra præceptum Dei*, dicimus, id habere conſcientia erronea, (quàm debet deponere) poſito præcepto, non vero illam opinionem habere poſſe conſcientia recta; prout colligitur ex D. Th. 1. 2. q. 19. ar. 6. ad 3. ſiquidem ex vi circumſtantiæ obediẽtiæ ceſſat probabilitas ex parte ſubditi. Sicut mihi probabilius eſt lixivium non eſſe materiam Baptiſmi; & tamen in caſu neceſſitatis teneor deponere meam opinionem, & uti hac materia. Ex quo patet ad confirmationem, negandam eſſe minorẽ: poſito enim præcepto, non poteſt ſubditus prudenter judicare averſari Dei voluntati.

Ad 2. reſp. quòd licet ſuperior humano modo præcipiat, præcipit verò auctoritate accepta à Deo, & nomine ipſius Dei. Undè licèt ante præceptum vincatur auctoritas ſuperioris circa rem ſecundum ſe ſumptam, ſecus ex ſuppoſitione quòd præcipiat, nullo modò vinci poteſt reſpectu ſubditi, qui, quoties non conſtat manifeſtè rem eſſe illicitam, tenetur obtemperare, ut ex SS. Patrum doctrina, & ratione probatum eſt, & ulterius probabitur.

910 Ad 3. mirum videtur tantum magiſtrum uti illo argumento ad probandam obligationem ſubditi, dum habet contra ſuperiorem opinionem probabiliorem rem eſſe illicitam. Nam ipſe, cum aliis, quos pro ſe adducit, expreſsè docet poſſe obedire; argumentum autem ſi probat, convincit non ſolum, quòd non tenetur, ſed etiam, quòd obedire non poſſit: nam ſi tunc eſt lex injuſta, & ſubditus tenetur ſequi opinionem probabiliorem, ut idem Magiſter docet: certum eſt illam amplecti non poſſe. Reſp. ergò ex dictis: negatur enim ſuppoſitum, quod poſito præcepto per ſuperiorem, probabilius poſſit judicare conſcientia recta rem, aut præceptum eſſe injuſtum; ſi autem id judicat, & non deponit judicium, peccabit quodlibet amplectendo; peccabit obediendo, & peccabit non obediendo, juxta doctrinam D. Th. dicto ar. 6. ad 3.

§. V.

Alijs fundamentis doctrina communis fulcitur.

911. PRobatur tertio doctrina communis. Nam ſæpè contingit antequam Princeps, ſeu Superior legem condat, dari opiniones oppoſitas, an ſit conveniens bono communi, vel rationabilis. Proponitur in comitijs generalibus, an ſit res ſtabilienda. Alij, ut contingere ſolet, dicunt rem eſſe irrationabilem, & legem non eſſe convenientem; alij contrarium affirmant, Princeps horum ſequendo dictamen legem ſtatuit. Ecce jam ſententia contraria amplius non manet probabilis in ordine ad praxim, quidquid ſit an illa ſententia contraria fuerit minus, vel magis probabilis, ut eſt indubitatum, & rectè probat Cardinalis Paleotus in lib. de Sacri Conſiſtorij Conſultatione par. 5. qu. 9. à pag. 295. Ergo pariter reſpectu Superioris, etiam ſi ſubditus habuerit opinionem etiam probabiliorem contrariam, ante mandatum, hoc poſito amplius illi practicè non eſt probabilis: ſiquidem intenſive eadem vis datur in præcepto, ac in lege, ut ex ſe conſtat.

912. Explicatur. Quæſtio eſt inter Juris prudentes, an poſſit apprehendi poſſeſſio fundi, domus &c. abſque aliquo actu adipiſcentis poſſeſſionem: Circa quod erat ſen-

sententia communis; immo determinatum jure Civili §. possidere inst. de interdictis, non posse dare possessionem alicujus rei sinè adminiculo corporis, & animæ, ut ostenditur in ejus diffinitione. Et tamen legibus Hispaniarum contrarium statutum est circa primogenia, ita ut statim, ac vita decedit possidens, majoratus transit ad successorem sine aliquo ejus animo, licet de hoc nec unquam cogitaverit. Undè in hoc regno opinio contraria in hac parte non potest in praxi sustineri.

Est etiam quæstio: an in tribus illis contractibus Societatis, & assecurationis interveniat usura. Non dari docent plures, & graviores Theologi: contrarium alij. Demus Principem præcipere, quod in suis tribunalibus tanquam usurarij censeantur, qui illos exercuerint, & ut tales sint plectendi pœna usurariorum, (sicut de facto est praxis communis in Hispaniæ tribunalibus) certum est Judices aliter non posse judicare, etiam si secluso mandato, vel praxi communi, probabilius censeat judex esse licitos, & non usurarios ejusmodi contractus. Quia Principis statutum, vel consuetudo probabilitatem saltem practicam abstulit.

913. Probatur quarto, ab inconvenienti maximo. Quam magnum sit bonum obedientiæ, quis explicabit? Quam pessimum sit inobedientiæ malum, quis verè cognoscet? Pleni sunt libri Sanctorum Patrum, & Virorum Spiritualium obedientiæ encomijs, & in obedientiæ detrimentornm ponderationibus: & in litteris Sacris, quod præcipuè commendatur, est obedientia: quod magis vitari præcipitur, est inobedientia: facile quisque potest ibi videre, & nemo potest hæc ignorare. Nihilominus hominum propensio, quasi torrens impetuosus in ima fluit, sic ad prohibita anhelat: & quasi contra impetum rapidi fluminis, sic difficulter accedit ad res obedientiæ. Audiendus Divus Ambrosius, qui lepide rem, & causam assignat. *Humana natura in primi hominis prævaricatione vitiata, etiam inter beneficia, inter præcepta, inter auxilia semper in deteriorem proclivior voluntatem. Hæc autem voluntas vaga, incerta, instabilis, imperita, in cupiditatibus cæca, in honoribus tumida, nihil in suis habet viribus, nisi periculi facilitatem. Quoniam voluntas mutabilis, quæ non ab incommutabili regitur, tanto citius propinquat iniquitati, quanto acrius intenditur actioni.* Hactenus hic Sanctissimus Doctor.

914. Quid ergo oritur ex hac naturæ humanæ proclivitate ad propriam voluntatem, & ex aversione ad illam abnegandam, & ex arduitate ad viam Evangelicam arripiendam, nisi fabricare faciliter opiniones, & probabilitates, adhærere proprio judicio: maximè si passio aliqua vehemens urgeat, vel certitudines, & evidentias comminiscimur, ut illas obedientiæ opponamus? Quod M. Greg. in lib. 1. Reg. c. 15. exprimit dicens: *Qui autem repugnant Prælatorum imperijs, ideo ubique repugnant, quia Divinam Voluntatem se scire melius existimant.* Ex præjacta doctrina clare deducitur, quantum boni adducit animæ stare judicio locum Dei tenentis, & quantum detrimenti, & inconveniens ei provenit, si judicio proprio innitatur, & quam cautè debet procedere in materia virtutis obedientiæ. Quia ut docet Divus Basilius in reg. brevior. respond. ad interrog. 119. *Quoniam non potest statuere unusquisque quid sit, quod è re sua sit, sæpè numero opus illud diligit, quod sibi obsit.*

§. VI.

De modo, quo Subditus debet suspendere assensum proprium; & superioris judicium, (etiam mente) sequi.

915. EX præcedentibus videtur haberi sufficientia motiva, ut Subditus, & suspendat proprium judicium, vel opinionem, qua opinabatur probabilius rem præceptam esse illicitam, vel Superioris potestatem excedere, & etiam ut mentem suam conformet Superioris judicio. Relicto ergo modo probabilismi, & etiam aliorum, qui recurrentes ad quandam legem Dei antecedentem (quam supra quæst. 4. artic. 3. refellimus) sentiebant, quod posito Superioris præcepto, Deus jam vult positivè subditum obtemperare, & hoc modo jam fit licitum, quod alias

alias etiam apud Deum fortè illicitum erat. Relictis, inquam, his modis, ob superiùs dicta; Dicendum est principale motivum in subdito summi ex doctrina Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum, qui ut supra habitum est, conveniunt in illo principio: *Qui vos audit, me audit: vox Prælati vox Dei, dummodo certum non sit rem præceptam esse illicitam*. Quod expressius nobis tradiderunt Sancti Augustinus, Bernardus, Bonaventura, Bernardinus, & alij supracitati. Et mirificè idem docet S. Ignatius in illa sua celebri Epistola de virtute obedientiæ: quam meritò ponderat Reverendissimus Tyrsus disert. 14. à num. 93. Et Humbertus Generalis Sacræ Religionis Prædicatorum lib. 5. de erudit. Religios. par. 1. cap. 1. ait: *Obedientia hominem de Dei placito certificat: nisi enim apertè sit malum, quod à Superiore præcipitur; sic accipiendum, ac si à Deo præciperetur*.

916. Audiendus etiam est alius pius pariter, ac doctus Generalis R. P. N. Fr. Ildephonsus à Jesu-Maria, qui semel, & iterum hoc officio dignissimè functus est: In illo suo opere vulgo, Peligros, y reparos de la perfeccion Religiosa. tom. 1. „ par. 2. §. 15. ubi animadvertit; quod „ supposita elevatione humanæ naturæ ad „ ordinem supernaturalem, & præsertim in lege Evangelica, dum à subditis perfectius adimpletur, regulari habet secundum actum fidei supernaturalis, & ideo Doctores Sancti „ ipsum actum obedientiæ, actum fidei „ nuncuparunt, quia per illum subditus „ captivat intellectum in obsequium ejus, „ quod Deus per se, aut per superiores „ præcipit. Undè Scriptura Sancta actum „ illum hæroicæ obedientiæ nobis sic exponit. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad justitiam*. Genes. cap. „ 15. & Apostolus ad Rom. cap. 4. *Credidit in spem, contra spem*. Et Divus „ Greg. lib. 35. moral. cap. 10. loquens „ de obedientia, ait; Illa, inquam est, „ quæ fidei meritum possidet, sine qua infidelis esse quis convincitur, etiam si fidelis videatur. Unde sicut per fidem „ intellectus convincitur, & in ejus obsequium captivat seipsum absque alia „ rationum inquisitione; sic verus subditus exequitur, quod sibi à Superiore disponitur, ob motivum illud, *quia ita præcipitur*, sine recursu ad alias rationes, præsertim naturales, ut dirigat voluntatem ad obedientiam exequendam. „ Immo ipse intellectus ratione superiori „ illuminatus, nempè lumine fidei subdit „ naturale lumen, & humanæ rationis discursus, utpotè fallibiles, & errori expositos: accipitque circa obedientiam securitatem, & illa vera securitate gaudet, quam Deus promisit in omnibus; „ quæ medijs Ministris suis nobis disponit „ aut præcipit; nisi apertè illicita sint. Hæc ex Nostro auctore; attenta consideratione digna, in quibus modus deponendi proprium judicium egregiè explicatur.

917. Quid dicemus de doctrina Cœlesti, Matris, & Magistræ Sanctæ Theresiæ circa modum exequendi res præceptas? quid de ejus exemplis? Certa erat de voluntate Christi Domini per revelationem, quod adiret Matritum ad fundandum; & cum hoc manifestasset suo Superiori, hic ei contrarium disposuit. Quod statim Sancta Mater opere exequuta est. Et cum à Superiore inquisita esset: Quare si habuerat Dei revelationem, se subdidit mandato contrario? Ipsa respondit. Circa revelationem possum falli: Obediendo autē R. V. tamquam meo Superiori certa sum me non decipi. Ita refert historia nostra, & Episcopus Taracon. Iepes lib. 2. cap. 27 & lib. 3. cap. 12. Sed digna majori consideratione est illa obedientia, quam non semel exequuta est Sancta Mater: cum quidam Confessarius imprudenter illi præcipisset, ut Christo Domino sibi apparenti ostenderet mediam unguem (Hispanicè, que le diera higas) sine aliqua excusatione obtemperabat, licet ipsi esset valde molestum, cū in memoriam redderet injurias, quibus Christus Dominus affectus fuit: quem, cum id exequebatur, magna humilitate, & lachrymis deprecabatur, ut hoc ferret, siquidem hoc faciebat, ut illis, qui locum ejus tenebant, obtemperaret, & Christus Dominus respondit, quod bene faciebat, addiditque, quod ipse disponeret, ut veritas agnosceretur.

918. Tandem animadvertendū est, subditum non solū teneri obedire Superiori opus exe-

exequendo, ſed etiam proprium judicium debet illi mente ſubiicere in his rebus, quę inter auctores utrinque ſolent eſſe controverſæ, de quibus apertè non conſtat, eſſe peccata: & idem dicendum de jis, circa quæ non ſunt controverſiæ excitatæ. Quia ſi ita ſubditus non ſubiicit mente proprium judicium, non poterit licitè obtemperare, tum quia operando contra proprium dictamen Conſcientiæ non poteſt excuſari à peccato; tum quia, ut ſupra ſæpius probatum eſt, nequit ſimul habere duplex judicium oppoſitum. - Cæterum modus licitus obediendi non excludit, quod ſubditus aliquando (maximè dum anxius, & perplexus eſt circa executionem rei præceptæ) Superiori id proponat, & motiva ſuæ perplexitatis humiliter indicet, non ex affectu excipiendi, vel ſe excuſandi, ſed pura intentione, & ex deſiderio, ut id fiat, quod magis expedit ad Superioris intentum: pręſertim ſi ſuſpicari poſſit Superiorem ex aliqua inadvertentia procedere. Quod ſi tandem Superior in propoſito perſiſtat à ſubdito eſt parendum, dum manifeſtè illicitum non exiſtimet.

§. VII.

Proponitur objectio, cujus occaſione doctrina amplius declaratur.

919 OBjicies. Adhuc non quieſcit animus. Etenim licet SS.Patres, & doctrina communis nobis proponant modum perfectiorem obediendi inniti illi motivo, *qui vos audit me audit; & quia Deus mediate, vel immediate præcipit*; reſtat ſemper difficultas circa inveniendam rationem, quare debet prævalere præceptum Prælati? Quare illa circunſtantia obedientiæ redit licitum, quod aliàs illicitum eſſe, erat magis ſecundum veritatem? Et præſertim in materia ab intrinſeco mala: ut, ſi eſt probabilius, aliquid aſſerere tali modo, eſſe perjurium, & ſuperior præcipit ſubdito jurare; repugnat enim juſſionem ſuperioris auferre malitiam, maxime ſi objecto convenit ab intrinſeco.

Fateor hoc me non modica ſemper afficiſſe difficultate; non quia exiſtimaſſem ob illam eſſe recedendum à vera doctrina, ſed ob communem modum Theologizandi, ſecundum quem non videtur animus quieſcere, niſi ſimul cum auctoritate afferatur conveniens ratio. Videtur certo ſupponendum, quod, quando SS. Patres, & communiter Auctores tradunt aliquam dogmaticam, aut moralem doctrinam, non eſt ab illa recedendum, eò quòd non facile inveniamus rationem. Quando enim doctrina fundatur in ſacris litteris, nequit inventio dari urgentioris rationis. Plura ſunt in utroque teſtamento, quæ fugiunt humanum captum, neque ingenium humanum rationem aſſignabit; immo eſſet præſumptio in multis quærere rationem.

920 Afferam nihilominus, quæ ſe mihi offert, cauſam, ob quam auctoritas ſuperioris, & ejus mandatum debet præferri in caſu noſtro. Pro quo ſupponendum eſt primo, quod quando occurrit duplex inconveniens, ita quod utrique attendere non poſſumus, vitare debemus id, quod majus eſt, præſertim, quando tale inconveniens bonum commune graviter lædere poteſt. Ita docetur in cap. duo mala 13. diſt. Et ſic licet aliud deberet vitare, ſi per ſe ſolum adveniret, occurrente vero majori, ceſſat illius minoris obligatio, & jam ejus poſitio non eſt malum. Ut docet gloſa in dicto cap.

Secundo ſupponendum: reſiſtere Superioribus per Subditos exiſtimantes, & ſuo judicio probabili innitentes; quod illorum præceptis non obligantur, afferre ſecum valde magnum, & commune inconveniens; paſſim enim ſubditi ſuperioribus reſiſterent, contra illos inſurgerent, perturbaretur pax, labefactaretur obedientia, ſine qua nihil boni datur in hominum cordibus, & communitatibus. Præcipue Religionum pulchritudo minueretur, & relaxaretur, nec eſſet ſufficienter proviſum ordini vitæ Chriſtianæ, & Religioſæ.

921 Ex his formatur ratio breviter pro noſtro aſſumpto. Nam licet ſubditi ante præceptum exiſtiment probabilius rem eſſe illicitam, ſi poſito præcepto poſſent non obedire, certum eſt inconvenientia relata adeo perniciosa eſſe eventura contra bonum commune: ergo debent illa vitare relicta opinione de vitando malo contrario, ſiquidem id quod dictat talis opinio, regulari-

lariter est minus damnum, & particulare.

Confirmatur 1. Quia quando occurrunt duo mala, quorum unum certum est, & aliud solum est dubium, vel opinatum, debet potius attendi ad cavendum malum certum, quam dubium, seu opinatum: sed debitum obediendi superiori absolute est certum, de mandato datur etiam certitudo, de opposito opinato non datur certitudo, sed dubium, aut probabilitas: ergo debet subditus cavere inobedientiam contra præceptum Superioris. Unde licet præceptum Prælati non possit directe, vel auctoritate sua tollere deformitatem actus, & periculum peccati absolute sumptum, & facere quod jam non sit tale: at vero posito præcepto, ratione circunstantiæ obedientiæ, ipsa lex divina dictat majus, & certius malum esse cavendum, seu certius, & majus periculum esse vitandum, quod imminet, ex eo quod non superioris, sed subditorum judicio esset standum in dubiis, seu rebus opinabilibus.

Confirmatur 2. in dubio, seu probabiliori credulitate de valore matrimonii occurrunt duo mala, seu pericula, nempe fornicationis, & in justitiæ denegando debitum, & quia contractio matrimonii est certa, tenetur conjux dubitans, vel opinans de valore, reddere debitum petenti. Sed non minus subditus tenetur reddere debitum obedientiæ suo Superiori, ergo licet dubitet, vel opinetur de re præcepta, quod sit illicita, etiam tenetur obedire: Major determinatur in cap. inquisitioni de sent. excommunic. Min.& conseq. non videntur negari posse. Siquidem etiam subditus ex justitia tenetur non resistere Superiori.

922 Sed objicies: Votum, aut juramentum, etiam si certum sit, non obligat, dum est probabile, aut dubium actum esse peccatum: ergo nec superioris præceptum; siquidem fortius obligant ea, quæ sunt de jure Divino, quam humano: Votum autem, & juramentum obligant jure Divino, Prælati vero præceptum tantum de jure humano. Ergo.

Resp. concesso antec. neg. conseq. Quia tunc desinit votum, & juramentum esse obligatorium, quia desinit materia; non vero desinit auctoritas Prælati, nec ejus vis ex opinione subditi. Et licet fortius obliget votum, facilius desinit, quam superioris præceptum. Nam finis voti, & juramenti est,ut Deus honoretur, & conscientiæ puritas, quæ cessat ob periculum peccati, dum materia non est certo licita, nec tunc Deus acceptat. Finis autem superioritatis ad subditos est rectus ordo gubernationis ob subditorum utilitatem, & bonum commune communitatis, & Reipublicæ: hoc autem periret certò, si cuiq; liceret, ut sibi videtur, & in dubiis, & opinatiuis non esset standum judicio, & præcepto superiorum.

923 Objicies præterea: ex traditis in toto hoc articulo sequitur numquam posse subditũ amplecti opinionem quantumvis probabilem contra legem, aut præceptum, sed semper obligari ad exequendam materiam legis, nisi manifestum sit in ipsa malitiam contineri: hoc autem est contra doctrinam omnium Auctorum, & usum uniuersalem in Ecclesia receptum: ergo &c. Prob. sequela,quia eadẽ est ratio circa existentiam legis, aut pręcepi, ac circa intelligentiam;in utroq; enim superioris auctoritas manifestatur, unde si in uno obedientia labefactatur non obediendo, idem eveniet in sequela opinionum probabiliorum, dum sunt contra legem, quod ab omnibus rejicitur.

924 Resp. neg. sequelam. Ratio disparitatis est, quia exemptio, & negatio in subdito respectu legis, aut præcepti absolute sumpti, directe tendit in auctoritatem superioris,directeq; læditur; & consequenter obedientia maxime labefactatur,relaxatur,& destruitur: hoc autẽ non ita euenit in interprætatione rationabili, & verè probabili circa sensũ legis: quia jam absolute recipitur lex: prospiciturq; auctoritati superioris, & ejus potestati. Hujus disparitatis signum est, superiores, dum eorum decretum non suscipitur, grauiter id ferre; prudenter conqueri, valdeque sentire, quatenus judicant suam auctoritatem contemni: atque ideo diligenter curant,ut eorum jussa recipiantur. Hoc autem non ita euenit, dum aliqua prudens explicatio, aut intelligentia legi, aut præcepto adhibetur. Iste modus ita se gerendi superiorum practicatur, ut prudens in omni ordine Ecclesiastico,

stico, siue regulari, siue sæculari. Et propterea videmus quod decreto Alex. VII. damnata est illa propositio 28. *Populus non peccat, etiam si absque ulla causa non recipiat legem à Principe promulgatam.*

925 Quibus addendum: illam sequelam in nostris principiis non inferri: quandoquidem exigimus, illam majorem probabilitatem toties repetitam; quod non ita salvatur in via recentis probabilismi. Nam admissa probabilitate, etiam minori, contra legem, non parva aperitur porta ad euacuandas leges, & præcepta: Circa quod ait Episcopus Gandavensis supra num. 890. citatus: *Tot opiniones in doctrina morali excogitatæ sunt, ut vix quidquam post hac illicitum quid futurum sit, si earum placitis acquiescimus: Nec ullum præceptum naturale positivum, quod quæstuosis illis probabilitatibus obnoxium sit, & non eludatur.* Inquisitor Mercorus in præfat. Basis Theol. Mor. *Si quando* (ait) *pro morum reformatione contingat novam Constitutionem Ecclesiæ prodire, statim Theologi nimis benigni Cavillis limitationibus, interpratationibus, distinctionibusque illam ad oriuntur. Cum quibus alii plures simul dilabuntur incauti, timentes deseri in consiliis suis, si aliquanto severiores se ostendant: Subindeque post paucos menses lex illa inermis, sauciaque relinquitur.* Hæc Mercor. Hoc plane videri potest in novis interpretationibus aliquorum recentiorum in propositiones damnatas ab Alexandro VII. & Innoc. XI. quare plures in eadem latitudine, & cum eadem facilitate illis utendi relinquunt, ac ante damnationem. Quare bene concludit P. Tyrsus: de usu opin. prob. disert. 14. num. 84. *Cavere debent fideles ne facile credant Theologis suggerentibus laxas legum interpretationes.*

§. VIII.

Deus miraculis ostendit, quantum ipsi placeat obedientia.

926 UT autem fideles agnoscerent, & ponderarent, quantum Deo placeat conformitas subditorum cum judicio, & mandato superiorum, & quam preciosa sit obedientiæ virtus, & simplicitas, quæ in Scriptura Sacra, & SS. Patribus nobis traditur, ipse Dominus plura patravit miracula, non solũ quando certò res est licita, aut poterat hoc dubitari: sed etiã quando manifeste erat certũ in ordine ad superiorũ potestatẽ esse rem præceptã illicitam. Hoc enim contingit permittente, aut disponente, vel movente SpirituS. viros simpliciter obedientes non attendisse malitiam rei præceptæ, vel resignando negotium prudentiæ sibi imperantis: de quo Cornel. à Lap. in cap. 22. Gen. v. 10.

Notus est casus S. Mauri ingrediendi, & ambulandi super aquas, quem refert D. Greg. 2. dialog. cap. 7. Et in Vitis Patrum, de subdito, cui jussum est leænam capere, & adducere ad superiorem, prout fecit. Surius etiam refert tom. 4. die 1. Augusti de illo, qui ab Abbate jussus est manum mittere in ferventem aquam, ut ex imo cacabi aliquid extraheret. Et huic simile contigit V. Annæ à S. Bartholomæo Carmelitæ Excalceatæ, & Sociæ S. Theresiæ, quæ jussa est à quodam Confessario (licet incaute) ut manum mitteret in ignẽ, quod sic fecit, & non per parum temporis, absque ulla ignis læsione: De Theodora, quæ sub specie viri inter Monachos viam agebat, à superiore missa est ad afferendam aquam ex lacu cum evidenti periculo, propter Crocodillum in eo lacu degentem, qui omnes eò accedentes dilaniabat. Aliud exemplum refert Cassianus lib. 4. cap. 27. & 28. de Mutio Abbate, cui ejus superior mandavit, ut proprium filium Octonem in flumen abjiceret, qui statim ad exequendum perrexit. *Cujus fides* (ait Cassianus) *& devotio intantum fuit Deo accepta, ut Divino Testimonio comprobata sit. Revelatum est continuo seniori, hac eum obedientia Abrahæ Patriarchæ opus implevisse.*

927 Admiratione quoque dignum est, quod Chronica nostra Carmelitarum Excalceatorum tom. 4. lib. 11. cap. 31. n. 3. refert de quodam Fratre Chorista; qui cum esset Ostiarius Conventus nostri Calagurritani, extrahens aquam exputeo alto, & aquæ magnam copiam habente: Claves Ostii in puteum ceciderunt. P. Prior V. Fr. Elias a S. Sebastiano volens exire domo pulsabat ad hostium. Accedens Frater ille dixit, quod contigerat circa Claves.

Ss Cui

Cui Prior dixit: Vade, & illas extrahe: qui statim ad puteum festinans currit. Et licet Prior festinavit cum Socio, ut impediret: sed dum pervenit, jam se Frater projecerat. Accesserunt etiam alii, & respicientes imum putei, super aquam viderunt illum Religiosum, sed multo magis demirati sunt, dum illum aspexerunt ascendere per aerem, claves in manibus afferentem, & absque eo, quod in habitu, vel aliquo alio madefactus exiret.

928 Hæc, & plurima alia exempla, & facta, quæ passim in historiis referuntur, proponuntur nobis de obedientia, quæ à Mysticis cœca nuncupatur: non quia circa obedientiam non requiratur prudentia, sed ut sciamus Judicium prudentiale obedientiæ potius inniti principio extrinseco, nempe judicio superioris, quam proprio subditorum.

ARTICULUS VI.

Utrum si præceptum sit de re difficillima, vel in grave detrimentum proximi, aut subditi, hic teneatur obedire?

§. Unicus.

Regulariter, non tenetur obedire.

929 Cum ratione circunstantiarum res morales plurimum varientur; non potest tan generalis, & infallibilis regula assignari, quæ omnes casus excogitabiles compræhendat; ita quod non possint excogitari casus, in quibus occurrat talis circunstantia in adimplectione præcepti, aut periculum, ut subditus ab obediendo excusetur. Ideo præsens quæstio proponitur: Circa quam plures, & graves Theologi docent, quod si à superiore præceptum imponeretur communitati de re difficillima, non obligaret; etiam si sub dubio, vel opinione probabili esset illicita, nec ne. Ita Soto Relect. de secreto, membro 3. quæst. 2. in declaratione 1. conclusionis. Quod probatur ex cap. Siquis ingenuus 29. quæst. 2. Ubi docetur, qui fœminam duxit, de qua dubitatur valde, an sit libera, licet à superiore præcipiatur, non tenetur reddere debitum. Quod etiam docet D.Th. reddens rationen in 4. dist. 36. in exposit. litteræ ibi: *Si autem ex causa probabili dubitet, vel vehementer præsumat, aut certè cognoscat, non debet ei redditum reddere Ecclesia præcipiente: quia vel sibi præjudicium faceret, si eam affectu uxorio cognosceret, aut aliàs fornicaretur.* Deinde, quia, ut communiter dicitur, quod est nimis difficile pro impossibili reputatur: juxta regulam autem juris, *nemo ad impossibile obligatur.* Neque homo intendit ad hæc per obedientiæ votum se obligare,

Sed objucies 1. Sanctissimus Patriarcha Benedictus in sua Regula cap. 28. ait: *Si cui Fratri aliqua forte gravia, aut impossibilia injunguntur, suscipiat quidem jubentis imperium cum omni mansuetudine, & obedientia*: Ergo moralis impossibilitas, aut difficultas præcepti ab obligatione non excusat.

930 Secundo: quia Statutum Carthusianorum prohibens esum carnium eos obligat etiam cum periculo mortis, quam subituros esse agnoscunt, nisi carnibus vescantur.

Resp. ad 1. cum D. Thoma 1. 2. q. 13. ar. 5. ad 3. ibi: *Hoc ideo dicitur, quia an aliquid sit possibile, subditus non debet suo judicio definire, sed in unoquoq; judicio superioris stare.* Etenim, quia subditi moltoties existimant rem præceptam sibi esse impossibilem, aut valde difficilem, se volunt ab obedientia excusare, in quo non suo arbitrio, sed superioris judicio debent stare. Sed hoc non tollit, quod in aliquo casu raro, ubi est nimia difficultas, aut molestia manifesta, subditus sit excusatus. Deinde S.Patriarcha est intelligendus in quantum ad inchoandam actionem, & aggrediendum quantum sit subdito possibile, præcipuè, dum actio non est mala: ut si præcipiatur capere passerem innitentem supra sublimen arborem: Licet enim actio videatur otiosa, non ita est, supposita obedientia; quia deservit ad fidem formalem obedientiæ, & exercitium humilitatis.

931 Sed quid dicendum ad illum casum D.Joann. Damasceni, quem refert Surius in ejus vita: Jussus enim est à suo Magistro, ut adiret locum publicum, & rem venderet pretio excedente nimis, in quo est

manifesta injustitia. Dicendum tamen est, Magistrum non intendisse venditionem iniquam, sed insignem tanti Viri abjectionem, & mortificationem: Siquidem certum erat nullum nec ignorantia, nec deceptione rem tanto pretio empturum fore. Et quamvis quidam Civis illud pretium adeo excedens tribuit, in tanti Viri gratiam, & venerationem illud soluit.

Ad secundam objectionem de obligatione sanctissimæ observationis Religionis gravissimæ Carthusianorũ, respondetur ideo obligari illos Religiosos, quia multum interest boni communis, & splendoris Religionis. Unde quando res præcepta directè est in bonum commune, & hoc hìc, & nunc præponderat bono, & commodo particulari, etiam propriæ vitæ; tunc potest cadere sub præcepto, & subditi tenerentur illam adimplere: Ut si præcipiat superior subdito inservire infirmis etiam cum vitæ periculo. Princeps mandat militi, ut portam custodiat, in qua imminet majus periculum. Sed quia de hoc, & de modo, quo obligat Statutum Carthusianum latè tractat N. Cursus Mor. Salmant. de legib. c. 2. pun. 7. ibi potest videri.

932 Nihilominus regula quasi generalis est, quod, quando præcipitur aliquid, in quo imminet periculum proximum vitæ, vel infamiæ subditi, vel alterius proximi; tunc licèt opinio subditi sit minus probabilis, quod sit illicita, excusatur, immò aliquoties id exequi non poterit. Ita Soto dicta qu. 2. concl. 3. & alii supra relati, quos sequitur Rodrig. 2. tom. Summ. cap. 9. n. 3. & t. qq. regular. qu. 12. art. 4. & 6., Banez 2. 2. qu. 69. art. 2. dub. 2. & alii. Soto ponit exemplum in Judice interrogante adversùs personam, cujus vita pretiosa est in Republica. Iudex secundùm opinionem probabilem legitimè interrogat, sed subditus probabiliter formidat de legitimo inquirendi modo, & aliàs agnoscit periculum grave, ut occidatur persona illa valdè utilis Reipublicæ: Hæc ita se habentia præponderant opinioni, & juri incerto ex parte judicis se tenenti.

Alii exemplum ponunt in Prælato inferiori, aut in subdito, officium, aut privilegium honorificum habente, cui Prælatus superior præciperet, ut renunciaret, vel desisteret ab appellatione, aut a lite inchoata. Tunc ergo, dicunt, quod si subditus opinaretur præceptũ non esse justum, non teneretur obtemperare, quia viget in grave damnum ipsius; & subditi miserrimè gravarentur, si ad quamlibet superioris opinionem tenerentur à suæ causæ defensione cessare. Unde D. Thomas 1. 2. qu. 96. art. 4. ad 3., quod *homo non tenetur obedire legi, quæ infert gravamen injustum subditis.* Si autem dicatur superiorem juridicè interrogare, & præcipere, respondet Soto, quod licèt superior habeat jus interrogandi, aut præcipiendi, etiam subditus habet jus ad suam vitam, & honorem conservandum. Quod debet intelligi, dummodo id, quod præcipitur directè non conducat, seu sit res valdè necessaria ad bonum commune, ut dictum est.

933 His addendum est, quod si subdito constat superiorem præcipere rem periculosam, scandalosam, vel in prejudicium notabile tertii, absque ulla ratione, vel ex ignorantia juris, aut facti, sive ex passione, aut malitia, vel sine causæ cognitione, tunc in dubio excusatur subditus, sed potius debet eligere id, quod probabilius, aliàs seclușo præcepto, videtur non esse malum, aut non tam grave. Quia superiores solùm habent potestatem ad rationabiliter subditos dirigendos, & ad bonum illorum, nec possunt abuti tali potestate modo prædicto.

Cœterum summopere subditis curandum, & cavendum est, nè ex sua levitate, vel ex affectu ad suam commeditatem, aut ex passione aliqua existiment superiores errare, vel abuti potestate, nisi manifestè, & quasi certo moraliter illis constiterit. Nam non raro contingit periculum circa honorem, salutem, &c. à subditis existimatum, esse imaginarium, ortum ex errore, aut propria commoditate. Scire enim debent, quod in quacumque causa dubia prò parte superiorum est præsumendum, ut inter Doctores communissimum est, alioquì gravibus periculis se exponent subditi.

ARTICULUS VII.

Utrum Confessarius conformari debeat opinioni probabili pœnitentis, relicta propria.

§. I.

Status dubii.

934 HOc dubium hìc excitamus, quia Auctores benigni conantur suā roborare sententiam hac instantia: Confessarius tenetur se conformare opinioni pœnitentis probabili, quamvis existimet illam minus probabilem, quàm propriam: ergo absolutè licitus est usus opinionis minus probabilis, & minus tutæ; consequentia constat, quia aliàs Confessarius amplecteretur, quod secundùm propriam conscientiam est illicitum. Anteced. probatur. Primò, quia pœnitens tunc ægrè feret negationem absolutionis, pœnitentesque arcerentur à frequentatione hujus Sacramenti. Secundò, Confessarius absolvere tenetur accedentem benè dispositum: Sed in hoc casu pœnitens accedit benè dispositus; siquidem existimat se non peccare, non restituendo, non jejunando, &c. Tertiò, hoc probant illa sua regula generali: Quilibet in causa propria uti potest opinione probabili; unde illa utens pœnitens, rectè dispositus accedit.

Ut expeditius in hoc puncto procedamus, oportet huic instantiæ respondere. Nonnulli ex probabilioristis admittunt, seu concedunt antecedens, & negant consequ. Dixi nōnulli, quia paucissimi sunt, & ex illis, qui non ex professo, sed breviter hanc controversiā de licito usu opinionis probabilis, tractarunt. Immò id admittūt positis aliquibus limitationibus. Rationē disparitatis assignant. Quia in hoc casu non esset positivè uti opinione minus tuta, & minus probabili, quā falsā existimat Confessarius, sed solùm permittere, quod illa pœnitens utatur, eò quòd apud se judicat esse veram. Idque explicant casu, quo Confessarius dubitaret rem esse illicitam, contractum esse simoniacum, aut dari obligationem jejunandi. Tunc enim videtur non habere sufficientem causam negandi absolutionem. Siquidem esset nimius rigor non absolvere pœnitentem probabiliter judicantem esse sibi licitum, dum Confessarius nequit judicare id esse falsum.

935 Cœterum inconsequenter procedunt auctores isti: nec disparitatis ratio verè assignatur. Falsum enim est, Confessarium posse se habere permissivè. Quia cum se habeat tanquam Iudex, & Magister; ut judex potius debet stare suo judicio, & non judicio rei delinquentis: aliud autem est manifesta inordinatio: ut magister verò debet docere pœnitentem, & admonere, & non è contrario: ut fusè infra dicemus.

Quare ad fundamenta probabilistarum breviter, & facilè respondetur. Ad primum transeat, quod ægrè ferat negationem absolutionis, irrationabiliter enim cōquæritur. Quid enim interest, quod reus ægre ferat sententiam, dum justè damnatur? Ad secundum fundamentum, negatur pœnitentem accedere rectè dispositum hìc, & nunc: hoc etenim non ad pœnitentem pertinet judicare, sed ad judicem tribunalis conscientiæ. Nec aliter potest Confessarius judicare, quia unusquisque debet regulare se, & alios, juxtà proprium dictamen, vel conscientiam: Unde Apostolus 1.Cor.10. ait: *Quid enim, libertas mea judicabitur ab aliena conscientia?* Et 2.Cor.1. *Gloria nostra testimonium propriæ conscientiæ.* Nec prodest pœnitentem existimare se non peccare; quia si hoc valeret, etiam si opinio esset improbabilis, vel esset certò error, teneretur Confessarius absolutionem conferre; quod est absurdum. Ad tertium respond. neminem posse, nec in propria, nec in aliena causa operari, aut consulere contra propriam opinionem, nisi eam deponat: Ad illam autem deponendam, esse necessarium invenire majora fundamenta pro parte illa, de qua controvertitur, an sit licita, satis actum est in toto hoc tractatu.

§. II.

§. II.

Quibusdam suppositis respondetur quæstioni, & probatur.

936. SUpponimus 1. in hoc dubio attendendum non esse, an sit proprius (ut Parrochus, seu Prælatus) aut an sit delegatus. Nam juxta communem sententiam, ex suppositione, quod Confessarius auscultaverit pœnitentis peccata, si prudenter judicare potest esse dispositum, debet absolutionem conferre, & si ita dispositus non est, nec à proprio conferri potest. Secundò supponimus: quod casu quo pœnitens esset sapientissimus, ita, ut attenta ejus Sapientia, rationibus, & auctoritate, Confessarius possit existimare non sic perfectè rem compræhendere, poterit mutare sententiam, immo debet mutare, illumque absolvere. Debet, inquam, propriam deponere, aliter illicite absolvit.

Tertiò animadvertere debent Confessarij, quod non debent judicio suo nimis niti: ita ut ex quo quis fecit suam aliquam opinionem; eò quod illam docuit, vel quandoque defendit; hoc ipso illam semper sectetur, nec unquam deponat: sed cum omni docilitate, & indifferentia judicij, & propriæ inclinationis attendat ad utriusque partis rationes, & auctoritatem, & ubi seriò invenerit plus veritatis, seu majorem ad veritatis accessum adesse existimaverit, huic parti se conformet. Subindeque dum ex parte pœnitentis opinio habet plures, & graviores auctores, & ex alia parte pauciores, & non adeò graviores, & doctiores, poterit deponere proprium judicium. Quia regulariter ubi plures, & graviores, (præsertim si gaudent opinione excellentioris virtutis,) conveniunt, ibi veritas præsumitur. Nisi alij pauci sint tantæ auctoritatis, & virtutis, & attulerint fundamenta adeò urgentia, quæ alteram partem, quasi ad nihilum redegerint: tunc enim non poterit prudenter mutare judicium.

937. Dicendum igitur est Confessarium habentem propriam opinionem, quod aliquid est illicitum, non posse se accommodare judicio pœnitentis, nisi occurrat pro variando judicio practico in aliquo casu particulari circunstantia, ratione cujus non ultrò, sed prudenter possit discordare à judicio speculativo. v. g. judicat Confessarius illos tres contractus, (de quibus agitur in materia de usuris) esse usurarios, & lucrum ex illis acceptum debere restitui, vel Senem sexagenarium præcise ratione ætatis non excusari à jejunio: licet pœnitens habeat opinionem contrariam, non potest Confessarius illi conformari, nisi seriò inveniat urgentius pro illa parte fundamentum.

Probatur 1. excludendo rationem communem probabilistarum, nempe artificium per suas reflexas: & quia quisque potest uti sententia probabili, etiam si falsam esse existimet. Utrumque enim fusè in hactenus dictis confutatum est. — Prob. 2. Nam, ut sepe actum est, solutio quæstionis fieri debet per verum saltem existimatum; sed Confessarius judicat opinionem pœnitentis esse falsam, & suam esse veram: Ergo hìc, & nunc nequit solvere quæstionem per judicium pœnitentis. — Confirm. Inter opiniones contrarias unam necesserio oportet esse veram, & alteram falsam, ut cum Aristotele docet Divus Thomas supra num. 537. citatus. Nunc ergo Confessarius judicat restituendum, negat pœnitens: Confessarius existimat se non falli, sed pœnitentem: item judicat Deum nolle, ut absolvatur: omnia in contrarium pœnitens judicat: cui competit resolutio, & sententiæ prolatio? reo, aut judici, magistro, aut discipulo?

938. Explicatur, & urgetur hoc: triplex munus gerit Confessarius in actu confessionis, Magistri, Medici, & Judicis. In munere primo debet instruere, & docere pœnitentem pertinentia ad se rectè disponendum, vitam corrigendam, viam salutis sequendam. Contingit inter Magistrum, & Discipulum contrarium sentire: cui igitur standum est? Nonne in omni rerum ordine quid inordinatum non judicatur, magistrum teneri se accommodare menti discipuli? Cur ergo in omnium gravissima non sic est agendum?

In 2. munere debet Confessarius conve-

venientia medicamenta pœnitenti tanquam infirmo applicare, tum ad sanitatem recuperandam integrè, tum ad illam conservandam. Medicus autem in infirmis curandis tenetur uti medicamentis, quæ judicat probabilius infirmis prodesse, & ab illis abstinere, quæ judicat afferre nocumentum: quia debet quantum potest cavere periculum nocendi. Quis pro se curando advocaret medicum, qui applicaret medicamenta, quæ judicaret esse æquæ, vel magis nociva, quam salubria? Sed magis nocet Medicus Spiritualis, qui saluti, & vitæ animæ nocet, cum sit præstantius bonum. Tandem quid diceretur de Medico, qui, ut placeret infirmis appetentibus dulcia, & non amara, se conformaret cum dictamine, & appetitu infirmi, existimans medicamentum esse periculosum, & potius illativum mortis, quam salutis? Idem ergo sentiendum est proportionabiliter de medico spirituali. Nec valet dicere, quod respectu medici corporalis non vitatur periculum, si fortè est nocivum medicamentum: Secus in Confessario, qui nixus opinioni probabili, præcavet damnum. Sed contra, tum quia hoc satis repulsum est supra num. 608. & seqq. ubi impugnata est differentia circa res facti & juris. Tũ deinde quia, ut toto in hoc tractatu probatum est, non potest quis amplecti opinionem minus tutam, nisi sit probabilior. Tum etiam: quia hìc habet locum illud Christi Domini Math. cap. 15. *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt*. Hic enim Confessarius cœco modo, seu absque prudenti ratione procederet: ergo illicitè, nec prudenter potest judicare pœnitentem rectè procedere.

939. In 3. munere audienda est infallibilis doctrina Concilij Tridentini Sess. 14. cap. 6. *Quamvis autem absolutio Sacerdotis alieni beneficij sit dispensatio, tamen non est solum nudum ministerium, vel annuntiandi Evangelium, vel declarandi remissa peccata, sed instar actus judicialis, quo ab ipso, velut à judice sententia pronunciatur*. Ergo in quæstione, seu dubio controverso in tribunali confessionis non standum est judicio pœnitentis, qui reus, sed Confessarij judicis.

Confirmatur: à paritate fori externi, in quo tam circa civilia, quam criminalia standum est determinationi judicis secundum propriam opinionem, nec dignum existimatum est hoc in dubium vertere; quia contrarium esset ordinem judicum invertere: & cum sit in auctoribus utriusque juris, hactenus recursum non est ad reflexas pro conformitate habenda à judice cum opinione delinquentis, aliter enim reus fieret judex: ergo sic sentiendum in tribunali conscientiæ.

940. Dices tribunal fori externi esse justitiæ, & rigoris, tribunal conscientiæ misericordia plenum: in hoc reus pro se auditur, per se est accusator, & testis, undè pro se, & contra se credendus est: non ergo ex hoc ad illud valet argumentum. Respondetur esse discrimen in dictis, videlicet in illis, in quibus jam scitur adesse misericordiam, sed ad alia non debet fieri extensio. Pœnitenti standum est pro se, & contra se in factis, vel non factis: secus vero in hoc, an peccatum sit mortale, an non; vel an peccatum habeat hanc vel illam circunstantiam, an detur restituendi obligatio, sit ne rectè dispositus, & alijs, in quibus Confessarius, habita totius facti cognitione, procedit ad instar actus judicialis, & consequenter debet proferre sententiam, ut Sacrum Concilium docet, sicut sentit in corde, sic & in ore: Nec hic prosunt reflexiones, aut tergiversiones noviter adinventæ pro foro conscientiæ, sicut nullius momenti sunt in foro tribunalium. Quis ignorat Confessarium stare ibi loco ipsius Christi Domini, & tanquam si cum ipso Christo ageret, sic se debet habere pœnitens? Cogitet ergo an si realiter Christus ibi esset Confessarius, qualiter se gereret cum ipso Christo judice vivorum, & mortuorum: & sic se gerat cum Confessario.

§. III.

Ulterior explicatio, & probatio assertionis.

341. PRobatur tertio doctrina nostræ assertionis. Nam per contrariam sententiam imponitur onus gravissimum, & intollerabile Confessarijs: ergo non

non tenentur illi conformari. Prob. antec. nam cum in via probabilismi fiat injuria pœnitenti, si pœnitentis opinioni non conformatur Confessarius, hic teneretur habere notitiam omnium, vel fere omnium opinionum probabilium, quarum numerus est quasi infinitus; quia alias se exponeret periculo faciendi injuriam pœnitentibus, præsertim ubi homines habitant in locis, in quibus omne genus officiorum exercetur. Et ratio hujus est, nam in via probabilismi dum in favorem pœnitentis datur opinio, licet minus probabilis, possessio stat pro illo, lex non est sufficienter promulgata; ergo licet nullam mentionem faceret pœnitens talis opinionis, si fortè datur, & Confessarius illum obligaret ad restituendum, jejunandum &c. illi faceret injuriam imponendo obligationem, ubi non est, aut absolutionem negando.

942 Prob. 4. Cùm actus confessionis sit ad instar judicii, & in hoc concurrunt diversæ partes, & quæ petit, & illa a qua petitur, necessarium est, ut utriusque partis fundamenta, & merita causæ à judice discutiantur, & attendantur. V.g. evenit dubium, an pœnitens restituere teneatur: factum debet proponere pœnitens; in hoc illi standum est. Deinde quoad obligationem restituendi, vel non, adsunt fundamenta, tùm ex parte legis, quæ probabiliter obligat ad restitutionem, tum ex parte personæ, cui facienda est forsitan restitutio: cum ergo Confessarius judex sit, ut Sacrum Concilium tradit, non solum debet attendere ad rationes, & fundamenta unius partis, videlicèt pœnitentis, sed etiam ad alia ex parte legis, & personæ, cui probabiliter est restituendum. Unde cum hæc pars non citetur, ut pro se possit allegare, hoc debet supplere, & attendere judex tribunalis interni: nec in ejus potestate est arbitrari, & deffinire, quòd prævaleat hæc pars; nec illi attribuere majora, aut minora fundamenta, aut majus, seu minus jus, quam, quòd unaquæque pars in se, vel ex se habet, nec ad aliud institutum fuit pœnitentiæ Sacramentum, nisi ad judicandum secundum veritatem, vel secundum quòd existimatur ad veritatem magis accedere. Quid enim magis absurdum esset, quam quod in tribunali adeò venerabili pœnitentiæ, minus ad veritatem attendatur, quam in civili tribunali?

943 Eodem modò Theologizandum est circa aliàs obligationes. Judicat pœnitens obligationem non dari ad attentionem internam in Officio Divino nisi tantum sub veniali: & hoc ita in confessione manifestat, quia talem attentionem non habuit: Confessor judicat adesse obligationem gravem. Non igitur debet attendere ad pœnitentis fundamenta, solum, sed etiam ad illa, quæ sunt in suo judicio probabiliora ex parte legis, & Divinæ voluntatis: & cum proprium judicium autumet verum, & judicium pœnitentis falsum, nequit in hujus favorem sententiam ferre, illum absolvendo, nisi efficaciter proponat attentionem internam circa recitationem adhibere. Etenim Christus D. non præstitit potestatem tantum ad solvendum, sed etiam ad ligandum: immò hanc loco primo apposuit: *Quæcumque ligaveris &c.*

Confirmantur hucusque tradita. Scitum est id naturale principium: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris*. Vellet ne Confessarius, (idemque proponitur pœnitenti) dum haberet jus majus ad rem, quòd alius tertius Confessarius illam alteri adjudicandam decerneret habenti minus jus? Certè rationabiliter conquereretur, quòd sibi injuriam alter irrogaret: ergo id ipsum ipse tenetur præcavere.

944 Dices: pœnitens est in bona fide ex vi suæ opinionis: ergo non peccat ommittendo restitutionem, vel attentionem in officio divino: igitur Confessarius nequit obligare ad id præstandum, neque ad propositum efficax habendum: siquidem ad ejus munus solum attinet dirigere pœnitentem in viam licitè operandi, & abstinendi à peccato. Sed contra: nam ex hac doctrina sequitur, quòd Confessarius, nedum teneretur absolvere pœnitentem, quandò habet pro se opinionem probabilem; sed etiam dum existimat opinionem esse sibi probabilem, quæ est erronea, vel hæretica, ut si pœnitens, uteretur restrictione mentali in juramento existimans adhuc esse probabile, & licitum, quia ignorat propositionis condemnationem; & cum sit in bona fide, nec existimat peccare; confessarius posset, immò teneretur illum relin-

quere in bona fide, illumque absolvere. Præterea, multoties pœnitentes non habent ignorantiam invincibilem circa licitum opinionis propriæ; quia sæpe, etiam si viri sapientes sint, licet scienter, & advertenter non mentirentur, falli possunt in causa propria, & fortè non inculpabiliter; quia affectus, & passio, si rectè ordinata non sunt, non rarò influunt in deceptionem, & non absque culpa. Denique Confessarius tenetur vitare in pœnitente peccata etiam materialia, aliàs numquam teneretur admonere illum de ignorantiis etiam circa peccata gravia. Unde licet aliàs pœnitens sit in bona fide suæ opinionis, non excusatur Confessarius invertendo ordinem, ita ut præferatur judicium rei, dictamini judicis.

§. IV.

Caute se debet gerere Confessarius.

945 QUia, (ut inquit D. Gregor. in suo Pastor. 1. p. c. 1.) *ars artium est regimen animarum*, nulli dubium esse potest Confessarios in exercendo suo munere, & præstanda absolutione, cautè debere procedere. Est enim eorum officium præstantissimum, in quo Sanguis Christi D. dispensatur. Benignè tractandi sunt pœnitentes, in spem blande sunt erigendi, ad vitam meliorem, & in ea perseverandum sunt animandi; ita ut Confessarius possit dicere illud Isai. c. 50. *Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum, qui lapsus est*. Infirmum pœnitentem ne nimium turbet, sed in quantum in se est juvet, & animet. Imitetur Christum, de quo prædicatur Isai. c. 31. *Non erit tristis, nec turbulentus, vox ejus non audietur foris. Calamum quassatum non confringet, lignum fumigans non extinguet*. Manifesta fuit ejus mansuetudo in docendo, corrigendo, & in peccatores recipiendo, atque adjuvando. Hujus cœlestis, & Divini Magistri, medici, & judicis vice sedet Confessarius.

946 In his igitur, quæ sese offerunt, ad munus Confessarii pertinentibus magna prudentia, & discretione utendum est; ne taliter cùm pœnitentibus ità condescendat, ut ipsi conveniat; audiatque illud Ezechielis c. 13. *Væ qui consuitis pulvillos sub omni cubito manus, & sub capite omnis ætatis, dicentes: Pax, & non est pax*. Homines in molli statu peccati jacentes sunt, dum non repræhenduntur, dum non coguntur ad dimittendas, & vitandas occasiones, dum non constringuntur ad restitutiones faciendas, dum non obligantur ad præcepta adimplenda, sed collata absolutione dimittuntur; & tanto securius jam dormiunt, quasi pulvillos sub capite gerentes, & dum pacem putant, & securitatem, tandem lethalem esse somnum suum depræhendunt: & tandem multi in tormentis fulminabunt maledictiones in Confessarios, à quibus acri voce excitari debebant, & ipsorum mansuetudo ad infœlicem adeò statum illos adduxit.

947 Quid prodest confitenti, quòd Sacerdos dicat: *Ego te absolvo*: Deus verò dicat: *Ego te condemno*? Non multum illi proderit excusationem captare, quòd putaverit in via recta ambulare, dum invenerit Confessarium ejus cupiditatibus obsecundantem, & sibi invicem falso adulantes, aut errantes, securitatem promiserint. Audiendus D. Augustinus lib. 50. homiliarum homil. 11. circa fin. t. 10. *Quid ergo volunt, quod ego promittam, quod Deus non promittit? Ecce dat tibi securitatem procurator, quid tibi prodest, si pater familias non acceptet. Securitatem tibi procurator dedit, nihil valet securitas procuratoris. Quæ est autem securitas fratres vel mea, vel vestra, nisi ut Domini jussa intente, diligenterque audiamus, & promissa fideliter expectemus?*

Sed quid dicendum de illis, qui quærunt diligenter Confessarium affabilem, pium, benignum, qui ferè in omnibus, ad quæ propensionem habent, assentiatur, ut liberius, & licentiosè sic degant? fugiuntque Confessarios, qui Evangelica, & utilissima integritate animas ducunt per viam, quam veritas ipsa contestatus est esse arctam, non utcumque, sed ut ejus verba declarant: *Quam arcta est via, quæ ducit ad vitam, & quam pauci sunt, qui inveniunt eam!* Et in alio Evangelii loco ait: *Cæcus, si cæco ducatum præstet ambo in foveam cadunt*. O utinam sic pluribus, & Con-

Confessariis, & pœnitentibus non contingat, quòd ex Joanne Lorino narrat Jacobus Marchantius in suo Candelabro Mystico Sept. Sacram. tract. 5. lect. 8. tit. de secundo impedimento confessionis paulo ante finem.

948 Quidam (ait) in Itàlia, qui nonnullos contractus usurarios exercebat, cum accederet ad aliquos Confessarios, & ab illis non posset absolutionem obtinere, eò quòd ab hujusmodi contractibus abstinere nolebat, tandem invenit Religiosum quendam, qui alios Confessarios insimulans scrupuli, frequenter ei absolutionem impendit: ita ut hoc modo favorem ejus sibi concilians, sæpius ejus mensam frequentaret. Nocte quadam post lautam cœnam, dum Religiosus in Monasterium se recepisset, subito moritur nobilis ille. Tempore autem, quo agonizabat, en dœmones duo instar famulorum domini vestiti, pulsant ad januam Monasterii, evocantque Confessarium ad domum divitis deducendum. Dum vero per forum transeunt, Religiosus videt nobilem illum cum toga nocturna ambulantem ad lumen Lunæ, & putans esse irrisum irascitur illis ductoribus. At tunc nobilis accedens dicit ei: *Scito me non solum ægrum, sed mortuum, & damnationi æternæ addictum ob usuras, & Sacramentorum profanum usum: tu vero infœlix Sacerdos, & improbe Religiosè, cum me increpare debuisses, in peccatis aluisti, & ideò justum, ut in meis pœnis sis particeps*. His dictis illi duo dœmones rapiunt, unus Confessarium, alter nobilem æternis flammis adducendos. Socius Confessarii solus ibi relictus totus attonitus, & semi mortuus, paulo postquam animum resumpsisset, Monasterium repetiit, hæc, quæ adeò infœliciter contingerant, enarravit.

949 Talis est hominum conditio, & fragilitas. Quis facile vult contrastari amicum, displicere ei, quem diligit, non se accomodare benè factori, à quo necessaria; & convenientia eidem ministrantur. *Clausis oculis in nostra deceptione blandimur* (scribebat Mag. Gregor. in Ezechiel. homil. 4. post med.) *Scimus, quia vehementer claudit oculum cordis amor privatus*.

950 Sed inquires, an Confessarii teneantur ad restitutionem, quando muneri suo deficiunt, non obligando pœnitentes ad restitutionem, quando certum est hos ad restitutionem obligari, aut quando in sententia ipsorum Confessariorum obligantur. Et videtur ad restitutionem teneri juxta dicta in hoc dub. præsertim à n. 938. Nam si debet ex officio attendere ad jus alterius, illiusque damnum impedire, videtur esse causa damni, dum intervenit gravis culpa, & restitutio non fit: ac proindè non admonendo, & omittendo cogere pœnitentem ad restituendum, in ejus defectum Confessarius obligabitur. Ita docent plures, & graves Auctores, innixi regulis, de quibus in materia de restitutione.

Aliorum sententia distinguit: aut Confessarius se habet negativè; quia nec monet, nec consulit: & tunc asserunt non teneri. Quia & si teneatur monere, & cogere pœnitentem, hoc non est ex obligatione ex justitia erga tertium; sed ex obligatione, qua tenetur rectè, & validè Sacramentum ministrare, & salutem spiritualem pœnitentis procurare. Si autem consulit ex gravi culpa, vel ignorantia, (quæ numquam vel raró excusat, cum teneatur scire quid agere debeat ex officio) tenetur postea monere de obligatione, antequam propter moram suam redatur impotens, alioquin ipse tenetur. Si verò innixus, & motus pœnitens consilio Confessarii non restituat etiam admonitus à Confessario, hic adhuc teneri docet probabilior sententia, de qua N. Salmanticenses curs. mor. t. 3. de rest. c. 1. n. 117. ubi assignat disparitatem inter mandantem, & consulentem; quòd ille revocato mandato non tenetur, iste verò adhuc revocato consilio obligatur; licet ipsi respondeant cum distinctione.

951 Cæterum pro resolutione est notandum, quòd dupliciter se potest habere pœnitens in confessione circa obligationem restituendi. Primo modo, ita, ut procedat bona fide in non restituendo, & ideò nec interrogat, nec petit consilium à Confessario, nec huic ostendit circa hoc aliqualem dubitationem, confessorque sibi persuadet certò, pœnitentem sic procedere; tunc licet peccet non admonendo, ad restitutionem non tenetur: quia tunc Confessor nec tacitè, nec expresse consentire

intelligitur, neque concurrit, tenebitur tamen monere pœnitentem.

Secundo modo pœnitens se potest habere, dum dubitat, aut opinatur circa restitutionem, & interrogat, aut exigit consilium à Confessario, seu percipit ab ipso cognosci dubitationem: tunc si juxta sententiam Confessarii tenetur restituere, & tamen illum absolvit, etiam si nihil ei dicat, sed omnino taceat, difficillimum est Confessarium non peccare contra justitiam, ac per consequens tenetur ad restitutionem, in defectum Pœnitentis. Ratio est: quia pœnitens positivè movetur ex taciturnitate Confessarii, & collatione absolutionis; Siquidem hoc ipso indicat, & significat pœnitentem rectè dispositum accedere, absque eo quod restituat. Etenim quoties pœnitens conscientiam, & res suo Confessori manifestat, aut hic scit modum suum vivendi, & alias dissimulat, & silentio præterit, ille, inquam, existimat modò licito procedere. Fideles namque existimant ad hoc habere Confessores, ut tamquam Magistri per rectam salutis viam ipsos dirigant, nec sibi persuadent, sed potius sciunt errores suos, & ignorantias à Confessoribus approbari non posse. Unde in prudentum existimatione, non monere, seu veritatem Confessarium non manifestare, habetur tamquam tacita approbatio. Et hoc constare videtur ex illa regula juris in 6. *Qui tacet consentire videtur*, præcipue cum tenetur loqui ex officio, prout Confessor obligatur. *Error, cui non resistitur, approbatur, & veritas cum minimè defensatur, opprimitur*. Cap. error. 84. dist. De quo redibit sermo dub. seq.

§. V.

An dum opiniones Confessarii, & Pœnitentis sunt æquè probabiles, ille possit se huic accommodare: ubi aliqua non parum utilia Confessariis.

952 Supradicta videntur locum saltem habere, dum opinio Confessarii est probabilior. Sed major difficultas est, dum Confessor existimat suam, & Pœnitentis opinionẽ parem habere probabilitatem, an possit tunc, & debeat pœnitentem absolvere, vel debeat ad tutiorem obligare; Et videtur quod illum absolvere teneatur, quia in hac hypotesi nequit Confessor pœnitentem obligare, nisi juducet propriam sententiam veram esse: Sed hoc nequit judicare: tum quia supponimus non habere rationem aliquam majoris ponderis, qua possit dubium solvere. Tum etiam, quia ut supra dictum est à num 549. Manet in æquilibrio, & nequit ad unam, vel ad aliam partem declinare. Tum præterea, quia durissimum videtur tunc compellere pœnitentem ad id, quod judicat bona fide, & forte probabilius sibi licere. Quare nonnulli etiam ex antiprobabilistis ita docent: pro quo citatur Navarr. in Man. cap. 23. num. 24. & in cap. Si quis autem de pœnit. dist. 7. num. 77. Sotus in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 5. ad 4. Adrian. in quolib. quæst. 5. dub. 7. Ubi ait. *Si à pluribus, vel gravioris, seu æqualis auctoritatis Doctoribus contrarium teneatur, non adeo de se præsumere debet, ut totum velit in suam opinionem* (quæ forsitan erronea est) *concludere, seu coarctare, quasi ipse solus videat, & scientia obitura cum eo*:

953 Nihilominus consequenter ad dicta in tota hac controversia, dicendum est cũ cõmuni sensu Probabilioristarum Confessarium in hoc casu non posse se accommodare pœnitentis opinioni. Nam tenetur judicare secundum veritatem, quam existimat dari in suo judicio, ut hoc possit esse regula suæ operationis: ut in hoc toto tractatu dictum est: Sed stante æquali probabilitate in hypotesi hac, nequit judicare absolutionem præstandam esse confor-

mem

mem regulæ secundum veritatem: ergo nequit absolutionem præbere, nec assentiri pœnitentis opinioni, cum existimet esse indifferentem ad verum, & falsum, & exponere se periculo frangendi legem Divinam. Deinde quia Confessarius est Judex, Medicus, & Magister, qui tenetur judicare, & docere, quod verum autumat. Et confirmatur: quia posita æquali probabilitate opinionis, remanet intellectus in statu dubitantis quasi ligatus, ut ex D.Th. sup. late dictum est. num. 570. & si se inclinaret ad unam potius, quam ad aliam partem esset imprudens, & temerarius: ergo &c.

954 Dices: ergo nec poterit illum obligare ad restitutionem, nec ad aliud, de quo fuerit quæstio in nostra hypotesi. Resp. concedendo illationem. Quid ergo faciendum? Philosophandum esse & procedendum, sicut si Confessarius esset in dubio. In quo casu distinguendum est: Si occasio se offert, dum pœnitens est in statu sanitatis corporalis, & quæstio est de obligatione restituendi, seu aliquid omittendi, aut faciendi, Confessarius non debet, nec potest obligare ad restitutionem, vel simile; sed debet illũ obligare, ut redeat ad ipsum post determinatũ tempus, intra quod possit casum resolvere, vel quod inquirat pœnitens alios Doctores, aut Confessarium doctiorem: Et tunc si pœnitens efficaciter proponat stare resolutioni Confessoris, aut aliorum, & hoc credat prudenter Confessor, poterit tribuere absolutionem. Si tamen facta diligentia, adhuc res manet incerta, in dubio, seu æqualitate opinionum, tutior pars est eligenda, nisi quando quæstio versatur circa restitutionem alicujus rei, quam possidet bona fide, cum enim tunc sit melior conditio possidentis, restituere non tenetur: Si vero non possidet, in pari causa res est dividenda. Si autem Confessarius judicat minus probabilem opinionem pœnitentis, nequit illum absolvere, nisi integre restituat.

955 Quid ergo dicendùm, dum agitur in periculo mortis, & tempus non permittat majorem certitudinem comparare? Facta diligentia à Confessario, & pœnitente, quæ tunc ipsis possibilis est pro veritate scienda, & adimplenda obligatione in posterum, infirmus disponere debet, & onus imponere hæredi, aut Confessario, vel alteri, vel omnibus, quibus prudentia dictaverit, ut veritatem inquirant diligenter, & obligationem adimpleant, & in dubio tutam partem eligant. Aliàs licet hactenus adfuerit ignorantia invincibilis, fiet ex ommissione vincibilis, & in Divino Tribunali excusationem non habebunt, sed misere in æternum peribunt.

956 Sed quid agendum, si de propositi efficacia dubitat Confessarius? Pœnitens semper asseverabit se dolere, & proponere emendationem efficaciter. At juxta verba veritatis: *operibus credite*. Quanti sunt, qui ita dicunt, ita asseverant in posterum non peccandum, & benè vivendum? Sed recuperata salute, reipsa modus male anteactæ vitæ non mutatur. Iste non deponit consuetudinem jurandi: alii consensus, seu peccata luxuriæ non vitant. Plures ementes, & vendentes, Advocati, Procuratores, Scribæ, & alii hujusmodi, cujus regula conscientiæ est lucrari quantum possunt (non enim vocant furari) quando efficaciter operibus confirmant, quod spoponderunt, & de facto emendatio vitæ sequitur? Et, quod pejus est, ex consuetudine operandi, & ex ea persuasione, quod omnes ita faciunt, jam nec vix sentiunt remorsum. Quid item sentiendum de Ecclesiasticis provẽtibus, & beneficiorũ redditibus respectu illos possidentium, illisque fruentium? Quomodo adimpletur obligatio erogandi, quod superat ad sustentationem congruam, in pauperes, aut opera pia? Quid de obligatione Parochorum circa sciendum ea, quæ pertinent ad ipsorum munus, & circa obligationem concionandi, & instruendi plebem, & dirigendi animas sibi commissas per viam salutis, ut præcipit Concilium Tridentinum sess. 5. de reform. & sess. 23. de reform. cap. 1. & sess. 24. de ref. cap. 4. & alibi? Cum sæpius jam relatis, & aliis etiam diversis modis vivẽdi fideles ad Sacramenta accedunt, & vivendi mutatio non apparet, & forsitam nec de pluribus peccatis, vel gravibus, non se accusant, quia sibi blandiuntur, bene operari sibi persuadent, nec esse confessionis materiam autumant, eò quia alii, seu omnes ita faciunt: Sed jam ex Augustino rejecta est hęc excusatio supra.

957 Timendum igitur valde est, quod in talibus verus dolor, & propositum efficax coram Deo existat ad valorem Sacramenti sufficiens. Et pariter Confessarii illos auscultantes, & absolventes, dum multoties eorum modum non ignorant, non parum formidare deberent. Quapropter non mihi tantum, sed pluribus prudentibus, & vere salutem animarum diligentibus videtur, quod esset melius, si pauciorum bene, quam plurium male confessionem auscultarent: Meliusque disponere, & absolvere bene quinque, aut sex, quam centum male. Essetque conveniens, imo necessarium pluries differendam, non negandam absolutionem, ut prius opere ostendatur verus animæ dolor, & propositi efficacia. Si dicant nonnulli, quia benigni: Periculum est, ne redeant. Fatemur, sed hoc solum est conjectura; & valde multum est, vel unum facere vere pœnitentem. Etenim Confessarii diligenter debent curare, ut non mittant in porcos Margaritas, ut non conferant indignis Sacramenta, ampliando jura, circa quæ nihil possumus; Sed debent studiose, & diligenter attendere ad vitæ pœnitentium emendationem, quia pœnitens hanc operibus non probans, non verus, sed fictus pœnitens est. Talibus igitur potius dicendum illud D. Augustini: hom. 41. *Pœnitentes, pœnitentes, pœnitentes, si tamen estis pœnitentes, & non estis irridentes, mutate vitam.*

958 Superest respondere ad argum. in principio hujus §. Ad 1. Constat ex dictis, qualiter se debeat gerere Confessarius: licet enim non possit tunc absolutionem conferre; potest tamẽ monere, ut pęnitẽs redeat, vel quærat alios Doctiores, & si redeat, & adhuc res est incerta, nequit illum absolvere, nisi servato modo supra assignato.

Ad fundamenta Adriani dicendum considerationem, & reflexionem illam adeo plausibilem multorum sub specie humilitatis, non debere nos movere: Contra quam facit illud Eccli. 13. *Noli humilis esse in sapientia tua; ne humiliatus in stultitiam seducaris.* In hypotesi nostra non movetur Confessarius rationibus ex suo cerebro ortis; quia supponimus non solum illum ita opinari, sed cum pluribus, vel eminentioribus. Et qui sic opinatur, non præsumit, nec ipse solus videt, nec judicat sapientiam cum ipso obituram. Nam videt hinc graviora fundamenta ab auctoritate, & inde à ratione urgentiora: unde prudender segerit existimando id probabilius. Quandoque ex utraque parte duarum opinionum non valet discernere, quæ sint urgentiora, unde non præsumit, sed prudentissime suspendit judicium. Aliàs etiam quando putaret tutam esse probabiliorem, imo certam, non deberet præsumere ratione humilitatis contradicere. Porro hæc humilitas non parvam ingerit tentationem tacendi, dum plures bonum sentiunt, quod alter iniquum judicat. Contradicentibus, & irredentibus D. Dionysium sapientibus in Areopago, ipse contrarium sentiens verbis Apostoli assentitus est: nonne vera humilitate, & prudenter non sapuit, aut tenebatur aliis assentiri? Pariter Prælati non deberent cum Timotheo arguere, increpare &c. contra accervatos Magistros?

ARTICULUS VIII.

Utrum Confessarius possit relinquere pœnitentem in ignorantia sua.

959 Quamvis jam nonnihil dictum sit de obligatione Confessarii admonendi pœnitentem de ignorantia, qua laborat, quia res magni momenti est, utilissimumque Confessario id scire, ideò oportet hoc punctum diligentius explicare. Timendum namque est, ne ex Confessarii silentio pœnitentes in pluribus deficiant, aut in vero, & universali dolorore peccatorum, vel proposito efficaci, aut in operando cum ignorantia: licet enim ab ipsis invincibilis putetur, forsitam apud strictissimum Judicem vere vincibilis reputatur: *Non enim qui se ipsum commendat, ille probatus est; sed quem Deus commendat.* 2. Corinth. cap. 10. etiam ex parte Confessorum adest periculum, cum innata humanæ naturæ conditio sit non displicere hominibus, & veritas manifestata plerumque non placet: Nam juxta illud: *Veritas odium parit*, Rex Josaphat inquirebat, an esset Propheta Domini, ut per illum interrogaretur; cui Achab respon-

reſpondit: *Remanſit Vir unus per quem poſſums interrogare Dominum, ſed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, ſed malum, Michaam &c.* 3. Reg. cap. 22. O quanti ſunt Achabi, qui odio habent dicentes ſibi veritatem; & ea propter rectores animarum excuſantur illam manifeſtare, ſibi perſuadere volentes; *Quid proderit ſi certiorem faciam? forte nihil proderit, immo multum oberit.* Et miſere fallimur; quia non ex vera cauſa, ſed ex repugnantia hominibus diſplicendi, an Deo diſpliceat, non attendimus.

§. I.

Referuntur Auctorum placita circa præfatam obligationem.

960 AUctores conveniunt, Confeſſarium non poſſe diſſimulare; ſed teneri admonere pœnitentem laborantem ignorantia vincibili,& mortaliter culpabili, ſive facti, ſive juris divini, naturalis, vel humani: etiam ſi caſus urgentiſſimus ſit, & licet ex admonitionis exequutione ſequeretur damnum, vel ſcandalum quantumvis grave. Ratio eſt; quia aliàs Confeſſarius indigno conferret Sacramentum, nec ſatisfacit ſuo muneri: Sedet enim in Confeſſionali, ut Vicarius Dei, gerens Vices-Dei, ut Paſtor, Doctor, & Judex; & ſic nequit abſolvere, niſi quem prudenter exiſtimat abſolvendum à Deo, ut cauſa ſpeciali: Certum eſt autem à Deo non abſolvi pœnitentem tali ignorantia laborantem, & à peccato, ſeu objecto, de quo dubitat eſſe tale, non ſe abſtinentem: ergo peccat graviter Confeſſor, ſi abſolvat.

Difficultas, & non modica diſſenſio eſt inter Theologos, circa caſum, in quo laborat pœnitens ignorantia invincibili, quando, videlicet, & qualiter, ſit admonendus, itaut abſolvi poſſit, vel non poſſit. Primus modus dicendi aſſerit Confeſſorem non debere, nec poſſe pœnitentem in tali caſu admonere, quando nullum ſperat fructum ex admonitione, & pariter quando remedium eſt valde difficile. Hoc ſic aſſeritur in univerſali, etiam in his, quæ ſunt juris divini, vel naturalis; dummodo ignorantia non ſit de neceſſariis neceſſitate medii ad ſalutem. Explicant aſſertores inpoſſidente hac ignorantia majoratum, qui de jure ad alterum certo pertinet: in exercente contractum uſurarium: in obligato ad reſtitutionem, etiam ſi moribundus ſit, & retineat magnam quantitatem contractibus illicitis acquiſitam: idem aſſeritur de volentibus contrahere matrimonium ſtante impedimento dirimente, vel ſi jam eſt contractum, relinquendi ſunt fornicari; & hoc modo ex hac vita diſcedere. In his ergo caſibus, & aliis ſimilibus dum Confeſſor poteſt prudenter exiſtimare pœnitentes ignorantia invincibili laborare, & ex admonitione fructum non judicat ſequi, (eo quod non emendabuntur, vel etiam ſi emendatio ſequeretur, grave ſcandalum, aut infamia ſint ſequutura,) præſtanda eſt abſolutio, nec licite poteſt Confeſſor tunc admonere. Ita docet hos caſus adducens Bonacina de matrim qu. 3. punct ult. Qui plures alios Auctores allegat.

961 Addunt conſequenter alii caſum, quo conjux ignorat matrimonium eſſe invalidum, & manifeſtat Confeſſori debitum non reddere, nec id vult, non eſſe admonendum de nullitate, ſed potius debere Confeſſorem admonere, & præcipere, ut reddat: Hoc tamen non approbat Bonacina; quia eſſet mentiri, & inducere ad rem intrinſecè malam: ſed poſſet admonere in genere, ut proponat non offendere Deum in ullo caſu, vel dicere in genere, conjuges teneri reddere debitum. Sed quis non videt hac admonitione virtualiter ſuadere redditionem debiti, & rem malam intrinſecè?

962 Ex hac doctrina, & ejus fundamentis eamdẽ reſolutionem ad caſus alios extendunt. Ut ſi quis ignoraret fornicationem habere malitiam; pollutionem non eſſe peccatum, & in eam ſæpius laberetur (cujus ignorantiam non difficulter admittunt plures Auctores benigni) & admonitio non eſſet profutura, ſed nocitura, relinquendus erit in ſua bona fide. Idem de ſimoniacis, uſurariis, qui mille modis uſuras, & ſimonias exercent, & idipſum de exercentibus ſua officia, exigentibus, & accipientibus non parum ultra ſibi debitum. Hi igitur præfati ob uſum, & conſuetudinem,

nem, & quia alii sic faciunt, absque remorsu conscientiæ procedunt in praxi: Sed quia difficile credi potest à tali modo abstinendum, relinquendi in sua bona fide sunt.

963 Si autem quæratur ab his Auctoribus, quomodo poterit Confessarius scire tales laborare ignorantia invincibili, cum hoc sit res non parum ardua? Respondent (ita Bonac. & alii) posse prudenter id cognoscere, curando intelligere, an pœnitens credat esse in bono statu, vel an habeat dubiam conscientiam. Cœterum hoc est respondere idem per idem. Restat scire, quomodo curabit intelligere, si est in bono statu, aut conscientia dubia? Etenim non pauci sibi persuadent esse in bono statu, & ob usum, & quia alii sic faciunt, oculos luci claudunt, & nolunt intelligere, ut benè agant, & suum non dubitare illos non excusat, ut infra in hoc articulo ostenditur.

Hanc doctrinam nonnulli limitant casu, quo immineret periculum damni communis ex silentio, tunc dicunt teneri Confessorem admonere, licèt in pœnitente nullus speretur fructus, ut quando impedimentum scitur cum scandalo in populo: bonum enim commune prævalet privato: sicut Concionator debet dicere veritatem, licèt nullus fructus sit consequendus. Aliqui etiam limitant, dum ignorantia redundat in detrimentum proximi: Sed alii hanc limitationem rejiciunt, & addunt, quod etiam si monitio esset profutura, debet ommitti, si remedium est difficillimum; quia dicunt, doctrinam adhibendam debere esse in bonum pœnitentis.

964 Contrariam doctrinam adstruunt antiprobabilistæ communiter, loquendo de pertinentibus ad jus naturale, & alii, qui negant dari circa hoc jus ignorantiam invincibilem; qua non admissa, manifestè sequitur non excusari pœnitentes à culpa, & consequenter Confessorem non posse dissimulare, nec absolvere, nisi supposito proposito efficaci vitandi rem ignoratam. Adrianus in 4. qu.5. de Confess. dub.6. docet: dum ignorantia fuerit juris naturalis, aut divini, debere admonitionem fieri, etiãsi credatur nocituram; idem si fuerit juris humani, quod omnes scire tenentur. Si fuerit ignorantia facti, & sequuturum sit damnum tertii, non debet admonere, secus si non fuerit in damnum tertii. Sotus in 4. dist.18. qu.2. art.4. circa med. tradit pœnitentem esse admonendum de ignorantia cujuscumque juris, & etiam facti, quod scire tenetur, etiam si illi obsit admonitio: Si sit eorum, quæ non tenentur omnes scire, si creditur sine gravi scandalo posse prodesse, est admonendus; si verò absque tali scandalo non possit prodesse, debet in bona fide, si adsit, relinqui. Elizalde universaliter asserit esse admonendum, sive ignorantia sit facti, sive juris, nisi in ignorante invincibiliter jus humanum, dum ex non adimpletione non sequitur violatio juris naturalis, aut legis divinæ. Ita 2.part. de recta doctr. mor. lib.6. qu.20. per totam. Reverendiss. Tyrsus de recto usu opinion. probab. disert. ult. cap. ult. idem videtur sentire, quatenus ex sua doctrina concludit esse falsam illam, quam docent Theologi, nempe in dubio, an admonitio profutura sit, consultius esse pœnitentem in sua ignorantia, & bona fide relinquendum; nec aliquam exceptionem apponit, nisi in casu moribundi: & assignat rationem, quia Confessarius nequit absolvere pœnitentem, nisi rectè dispositum: Sed ita non est, qui admonitus non habebit propositum efficax non committendi peccatum, circa quod admonetur: ommittimus plures alios. Hos adduximus, ut conspiciatur minus fideliter plurimos probabilistas adstruere sententiã suam supra relatam tanquam omnino certam, & ab omnibus Theologis traditam.

§. II.

Prima, & principalis assertio, & ex Sacra Scriptura probatur.

965 Dicendum est primò. Dum est in potestate pœnitentis remedium ponere, & ex sua malitia nollet à peccato abstinere, debet à Confessario admoneri, etiam si non sit profutura, sed nocitura admonitio. Explicatur assertio. Quando veritas manifestata à Confessario non proderit, sed potius nocebit ob malam dispositionem pœnitentis, ita quod remedium, etiamsi difficile sit, potest illud adhibe-

hibere, nec sequutura sint in aliis mala culpæ, vel pœnæ, aut damna, & scandala gravia, tenetur Confessarius illi veritatem, & obligationem manifestare, etiam si credat illum esse in bona fide, & ignorantia invincibili laborare, sive ignorantia sit juris naturalis, sive divini, sive humani, aut etiam facti, nec illi potest absolutionem præbere, nisi præsupposito proposito efficaci abstinendi ab objecto, circa quod ignorantia laborat. Exemplum sit in exercente contractum usurarium, cui sit valdè difficile se rebus spoliare; in habente beneficium, quod per simoniam realem consequutus est, in habente hæreditatem, quæ ad alium certò pertinet, in non jejunante diebus, in quibus reverà non excusatur, in his ergo casibus, & aliis similibus, licèt pœnitens laboret ignorantia, sitque in bona fide, debet admoneri à Confessario, etiamsi illi sit valdè difficile adimplere obligationem, & licèt non sit profutura, sed nocitura admonitio, quandò aliud damnum ex relatis non est sequuturũ, de quo in secunda assertione. Assertionem docent Sotus, Tyrsus, Elizalde, & Adrianus supra relati, & præterea idem Adrian. quolib. 5. art. 2. à littera F. Petr. de Soto lect.6. de Confess. dub.7. Navarr. in Manual. cap.23. num. 83. & in cap. si quis autem de pœnit. dist.7. nu.71. Covarruvias, Ubigandt in tribun.Conf. tract.2. exam.3. qu.10. n.32. & alii plures.

966 Probatur ex Ezecchiel.cap.3. ibi: *Si me dicente ad impium: impie morte morieris, non fueris loquutus, ut se custodiat impius a via sua, ipse impius in impietate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem annuntiante te ad impium, ut à viis suis convertatur, non fuerit conversus à via sua, ipse in iniquitate sua morietur; porrò tu animam tuam liberasti.* Ubi Dominus non dicit, si profecturus. aut nociturus sit, sed absolutè. Non dicit, si peccator est convertendus, loquere, aliter tace: Solùm minatur, quod tacente Pastore uterque perit: Pastore annuntiante, peribit ille, per quem stetit non profuisse admonitionem.

Dices: Deum ibi loqui cum peccatoribus, qui erant in via sua mala; in præsenti est in bona fide de non peccato. Cœterum per ignorantiam absolutè non desinit esse in via mala, aliàs non deberent Pastores manifestare veritatem ovibus suis laborantibus ignorantia, & sacer Textus non distinguit, an sit sciens, an ignorans; & licèt dicat, morte morietur, quanti hac palliatione ignorantiæ student avaritiæ, lucris illicitis, quæ coram Deo constituunt in via mala, & postea ommissio admonitionis imputabitur Confessario veluti Pastori illius animæ, & uterque peribit. Deinde facta admonitione impio, si non convertatur, illi nocebit, & tamen est corripiendus: non ergo, quia est nocitura, est ommittenda, de quo redibit sermo.

Celebris est pro hac re locus Apostoli Actor.20. *Vos scitis à prima die, qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim... Quomodo nihil subtraxerim utilium, quo minus annuntiarem vobis, & docerem vos publicè, & per domos testificans Judæis, atque Gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Jesum Christum.... Quapropter contestor vos hodierna die, quia mundus sum à sanguine omnium. Non enim subterfugi quo minus annuntiarem omne consiliũ Dei vobis.* In qua cęlesti doctrina est notandum primò: qua diligentia S. Apostolus satagebat docere res ad fidem, & mores pertinentes, ut fideles ab ignorantiis liberaret; quod non ita videtur commendari ab iis, qui parum, aut nihil curant errare in doctrina, dummodo sit aliquid probabile, quidquid sit, an sit, vel non sit error. Secundò notandum, quod ibi animadvertit D. Chrysost. testificans Judęis, &c. *Hęc est illa libertas, etiam licet nihil profuissemus, dicere oportet; hoc enim proprius testificor, quando non attendentibus loquimur... Non enim subterfugi, ut annuntiem vobis omnem voluntatem Dei. Igitur, qui non dicit, reus est sanguinis, hoc est cædis. Nihil hoc terribilius.*

967 Tertiò notandum, quod Apostolus non solùm in communi, sed etiam in particulari annuntiabat veritatem, ut ignorantias à fidelibus tolleret (quod ad Confessores præcipuè pertinet) & hoc maxima solicitudine; & ex hoc colligit esse immunem à sanguine eorum, quidquid, an illi usuri essent malè, vel benè illa doctrina: Ergo, qui animarum curam gerunt, ut sunt Pasto-

Pastores, & Confessores, & animabus curæ suæ non manifestant veritatem, sed dissimulant, non sunt immunes à sanguine earum. Nec dici potest, quod circa illa, quæ Paulus annuntiabat, saltem circa aliquid, vel aliqua non dabatur ignorantia invincibilis; siquidem hoc ibi non indicatur: maximè in via docendi recentiorum, juxta quam faciliter talis ignorantia datur, cum ad illam sufficiat judicium, vel minus probabile operantis, quod objectum non sit illicitum. Tamen Spiritus Sanctus, & Ecclesia Sancta nobis legendam, & amplectendam doctrinam Apostoli proponit, ut discamus, doceamus, & operemur juxtà ipsam, in qua non invenitur exceptio ignorantiæ vincibilis, aut invincibilis. Ex quibus fit, quod absolutè, & simpliciter Confessor tenetur monere de ignorantia pœnitentes, sive profutura, sive nocitura sit admonitio, saltem in casibus nostræ assertionis: Sed quia ferè non datur regula sine exceptione, hanc infra assignabimus.

§. III.

Ex jure canonico, & SS. Patribus idem probatur.

968 Nicolaus Papa in cap. Dispensatio 43. dist. inquit: *Dispensatio est nobis cœlestis seminis injuncta: Væ nobis, si non sparserimus: Væ, si tacuerimus.* D.Gregor. in cap.Ephesiis, ead.dist. *Mundus à sanguine eorum non esset* (loquitur de Apostolo) *si eis Dei consilium annnuntiare noluisset, quia cum increpare delinquentes noluerit, eos proculdubio Pastor occidit.* Textus singularis in cap. 3. de reg. jur. in Decretal. sumptus etiam ex eod. S.Doctore, ibi: *Utilius scandalum nasci permittitur, quàm veritas relinquatur.* Alius Textus celebris rem nostram latissimè hoc punctum illustrans in cap. sit Rector 1. ead. 43. dist. ubi inter alia assignans causam tacendi, ait: *Quia dum culpas corripere metuunt in cassibus delinquentibus, promissa securitate blandiuntur, iniquitatem peccantium nequaquã aperiunt: quia ab increpationis voce conticescunt. Clavis quippe apertionis est sermo correctionis; quia increpatio culpam detegit, quam sæpè nescit ipse, etiam qui perpetravit.* Ubi clarè loquitur de existente in ignorantia, & bona fide sine scrupulo peccati. Divus Ambrosius serm.84. *Ego interdum parcens vobis, tacere vellem, sed malo vos contumaciæ causas reddere, quàm me negligentiæ sustinere judicium.* Ubi S. Doctor apponit admonitionem nocituram ex defectu, seu malitia ignorantium, vel audientium.

Resp. adversarij doctrinas adductas ex S.Scriptura, ex SS.Patribus, & alias, quæ adduci poterant, loqui de admonitione, & manifestatione publica à Prælatis, & Concionatoribus facienda, non de Confessarijs, qui solum in particulari denunciant. Illi enim debent monere, quia bonum publicum non est ommittendum. Ad probandum ergo deberẽt adduci auctoritates in terminis de Confessarijs.

969. Cæterum etiam nos dicimus, & rogamus. Ubi sunt pro se auctoritates similes interminis? ostendant illas nobis ad probandum interminis Confessarios excusari, & excipi ab obligatione, quam in generali imponit Scriptura, & Sancti Patres pastoribus, & doctoribus animarum: sed tales sunt confessores; ergo non ostensa exceptione, comprætenduntur in adductis auctoritatibus. Deinde auctoritas Divi Pauli nedum in generali, sed etiam in particulari expresse loquitur. Tandem corruit ratio sententiæ contrariæ: nimirum, quia si non prodest, & nocet, dissimulandum est; eò quod potius in præjudicium est animæ pœnitentis: hoc inquam, etiam deberet locum habere in publica admonitione, quia saltem aliquibus, vel pluribus laborantibus ignorantia invincibili fortè noceret: ergo etiam esset tacendum. Si dicas aliquibus proderit. Sed non satisfacis: quia non amplectentibus veritatem, nocet; amplectentibus in tuis principijs quasi nihil prodest: siquidem in sententia benigna antea non solum non peccabant, immo merebantur, tanquam si rem sanctissimam efficerent: si dicas esse peccatum materiale, nihil dicitur, quia multi ex probabilistis hoc negant juxtà dicta supra num. 694., alij vero docent de tali peccato nihil esse curandum, quia à Deo nihil aufertur.

970. Ad hæc: Experientia constat,

ea,

ea, quæ in concionibus dicuntur, ut in plurimum ſummuntur tanquam exagerativè dicta: Et ferè nemo judicat ad ſe pertinere veritates, vitia, & peccata, quæ ibi obiurgantur; Sed hoc ſe non tangere, ſed vicinum. Undè ſi à Confeſſario in particulari non fit admonitio, & correctio, parum prodeſt, quod in concionibus audiatur.

Secundò reſpondebis auctoritates adductas loqui de ignorantia vincibili, & in illa habere locum, ſecus in invincibili. Sed contra: Sancti Patres non diſtingunt de ignorantia vincibili, & invincibili: ergo loquuntur de manifeſtatione utriuſque. Prob. conſeq. Nam vel affirmatur Sanct. Patres non cognoviſſe illarum diviſionem; & hoc eſſet temerarium illis attribuere; vel cognoviſſe eſt aſſerendum, & ſic non eſſet ab illis ommittendum, ſed prius ſignificandum loqui de ignorantia vincibili, aliàs diminutè procederent.

§. IV.

Valdè difficile eſt diſcernere ignorantias vincibiles, & invincibiles.

971. Urgetur magis ex doctrina Sanctorum Patrum. Hi enim illuminatiſſimi Magiſtri non ignorabant difficillimum eſſe diſcernere ignorontias vincibiles, & invincibiles, & quando revera ignorans eſt legitimè in bona fide. Cum enim ſolum detur ignorantia invincibilis, quando ignorans appoſuerit debitam diligentiam ad ſciendam obligationem juxta gravitatem rei, quæ in pertinentibus ad Divinam voluntatem, & animæ ſalutem magni momenti eſt; & alias ſit valdè difficile, quod homo ſciat, aut recte credat appoſuiſſe debitam diligentiam circa talem ſcientiam, nec poſuiſſe impedimentum ad hoc, ut ſciret, non facile, ſed difficile exiſtimandum adeſſe ignorantiam invincibilem; & hoc attenderunt in ſuis doctrinis Sancti Patres, utpotè repleti timore ſancto, & affectu ad legum obſervationem: & maximè reſpectu juris naturalis, & legis Divinæ, & cujuſcumque obligationis, quam perſonæ ſui ſtatus ſcire tenentur.

972. Ad rem affert exemplum Illuſtriſſimi Arauxo in ſelectis in appendice ad quæſt. 8. Sanctus Franciſcus de Paula, (cui abundè Deus tribuit Scientiam Sanctorum,) Alphonſum II. Regem Neapoletanum, & Ludovicum Secundum, Carolum VIII., & Ludovicum XII. Galliæ Reges Chriſtiana libertate admonuit, & acriter obiurgavit de occultis criminibus in Regnorum gubernatione commiſſis, de quibus, ut ipſe Arauxo ait, conſcientia non remordebat. Nam erat materia gabellarum, & tributorum, quæ non aliter Reges ſolent imponere, niſi conſultis multis Miniſtris, & Conſiliorum, ſeu Parlamentorum approbatione. Et in talibus (his ſuppoſitis,) non autumant ſe peccare. Quare humillimus, & charitate plenus vir ille non præſumebat ignorantiam invincibilem, & fortè non profuturam admonitionem. Quid ergo ſi confeſſor Regum fuiſſet? Quid ſi aliorum, magnatorum, divitum, mercatorum, ſeu mulierum prophanarum? tacēdum judicaſset? Attenderet an monitio eſſet nocitura? Si attenderemus ad prudentiam carnis, à pleriſque imprudentiſſimum judicaretur factum illud.

973. Fallax igitur eſt recurſus ad remorſum, ut prudenter judicetur adeſſe ignorantiam invincibilem. Quem remorſum habent Mahottani circa ſuam ſectam? Remorſus eſſet illis illam deſerere. Quem remorſum habebant interficientes Apoſtolos, ſi juxta verba Chriſti Domini putabant obſequium ſe præſtare Deo? Etenim licet in Catholicis tales cæcitates, & ignorantiæ non ſint reperiendæ, poſſunt tamen dari circa alias obligationes non ita perſpicuas, quia, ut inquit Divus Thom. 1.2. qu. 94. art. 6. *proptèr concupiſcentiam, & paſſiones impeditur ratio applicare commune principium ad particulare, vel proptèr malas paſſiones (eò modo, quo etiàm in ſpeculativis errores contingunt circà propoſitiones neceſſarias,) vel etiàm propter pravas conſuetudines, & habitus corruptos*. De quo latè actum eſt ſuprà a n.82. per plures articulos.

Sinè remorſu igitur aliquo actuali formalitèr exiſtente, poteſt ignorantia eſſe voluntaria, & eſſe hominem in ſtatu peccati. Negligentia vivendi, & ſciendi multoties intervenit, quæ reddit indirectè vo-

luntariam ignorantiam: quia negligentia hæc satis cuique præsens est, & in sua potestate est diligentèr vivere: etiàm dùm sic operatur; in sua potestate est diligentèr incipere Deo deservire: ergò negligentia perseverante jàm adest causa erroris sufficienter uoluntaria. Superbia etiam est causa erroris, & ignorantiæ; habetque quisque in sua potestate desinere esse superbus.

974. Quis dubitat vitia, & appetitus obscuritatem, & cæcitatem in animam inducere, de quo N. Doctor Mysticus Beatus Joannes à Cruce lib. 1. Ascensus cap. 8. pro quo adducit illud Psalm. 39. *Compræhenderunt me iniquitates meæ, & non poui ut viderem*: & Psalm. 57. *Supercecidit ignis, & non viderunt solem*. Posita ergo obtenebratione, potest omnis deesse remorsus, & malitiæ actualis cognitio. Undè Divus Isidorus lib. 2. Synonomor. cap. 2. ita docet: *Ignorantia Mater errorum est: ignorantia nutrix vitiorum. Peccatum magis per ignorantiam prævalet. Ignorantia enim quid sit dignum culpa non sentit. Ignorantia nec quando delinquit cognoscit*. Ubi ergo remorsus, ubi scrupulus requisitus, ut non sit invincibilis ignorantià, & non excuset à peccato juxta hunc sapientissimum Doctorem?

Sufficienter hoc ipsum nobis ostendit pluribus in locis sacra Pagina. Proverb. cap. 14. *est via, quæ videtur homini justa; novissima autem ejus deducunt ad mortem*. Eamdem sententiam repetit Salomon cap. 16 Quæ autem sit talis via, explicat Cornelius à Lapid. d. c. 12. quod, *error in moribus est, quo quis licitum putat, & honestum, legique Dei conforme, quod difforme est, inhonestum, & illicitum*. Formidandum est exemplum illud Angeli, seu Episcopi Laudiceæ Apocal. cap. 3. cui ipsa veritas ait: *Dicis, quia dives sum, & locupletatus, & nullius egeo, & nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus*. Divitem se existimabat, charitate, virtutibus, ac bonis operibus, ut explicant Divi Gregorius, Ambrosius, Div. Bonaventura, & Albertus Magnus, quos ibi refert noster Sylveira: & erat miserabilis in via perditionis, læthalibus criminibus implicatus: erat enim tepidus, & superbus, ut ibi dicitur. Unde illi proveniebat cœcitas, qua ignorabat se male agere.

975. Facit ad rem quod Divus Ambrosius lib. 2. de Abraham sapienter scribit: *Vita humana, quæ implicata iniquitatibus sæculi istius, atque involuta non habens veri fulgoris claritatem, quasi fornax æstuat diversis cupiditatibus, ac quibusdam desideriorum anhelat ignibus, foris velut fumo quodam obtegitur, ne videat veritatis faciem*. Brevius Divus Augustinus Serm. 12. de tempore: *Voluntatis propensio auctoritatem vitijs quærit; & quod malum est, bonum, aut bono proximum esse suadet*. Plurima alia ad rem adduci possent. Fit ergo, Sacram Scripturam, & Sanctos Patres non recurrere ad damnandum defectum scientiæ circa veritatem, vel ejus ignorantiam, præcisè ad remorsus Conscientiæ, vel ad aliquam actualem cognitionem, sed ad cœcitatem ex vitijs, seu corruptis moribus provenientem: nam interveniente remorsu, dubio, seu actuali cognitione, erit conscientia falsa, vel dubia, non verò ignara, seu per ignorantiam erronea. Quare cœco modo procederet confessor, qui ex eò, quod non percipit remorsum, aut talem cognitionem, credit pœnitentem esse in bona fide, siquidem potest esse voluntaria ignorantia in causis adductis; ac per consequens in peccatoribus, in parum diligentibus circa modum vivendi, & Deo placendi, potius debet præsumere contrarium.

976. Ponamus exemplum in Parocho, aut Confessore sæculari, aut regulari: de quibus docent Nostri Salmanticenses tom. 4. de peccatis disp. 13. num. 11. *Quod non debent quotidianam studij moralis lectionem prætermittere, & maximè Prælati, deberent præ cunctis morali studio insistere, doctores sæpius consulere, omnemque diligentiam apponere, ne errent, aut errare sinant in agendis. Aliter eorum ignorantiæ vincibiles erunt*. Hæc, & alia Salmanticen. Et quæso quanti Confessores, & Prælati alijs occupationibus dediti, & quandoque non necessarijs, prætereunt menses, immo, & annos, & vix aperiunt librum Theologiæ moralis? Et si aliquem revolvunt, est brevis Summista, aut compendium: audiunt confessiones, disponunt, gubernant, &c.

&

& rarò conſulunt doctiores : & tamen quotidiè celebrant, & rarò de hoc ſe accuſant: quia remorſum non habent. Quomodo ejuſmodi miniſtri ſine prædicto ſtudio vitabunt errores? Quis dicet eorum ignorantias eſſe invincibiles? In alijs diverſorum ſtatuum perſonis poſſent exempla apponi: ſed non difficulter poteſt quiſque illa diſcernere.

§. V.

Pœnitens ad confeſſionem accedere debet cum propoſito adimplendi totam legem; & Confeſſor non debet præſumere contra legem operaturum, cognita veritate.

977. UT magis fulciatur doctrina tradita, & conſtet quanta ratione nitatur, proponimus hoc aſſumptum. Itaque conſtat ex Concilio Tridentino ſeſs. 14. cap. 4. Ut pœnitens accedat rectè diſpoſitus ad confeſſionem, debet inter alia accedere, cum efficaci propoſito non peccandi, ſeu vitandi omne peccatum grave, & conſequenter adimplendi omnem legem, ad quam tenetur: Ergo etiam debet habere voluntatem ſciendi omne id, quod eſt neceſſarium ad non peccandum, & legem implendam; cum autem ad hoc neceſſaria ſit notitia ſuæ obligationis, ſaltem virtualiter vult, ut hæc notitia ſibi præbeatur; alias non vellet intelligere, ut bene agat: Ergo ſi Confeſſarius exiſtimat, quod ſi ei obligationem manifeſtat, ad quam tenetur, illam eſt violaturus, non exiſtimat accedere rectè diſpoſitum, & conſequentèr non poteſt illum abſolvere. Si exiſtimat benè diſpoſitum, nequit prudenter judicare monitionem nocituram, ac proindè debet illum monere.

978. Confirm. Si habita veritate pœnitens contra legem Dei eſt operaturus, & Confeſſor credit eſse ita affectum, nequit judicare eſse verum pœnitentem, ſed fictum: & quo majori fundamento timet eſſe peccaturum, & ſic eſse tacendum, tanto magis revera ſibi conſtat non eſse converſum: ergo potius debet illi veritatem manifeſtare, ut melius diſponatur, & convertatur, & ſic rectè abſolvatur. Ponamus Petrum accedere ad confeſsionem hodiè neſcientem eſse diem feſtum: & confeſſor illum videt affectum ad exercendum quodam opus, adeò ut ſi illum admoneat, credit feſtum eſſe violaturum ſine ſufficienti cauſa. Quomodo poteris tibi perſuadere accedere cum vero dolore; & propoſito efficaci de cætero non peccandi? Qnandoquidem in hoc propoſito includitur voluntas ſervandi omnia feſta, & deſiderium ſciendi, qui dies ſint feſtivi.

979 Dices: Dum videmus proximum peccare, vel peccaturum, ex lege correctionis tenemur illum admonere; & tamen ſi nullus ſperatur fructus, ſed potius ſummeret occaſionem peccandi, vel novum peccatum perpetrandi, debemus tacere: ergo idem debet facere Confeſſarius, dum idem effecturum pœnitentem cognoſcit, ſi admonetur. Reſpond. negando conſequ. Ratio diſparitatis eſt; quia qui non corrigit, ad nihil concurrit, ſed ſe habet purè negativè: Confeſſor verò poſitivè adminiſtrat Sacramentum, tenetur ſolùm dignis, & rectè diſpoſitis illud conferre; in caſu autem noſtro illud minſtiſtraret indigno, ut probatum eſt: eſt enim pœnitens ex illis, qui nolunt intelligere, ut benè agant, immò ex veritate ſcandalum ſumunt; tum etiam quia Confeſſor exercet munus Magiſtri, qui debet docere pœnitentes, ſecus qui fraternè corrigit. Tandem Confeſſor tacere nequit, quia ex una parte nequit ommittere certiorem facere pœnitentem, ut experiatur propoſitum, & aliàs nequit abſolutionem negare, quia tenetur cauſam reddere, ob quam illum non abſolvit.

980 Omnia in hoc articulo tradita robur accipiunt ex inconvenienti, quod ex contrario modo dicendi infertur. Nam ſi ex eò quòd veritas manifeſtatur, ſumit quis occaſionem peccandi, vel augendi peccata, eſſet tacendum; ſequeretur Deum non rectè, vel ſaltem melius facturum non manifeſtando nobis ſuam voluntatem in pluribus, quia ſic vitaretur ejus voluntatis prævaricatio; quia, ut ait Apoſtolus ad Rom. cap.4. & 5. *Peccatum autem non imputaretur, ſi lex non eſſet*.

981 Deindè Chriſtus Dominus nobis exem-

exemplum non ità rectè daret docendi veritatem manifestando seipsum, & tot veritates perfidis Judæis, Scribis, & Pharisęis; cùm sciret non profuturum, sed potius illos sciret sumpturos occasionem scandali, & multiplicandi tot scelera horribilia, sed solùm esse docendos, à quibus fructus virtutum speraret. Et tamen, ut ait D. Augustinus in Psal. 63. *Prædicavit Regnum Cælorum, non tacuit vitia eorum, ut eis ipsa potius displicerent, non Medicus, à quo sanabantur. His omnibus curationibus ejus ingrati, tam multa febre frenetici insanierunt in Medicum, qui venerat curare eos, excogitaverunt consilium perdendi eum*. Hęc autem vitabantur tacente Domino, & alia multa, quæ leguntur in Evangelio: ut blasphemia, & actio illa execrabilis lapidandi ipsum Cœlorum Regem. Hæc inquam excusabantur juxta ipsius verba; Joann. 15. *Si non venissem, & loquutus fuissem eis, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato*.

982 Hanc excusationem videtur admittere modus docendi, quem impugnamus. Proponitur casus Divitis habentis uxorem, & filios, & qui debet, quidquid habet, restituere, quia est alienum. Confessor existìmat, quod hoc ignorat; timet si veritatem ei declarat nocituram. Dissimulat ob illam qualem fidem, quia sic ob ignorantiam in divino judicio excusabitur, & si eum admonet, damnabitur: & sic tacet, illumque absolvit. Hæc est, quæ existimatur charitas, & pietas. Sed poterit animadvertere, an potius sit maxima crudelitas. Unde constat certò ignorantiam illam esse invincibilem, cùm ex multis capitibus vincibilis esse contingat. Fallimur enim in judiciis nostris. In re tanti momenti, qualis est damnatio æterna, quomodò fidendum existimationi, quod si veritas revelatur, peccabit, & peribit. At ob hoc ipsum potius est loquẽdum. Si creditur non restituturum, quomodo diligit Deum super omnia efficaciter, prout tenetur diligere in articulo mortis? Ubi est propositum efficax non peccandi, & totam legem implendi? Ergo potius non admonitio exponit moribundum periculo damnationis.

Deinde voluntas hominis est flexibilis; & Deus misericors auxilia non negat, maximè in illa hora, in illo extremo, & difficillimo conflictu; quo major necessitas, majusque periculum, eò tunc est abundantius Dei adjutorium: non ergo existimandum est admonitionem nocituram, nec pręsumendum infirmum peccaturum, sed contrarium. Tandem quilibet Confessor, & etiam quilibet alius, qui desiderat vitam æternam, an si contigisset sibi esse in tali statu ignorans aliquam gravissimam obligationem, qualis est jam præfata, vel alia similis; an inquam vellet, quod ex hac vita fineretur discedere sine admonitione, & obligationis ejusmodi adimpletione, & sic accedere ad Divinum Tribunal, ut reddat rationem judici Christo Domino? Certè non videtur hoc voliturum hominem verè sensatum: igitur non aliud debemus de proximo nostro præsumere.

§. VI.

Argumenta contraria conclusioni dissoluuntur.

983 Arrg. 1. Confessarius debet attendere ad id, quod est melius in Sacramento pœnitentiæ: sed melius est relinquere pœnitentem in sua bona fide, quã facta admonitione, aliqua scire, & sic peccare: ergo &c. Confirm. quia admonitio Confessoris debet esse in bonum pœnitentis: admonitio autem in nostra hypothesi potius est occasio mali. Respond. conced. maj. ad min. negatur suppositũ: Non enim est in bona fide tunc pœnitens respectu judicii prudentis Confessarii, cum non possit prudenter existimare dari propositum efficax non peccandi, & adimplendi totam legem, ut latè à nobis probatum est. Quod autem peccet, si sciat pœnitens, id continget ex sua malitia. Ad confirmat. negatur min. Certè admonitio ad bonum pœnitentis ordinatur: quod sit occasio mali, continget, quia ita summitur ex culpa ipsius. Præterea doctrina argumenti non est conformis doctrinæ S. Paginæ, & SS. Patrum, ut supra dictum est.

Sed arg. 2. ex S. Evangelio, ubi Matth. cap. 25. præcipitur Agricolis dissimulare, & desinere crescere zizania, nè eradicetur simul

ſimul triticum: zizania autem quid aliud, niſi doctrina? Ergò errores quandoque ſunt diſſimulandi, nè bona fruges ſimul evellatur: igitur & Confeſſarius debet diſſimulare, nè bonum triticum propoſiti diſſipetur admonitione. Confirm. ex verbis Chriſti D. Joan.cap.16. *Adhuc multa bona habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo*. Ergo cùm pœnitens admonitionem non poſſit portare, à Confeſſario ommittenda erit.

Reſpond. doctrinam de zizaniis non eſſe pro Confeſſore ad propoſitum. Ager enim eſt Eccleſia (ut docet D.Gregor.) in qua bonis ſunt admixti mali, & vera falſis, uſque ad finem ſæculi; ut mali corrigantur, & per illos juſti exerceantur. Cœterum in Pœnitentiæ Sacramento admitti nequit hęc mixtio; quia non unum malum, non unum peccatum, ſed omnia eradicanda ſunt, nec unicum grave relinquendum. Ad verba Chriſti Domini reſpondetur, loqui de augmento, ſeu ſuperiori doctrina, & inſtructione ad perfectionem, quæ non ſtatim cuique ſunt tradenda, ſed juxta diverſum ſtatum incipientium, proficientium, & perfectorum.

984 Arg.3. Eccleſia Sancta eſt regula, & norma tacendi, & loquendi: ſed Eccleſia multa diſſimulat, non omnes corrigit, non omnes ignorantias depellit; plures doctrinas tolerat, quæ falſæ ſunt, ut videre eſt in libris. Ergo Paſtor, & Confeſſor etiam debet alia docere, & alia diſſimulare. Idque latè docet Textus in cap. Rector 43. diſt. ſumpto ex D. Gregor. ibi: *Sit Rector diſcretus in ſilentio, utilis in verbis, nè aut tacenda proferat, aut proferenda retineat*. Et ratio eſt, nam in hoc, ſicut in aliis actibus humanis debet habere locum prudentia, & circunſtantiæ, ut in aliis materiis, attendendæ ſunt.

Reſpond. Eccleſiam imitando Chriſtum Dom. tolerare malos inter bonos, & falſam doctrinam inter veram; quia omnibus adhibere remedium eſt impoſſibile. Nihilominus ſufficienter ab Eccleſia proviſum eſt de vera doctrina, ſi per nos non ſtaret, & ex hominum malitia non procederet uti doctrina falſa. Confeſſarius verò nullum debet in Sacramento tolerare peccatum, ut dictum eſt. Et in caſu noſtro rectè obſervaret circunſtantias admonendo: nam *Quis*, eſt ipſe, ad quem pertinet tradere doctrinam, & adminiſtrare debitè Sacramentum. *Quid*, eſt ipſa doctrina: Et *Vbi*, in loco confeſſionis: Et *Cur*, ob majorem gloriam Dei, & pœnitentis ſalutem &c.

985 Arg:4. & eſt Achiles adverſariorum, ex Textu in cap. ſi quis autem, de pœnit. diſt.7. ex D. Auguſtino homil.41. ibi: *Si ſcirem tibi nihil prodeſſe, non te admonerem, non te terrerem*. Ubi S. Doctor agens expreſsè de pœnitentia docet eſse tacendū, niſi ex admonitione ſperetur fructus.

Reſpond. plures valdè deceptos eſse circa verba S.Doctoris, aut ob errorem Collectoris Sacrorum Canonum, aut Impreſsorum ejuſdem operis. Et ideo in correctione Gregor. 13. in notula ante prædictum caput ita dicitur: *Hæc duo, & ſequentia capita accepta ſunt ex homil.* 41. *S.Auguſtini. Sed præſtat omnino homiliam ipſam legere*. In qua non ſicut in argumento, ſed ita legitur: *Si ſcirem tibi prodeſſe non te admonerem, non te terrerem*. Et ſic etiam nunc legitur poſt dictam correctionem in decreto. Unde ex hoc Textu potius colligitur contrarium concluſioni prætenſæ in argumento: ut ſtatim ex vero ſenſu conſtabit.

Itaque in illa homilia more verè apoſtolico Magnus Auguſtinus populo prædicabat pœnitentiam: & illa cœleſti lingua quaſi facula ardenti, incipit ſic: *Pœnitentes, pęnitentes, pœnitentes, ſi tamen eſtis verè pęnitentes, & non irridentes, mutate vitam, reconciliamini Deo, &c.* Et proſequitur agendo de periculo gravi damnationis illorum, qui ſerò pœnitentiam agunt, ſeu illam ad mortis tempus reſervant. Cùm mirificè id perageret divinus Concionator, more rethorico circa finem homiliæ loquendo cum aliquo in ſecunda perſona, omnibus alloquitur: *Si autem vis agere pęnitentiam*, inquit, *quandò iam peccare non potes, peccata te dimittunt, non tu illa. Sed unde ſcis nè fortè Deus dimittat mihi? Verum dicis. Vnde? Neſcio. Illud ſcio, hoc neſcio. Quia ideo do tibi pœnitentiam, quia neſcio. Nam ſi ſcirem tibi nihil prodeſſe, non tibi darem. Item ſi ſcirem tibi prodeſſe, non te admonerem, non te terrerem. Duæ res ſunt, aut ignoſcitur, aut non ignoſcitur.*

Quid

Quid ergo futurum sit, nescio. Ergo tene certum, dimitte incertum.

Sensus itaque illorum verborum: Si scirem tibi prodesse, non te admonerē,&c. est hujusmodi: Si essem moraliter certus, quod agere pœnitentiam in fine vitæ tibi prodesset,non ita tibi ponderarem pericula dilationis pęnitentiæ, nec te terrerem. Quid hoc cum obligatione tacendi in Confessore? Potius ex hoc infertur esse admonendum. Nam posset quis objicere D.Augustino: ex tua admonitione, & terrore datur occasio, vel potest summere occasionem pœnitens incidendi in barathrum desperationis: ergò non admonendus est, nec terrendus, sed potius spe veniæ roborandus. At hoc rejicit S.Doctor. Spe erigendus est pęnitens, sed simul admonendus, & terrendus, ut sic timore correptus majori conatu conteratur, & convertatur. Si autem occasionem desperandi summat, erit ex malitia sua.

986 Ex his colligitur qualiter valde minuitur auctoritas sententię nobis oppositæ, de non admonendo, communis recentiorū; quia nobiliores eorum, quos alii sequuti sunt, præcipuum fundamentum acceperunt ex adducto loco D. Augustini, qui nedum non favet, sed potius contradicit, & clarius hoc facit lib. de fide, & operibus c.7. ut in casu §. seq. adducendo. Pro quo facit, quo refert, & docet Navarr. in cap. si quis autem de pœnit.d. 7. Erat sententia communis cum Panormitano inter Canonistas, principium illud: *Tutior pars est eligenda*: Solum habere locum in foro interiori, non in exteriori. Sequuti sunt alii Canonistæ Panormitanum, qui se fundavit in auctoritate Innocentii III. in cap. ad audientiam de homicidio. Sed Navarr. auctoritatem Innocentii recte perspiciens, nullo modo favere prædicto auctori vidit: & ideo ait Navarr.n.38.in d. c.si quis: *Nec obstat, quod Panormitanus, & post eum communis opinio contra teneat, quia illa ideo est communis, quia alius post aliū ita dicere Innocentiū credidit; sed longe aliud: & sua eruditione dignius, ait, scilicet: Pro his, qui in casib.dub.&c.*Sic in præsenti:priores,& nobiliores probabilistæ persuasi sunt D. Augustinum doctrinam eorum clare docuisse, quos alii sequuti sunt nixi tantæ auctoritati. Cum ergo in hoc sint decepti, deficit, præcipuum fundamentum, & auctoritas eorum sententiæ valde minuitur.

§. VII.

DumConfessor credit sequtura gravia damna, aut scandala; si admoneat, an teneatur dissimulare?

987 In hac hypotesi dicimus Confessorem debere tacere, & non admonere pœnitentem, dum laborat ignorantia invincibili, sive admonitio sit nocitura, vel profutura, casu quo ignorantia non sit de eo, quod non omnes debent scire. Sit casus: Fœmina invalide contraxit in facie Ecclesiæ matrimonium, cum prius habuisset rem cum consanguineo in primo, aut secundo gradu mariti, quem accepit. Confessarius cognoscit nullitatem,& quod mulier bona fide utitur matrimonii jure. Si impedimentum illi revelat, certo judicat sequutura gravia inconvenientia: nimirum vel illam reddituram debitum,& mansuram in concubinatu; si nolit reddere, interficiendam esse à marito, aut sequtura gravia scandala. Dicimus Confessarium debere dissimulare; & quam primum poterit dispensationem à superiore sollicitare; deinde à fœmina licentiam loquendi petere de auditis in Confessione, illique veritatem manifestare, & impedimentum esse sublatum, ut matrimonium persificiatur juxta modum, quem graviores Doctores tradunt. Casum apponimus in fœmina, non autem in Viro, quia respectu hujus periculum, & occasio tanti detrimenti, aut scandali non videtur facilè dari. Si vero contingeret, idem dicendum existimamus, quod de fœmina.

988 Probatur assertio: 1. Ex textu in cap. quia circa de consanguinit. & affinit. Ubi cum esset obtenta dispensatio falsa narratione, ac proinde credebatur nulla, matrimoniumque esse invalidum, Episcopus Papam consuluit,quid esset faciendūm, cum ex separatione magnum sequturum scandalum. Respondet Pontifex. *Dissimulare potes, ut remaneat in copula sic contracta, cum ex separatione, (sicut asseris)*

grave

grave videas scandalum imminere. Ergo Confessarius idem potest agere, & si potest, scandalum vitare tenetur.

Nec valet responsio Hostiensis, Joannis Andreæ, Butrii, & aliquorum, Pontificem tunc dispensasse, eò ipsò quod dicit Episcopum posse dissimulare. Non inquam valet, tum quia verba Pontificis non sonant dispēsationē, nec convenit litterę textus hujusmodi sensus. Deinde, nam decisio hujus textus in jure Canonico proponitur tamquam doctrina universalis, quam sectari debemus in similibus casibus. Vel igitur textus intelligitur de dispensatione facta à Pontifice, & sic in omnibus similibus casibus debemus supponere dispensationem esse concessam, quod est absurdum; Si in talibus casibus non intelligitur dispensatum, textus hic tantum in illo casu habuit locum, & nunc esset inutilis. Præterea. Dato quod intelligatur dispensatio concessa, nihil proderat. Siquidem quando matrimonium invalide est celebratum, non perficitur per solam dispensationem supervenientem, nisi de novo perficiatur, ut apud omnes est certum, & liquet ex c.1. de eo, qui dux. in matr. quam poll. per adulter. cum gl. ibi. *Ergo dissimulatio Episcopi non efficiebat validum matrimonium, nec Pontifex adhibuisset remediū congruum*. Latè, & nervosè prosequitur Navarr. in dicto cap. si quis autem de pœnit. d. 7. quem sequitur Covarruv. in 4. decretal. 2. cap. 6. §. 10. n. 29. & alii.

Sed adhuc respondebis cum nonnulis: dispensationem appositam in illo textu esse intelligendam servatis servandis, scilicet, ut denuo ipsum matrimoniū contrahatur, modis quibus in materia de matrimonio traditur esse perficiendum. Sed contra: Nam Pontifex respondet esse dissimulandum; Sed ut matrimonium de novo contrahatur, necessarium utrique est conjugi, vel saltem (ut volunt aliqui) uni nullitatem manifestare: ex qua manifestatione erat sequuturum scandalum: ergo à vero sensu, & intentione Pontificis dissentit responsio. Ulterius sequeretur esse jam dispensatum in aliis similibus casibus, ut nuper dicebamus: Nam certum est ex doctrina textus esse in similibus dissimulandum; ergo si concesso, vel stabilito à Papa esse dissimulandum habet rationem dispensationis, jam pro similibus casibus esset dispensatum.

989 Secundo probatur. Nam in casu posito potest Confessarius sibi certo moraliter persuadere conjugem laborare ignorantia invincibili; quia nullitas matrimonii provenit ex impedimento jure positivo inducto, circa quod, præcipuè dum provenit ex copula illicita, vel ex crimine, faciliter potest in pluribus dari ignorantia, ut omnes admittunt: Et aliàs inconveniens, seu scandalum imminens non provenit ex malitia pœnitentis: unde datur sufficiens motivum ad relinquendum illum in bona fide, & ad permittendum peccata materialiter ob vitanda detrimenta, & scandala. Et deinde quia Confessarius potest sollicitare dispensationem, & disponere, quod matrimonium denuò perficiatur.

990 Tertio: Quia est commune apud Theologos, quod quando aliqua opinio defenditur à gravioribus Auctoribus, habetque gravia fundamenta, licet aliàs sit dubium, an sit probabilior, stante casu urgenti gravis necessitatis, & imminentis periculi, aut gravis scandali, est sufficiens circunstantia, ratione cujus possit intellectus inclinari ad illam partem, licet existimaret, quod fundamenta secundū se sumpta non essent sibi sufficientia: Sed negari non potest esse probabilem immo probabilissimam opinionem hanc, nimirum in casu nostro posse, & debere dissimulare: siquidem non solum est communissima inter Auctores sententiæ benignæ, sed etiam ex illis contrariis fere omnes assentiuntur; ut sunt doctissimus Adrianus in 4. de Confess. dub. 7. post 5. quæst. Navarr. in d. cap. si quis autem num. 67. Sotus in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 4. paulo ante fin. Magister Thomas Ubigandt in Tribun. Confessorum tract. 16. exam. 5. de matrim. num. 62. & alii: solum duos reperire potui contrarium propugnantes, quos dabo §. seq.

Tandem: quia hic sumus inter duo extrema, quorum quodlibet secundum se erat uitandum; nimirum status ignorantiæ in pœnitente, & damnum, & scandalum imminens: Cum autem simul concurrunt, & nequeat nisi unum vitari, dicendum, quod minus malum est, permittatur. Hoc autem videtur esse, quod maneat ignoran-

tia,

tia, licet sequatur aliquod, vel aliqua peccata materialiter. E contra ex manifestatione sequutura sunt peccata formaliter talia; quod majus malum est: igitur potius hoc vitandum est. Et maxime cum habemus declarationem Pontificis, quæ videtur satis perspicua, circa hunc nostrum casum: quæ non datur circa alios, de quibus in prima assertione:

§. VIII.

Duplex difficilis objectio, præcipue, quæ sumuntur ex D. Augustino.

991 QUamvis plures Auctores evoluere curavi circa resolutionem casus hujus non parum ardui, pro contraria sententia præpositæ assertionis duos tantum depræhendi. Primus; ille Spiritualissimus, & Mysticus Doctor Joannes Thaulerus: qui, in 1. sermone habito ad populum (& refertur in ejus vita) narrat pœnitentem quandam sibi in Confessione manifestasse rem habuisse cum amico sui mariti: ex quo filiam suscepit; quod cum omnino esset marito ignotum, illam filiam, & alium filium ejusdem amici in matrimonium conjunxerunt, qui, utpote fratres, incestuosè jure matrimonii utebantur. Quid igitur ille Theologus peritissimus? *Tamdem mulieri dixi, ut si animam liberare vellet, modum aliquem excogitaret rem gestam marito, suaviori, quo possit ordine significandi, &c.* (& loquens de fratre, & sorore conjuctis, licet ignorantia invincibili, ait:) *Qui sic incestuosè conjuncti, mirose in vicem amore prosequebantur. Ibi ego videns tantam iniquitatem, & ex misericordia compatiens miseris, tentavi diversis modis, si qua adinvicem ratione separari . . . Sed cum jussa Superiorum me ad domum revocarent, consului prima adulteræ; ut totum suum gravamen cuidam Fratri N. pio, & erudito in confessione detegeret. Sicq; recessi: Quam male postea eis successerit, uti frater ille mihi scripsit, vix explicare sufficerem.* Hæc Thaulerus. In hoc casu ex manifestatione sequutura essent gravissima peccata, damna, & scandala, ignorantia erat invincibilis conjugatis; & tamen non consuluit tacendum, & urgentiores causæ tacendi intercedebant ibi, quam in casu nostro. Unde Doctor iste, potius tacendum non esse, sentiret.

Alius auctor est Elizalde, qui 2. p. de recta doctrina mor. lib. 6. qu. 20. docet a Confessore manifestandam esse veritatem universalitèr, etiam si ignorantia sit invincibilis, sive sit juris naturalis, sivè divini, sivè humani, & etiàm si sit facti, dùm modo Confessarius sciat tunc dari obligationem, idest si habita scientia à pœnitente, obligaretur, ut in casu nostro, in quo licèt impedimentum sit ex jure humano, habita, notitia, non posset mulier copulæ consentire: idem, casu quo contraxit cum viro ignorans esse consanguineum ejus, cum quo habuit copulam: nec debet attendi an admonitio sit nocitura, vel profutura, sequatur, vel non sequatur damnum, scandalum &c.

992. Probatur primo hæc Sententia ex Divo Augustino lib. de fide, & operibus cap. 7. ubi refert quosdam humana quadam commiseratione commotos docere, omnes admittendos esse ad baptismum, ita ut solum instruantur, & admoneantur de rebus pertinentibus ad fidem, non vero de obligationibus ad mores pertinentibus, sed de his admonendi recepto jam baptismo; ad quem essent admittendi, etiam si emendationem recusaverint, imò nec de hoc essent admonendi. Hoc impugnat Sanctus Doctor. Sed misericordes adversarij hanc hypotesim objiciebant: *Quid si, inquiunt, virgo nesciens viro nupserit alieno. Hoc si semper nesciat, numquam ex hoc erit adultera: Si autem sciat, jam ex hoc esse incipiet, ex quo cum alieno viro sciens cubaverit. Sicut in jure prædiorum tandiù bonæ fidei possessor rectissimè dicitur, quandiù se possidere ignorat alienum: cum vero scierit, nec ab altera possessione recesserit, tunc malæ fidei perhibetur, tunc juste injustus vocatur.* Hic est casus propositus Divo Augustino: in quo intervenit ignorantia invincibilis non juris, sed facti, quæ facilius potest adesse. In illo invenitur ipsissima ratio philosophandi Sententiæ, quam §. antecedenti statuimus.

993. At vero Doctor Sanctus statim respondet: *Absit ergo, ut sensu non humano; sed planè vano sic doleamus, cum flagitia*

tia corriguntur, tamquam connubia dirimantur; maximè in Civitate Dei, in monte Sancto ejus, hoc est, in Ecclesia. Et infra: *Neque hinc diutiùs disputare opus, cum & illi, quibus respondeo non audeant affirmare nullum esse peccatum, neque negent esse adulterium, ne ipsi Domino, Sanctoque Evangelio apertè convincatur obsistere.* Ubi venit valde notandum Sanctum Doctorem non impugnare, quod tali mulieri conferatur baptismus absque admonitione: Sed solum asserit esse vanum timorem illum, quod si mulier corrigatur, jam sciens peccabit, immo putat talem quæstionem esse alienam à Monte Sancto Dei. Quid clarius contra assertionem positam §. proximo, cum non solum conferatur juxta illam pœnitentiæ Sacramentum; sed etiam sic abire, & obire permittitur sine illo.

994. Nihilominus videtur planè dicendum non pugnare doctrinam Sancti Doctoris contra supra stabilitam. Cum enim Pontifex Innocentius III. nobis adeo perspicuè faveat in textu ibi adducto, credibile non est illud statuisse contra doctrinam tanti Sancti Patris: fuit enim ille Pontifex eruditissimus, & valde versatus in Scriptura Sacra, & Sanctorum Patrum doctrina, unde non est credendum hanc ignorasse, & ipsam rejecisse. Respondetur ergo casum Sancti Doctoris esse valdè distantem à nostro; eo quod illi mulieri nescienti coniugatæ viro alieno non imminebat periculum gravis detrimenti, & scandali, nec de hoc in textu Augustini fit aliqua mentio, secus in casu nostro. Deinde quia ipsa mulier non patraverat crimen, ob quod daretur occasio marito illam interficiendi: sed ipse erat culpabilis. Ulterius cum ipsa esset infidelis, certius est maritum infidelem esse: Undè poterat ab illo separari modo, quo in jure disponitur. Tandem, quia potius sequeretur scandalum inter fideles, (qui fortè non ignorarent maritum habere aliam uxorem) videntes mulierem Christianam jam effectam, cum alieno viro coniunctam perseverare.

Dices D. Augustinum solùm fundari in eo; quod illa mulier perseverasset, licèt nescia, in peccato, & adulterio: quod nullo modo esset tacendum, sed manifestandum volenti percipere Sacramentum, quamvis accederet cum ignorantia invincibili: sed etiàm in casu à nobis posito sic inscia mulier est perseveratura: ergò non est dissimulandum. Resp. concedendo maiorem: sed negatur paritas. Quod enim sequitur ex fundamento D. Augustini, est veritas nostræ primæ assertionis: nimirum, quando pœnitens accedit nesciens se peccare, & admonitus a confessario sciens violaturum esse legem, absque eo quod immineat grave detrimentum, vel scandalum, est indicium non accedere cum proposito efficaci servandi totam legem, ac proinde non est admittendus ad Sacramenti receptionem. Hoc non obscure indicatur a D. Augustino, dum solum refert timorem, quod si admoneatur, esset scienter peccaturum, & tunc non esse tacendum.

995 Secundo arg. & simul urgetur argumentum præcedens. Mulier in casu nostro etiam urgenti, non accedit sufficienter disposita, seu cum proposito efficaci servandi deinceps totam legem, pro ut requiritur iuxta concil. Trident. ergo sine admonitione non potest absolvi. Probant. ant. Qui efficaciter vult adimplere legem, virtualiter vult illam scire, virtualiterq; notitiam eius audire, alias nec circa Deum, nec circa suam salutem est recte dispositus: sed si Confessor credit, habita notitia legis, pœnitentem esse illam violaturum, & esse in hac dispositione, etiam debet credere esse in casu, in quo non vult intelligere, ut bene agat. Si vero credit velle intelligere, ut bene agat, prout requiritur, planè sequitur esse illi veritatem manifestandam.

Explicatur. Si Confessor interrogaret expressè pœnitentem, an vellet intelligere totam legem, seu quamlibet, ad quam tenetur, sine reservatione. Si responderet nolle quamlibet intelligere, vel exciperet aliquam, quam nollet observare; non accederet rectè dispositus: ergo pariter si implicitè, & virtualiter hoc modo se habeat, rectè dispositus non accedit: cum ergo credat Confessor in casu nostro, quod si interrogaretur, nollet servare totam legem, nequit credere illum implicitè, & virtualiter velle vere, sed fictè to-

tam legm observare: ergo non accedit rectè dispositus, & cum proposito efficaci pœnitens.

996. Respondetur negando, Confessarium non posse prudenter existimare fœminam accedere bene dispositam, & cum proposito sufficienter efficaci. Ad hoc enim sufficit habere ejusmodi propositum in generali servandi omnem, & quamlibet legem, ad quam obligata sit, nec est necessarium, ut putetur adeo firmum propositum, quod posita tali, vel tali occasione valde difficili, & periculosissima pœnitens non esset peccaturus. Unde ut confessor certior fiat de vero proposito, non est necesse similes occasiones proponere, immo esset imprudens, & exponeret pœnitentem periculo titubandi, & deficiendi. Si autem expræsse exciperet aliquam legem, quam nollet scire verè, nec servare, non adesset tunc propositum universale, nec sufficiens. Ex quo constat ad explicationem. Non enim quia, si fieret manifesta obligatio, delinqueret contra illam, sequitur implicitè, & virtualiter non velle illam adimplere: quia cum non habeat nec levem notitiam obligationis, nequit illi attribui ejus violatio, quia nihil volitum, nisi cognitum. Manifestata vero, ex fragilitate & nimia difficultate deficeret.

§. IX.

Aliqua corolaria ex pracedenti doctrina.

997. Ex hucusq; dictis, & probatis colligere licet nonnulla, quæ ad complementum hujus articuli conducunt. Primo igitur colligitur, quod quãdo ignorantia pœnitentis fuerit juris naturalis, Confessarius debet speciali studio pedetentim procedere in ommittendo ad monitionem, quia admisso dari ignorantiam invincibilem hujus juris, raró ita contingit: Nec audiendi sunt auctores benigni, etsi numero plures sint, facilèadmittentes ejusmodi ignoratias: Siquidem nullum afferunt ad illam facilitatem testimonium Sacræ Scripturæ, vel S. Patris, sed solum suas rationes, & aliquas experientias, quæ fallibiles sunt. Immo sunt illis contrarij SS. Patres, maxime D. Th. Sed quia de hoc agitur supra quæst. 1. art. 4. & seqq. Ubi de conscientia erronea, ubi etiam applicatur Confessoribus doctrina circa hoc, ideo nunc id non prosequimur.

998. Secundo colligitur, esse admonendum pœnitentem de ignorantia ejus, quod omnes scire tenentur, etiam si nocitura sit admonitio, etiam si gravia in conveniientia sequerentur: quia tunc non datur ignorantia invincibilis, qua deficiente, nequit dari absolutio ommittendo admonitionem, ut supra dictum est hoc art. §. 1. Quæ autem omnes scire tenentur, explicat D. Th. 12. quæst. 74. art. 2. ibi: *Omnes tenentur scire communiter ea, quæ sunt fidei & universalia juris præcepta; Singuli autem ea, quæ ad eorum statum, vel officium spectant... Manifestum est autem, quod quicumque negligit habere, vel facere id, quod tenetur, peccat peccato ommissionis.* Et cõcludit: *ignorantia est vincibilis, si sit eorum, quæ quis scire tenetur.*

Quare sive sint juris naturalis, aut divini, sive humani ea, quæ ad cuiuslibet statum pertinent, qui hæc ignorant, non invincibiliter ignorant, & in hoc eventu à Confessore ante absolutionem sunt admonendi, supposita D. Th. doctrina, quæ verissima est. Animadvertat Prælatus, animadvertat Confessor, Sacerdos, & etiam Secularis Catholicus, & cujuscumque fuerit status, quanta diligentia debet curare scire, quæ ad proprium munus, vel statum pertinent: quorum ignorantia apud divinum tribunal non acceptabitur, etsi plura absque scrupulo fiant, & si illis visum fuerit operari bona fide, & absque conscientiæ remorsu; quia sufficit ad voluntarium negligentia sciendi; & non scire multoties provenit, *eo quod habent depravatam rationem ex passione, seu ex mala consuetudine, seu ex mala habitudine natura.* Vt docet Angelicus Doctor 12. quæst. 94. art. 4. Quod debent animadvertere Confessarij, ne faciles sint in admissione ignorantiarum.

999. Ad rem facit doctrina Doctissimi M. Banez 22. art. 6. dub. 2. ubi inquirit: an divites de superfluis teneantur dare elæemosinam in necessitatibus communibus,

bus, præter extremam. Et cum apposuisset hoc argumentum, pro parte nagativa; quod si hoc esset verum, damnaremus multos divites, & Confessores eorum. Respondet, quod non mirum est, quod multi divites damnentur, & Confessores eorum. Cæterum nos non damnamus divites, sed explicamus sententiam damnationis latam à Domino, & à Sanctis, & idem dico de Confessoribus. Nam si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt: Hæc ibi. Quis dubitat hoc ipsum in aliis pluribus obligationibus contingere? idem ergo finis percipietur.

Tertio colligitur, quid sentiendum de illa humana commiseratione, & benignitate multorum Scriptorum, & aliorum, quibus non placet tradita doctrina, dicentium esse nimis strictā, immo dantem occasionē multis gravibus peccatis formalitèr sumptis titulo vitandi peccata, quæ solum materialitèr talia sunt. Redditque Confessorem rigidum, & austerum, cum debeat esse blandus, pius, & misericos erga pœnitentes. Ideò ait Apostolus 1. ad Thimoth. cap. 4. *exerce te ipsum ad pietatem, pietas ad omnia utilis est.*

1000 Quid igitur est sentiendum de hac placenti doctrina? Esse cum grano salis accipiendam. Et incipiendo à pietate, quam in Confessario commendat, merito est amplectenda in cordis intimis, si accipiatur de vera pietate, & misericordia. Hanc nobis exponit D. Augustinus relatus in cap. Qui vult dist. 6. *Confessor habeat pietatem in alterius crimine: adiuvet confitentem orando, elaemosinam dando, & cætera bona pro eo faciendo, semper eum jubet laniendo, consolando, spem promittendo, & cum opus fuerit, etiam increpando, doceat loquendo, instruat operando.* Hæc Sanctus Doctor. Dicemus ne diminutè processisse describendo Confessoris pietatem, quia ommisit, ponere: *ignorantias dissimulando*? Quare? quia juxta SS. Patres rarò dissimulandæ sunt à Confessore.

1001 Pietatem, & charitatem Confessoris optimè describit Cardinalis Denoff Instruct. Conf. pa. 19. & ap. Genett. tract. 6. cap. 11. *Si Confessarii hac virtute verè præditi, plenique essent, quot illius fructus ad fidelem populum derivarent? Sed vera charitas inter Sacramenti pęnitentiæ ministros, ut vix illius umbra penè in multis appareat. Quidam charitatem exercere se putant, dum cuicumq; absolutionem petenti concedunt, non pēsantes, utrum talis absolutio conferat vitā, vel mortem juxta varias, contrariasque pœnitentium dispositiones. Alii charitatem existimant imponere leves pęnitentias, quæ nullo modo conveniunt peccatis. Alii charitate se moveri putant, cùm non aperiunt, & indicant peccatoribus periculosum statum, in quo degunt, sub inani prætextu illos non constituendi in mala fide, etiam in casibus, in quibus ignorantia non excusat. Tales charitatis species similes sunt charitati, quam prætendere posset Medicus dans medicinam cæteroqui optimam ad petitionem infirmi, non considerans, utrum in talibus circunstantiis possit esse causa mortis, vel sanitatis... Vera christiana charitas inquirit omnes modos, omniaque remedia suavia, & fortia, dulcia, & amara, quibus possit peccatorem è misero statu eripere.* Hæc ibi.

1002 Dicunt benigni nostram doctrinam esse strictam. Cœterum quid dicit ipsa veritas? *Quàm arcta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam?* Maximum amorem debet exercere, & ostēdere Confessarius pœnitentibus: sed ex vero amore oritur zelus, quo debet compellere eorum vitam pręceptis Christi conformem efficere, juxta verba D. Augustini: Qui nobis tradit, quid sit docendum, quid scribendum, lib. de Past. tom. 9. *Quod si fecerimus non verba Dei, non verba Christi, sed nostra, erimus Pastores nos metipsos pascentes, non oves.* Certissimum est Sanctos Patres esse benignitate, & charitate plenos erga proximum, pręsertim erga peccatores, & ignorantes; & tamen Medicis animarum consiliantur, quod in eorum scriptis conspicitur, & quod ipsi in praxi exercebant. Audienda sunt aliqua ex eorum dictis. Divus Augustinus in Psal. 21. expos. 2. exortans, qualiter Medicus animarum se debet gerere, inquit: *Non audit Medicus ad voluntatem, sed ad sanitatem.* Idem in Ps. 34. *Lethargici excitantur, phrenetici ligantur, & tamen utrique amantur.* Idem relatus in cap. Qui vitiis, 23. qu. 5. ibi: *Qui vitiis nutriendis parcit, ne contristet peccantium voluntatem, tam non est misericordia, quàm*

qui non vult cultrum rapere puero, nè audiat plorantem, & non timet, nè vulneratum doleat, vel extinctum.

D. Cyprianus ferm. de lapsis: *Aperiendum vulnus est, & secandum: Vociferetur, & clamet, licet & conquaratur ager impatiens per dolorem; gratias aget postmodum, cùm senserit sanitatem.* D.Hieronym. epist.147. ad Amandum presbit.in fin. *Cum clementi crudelitate non parcit Medicus, ut parcat; sævit, ut misereatur.* S.Thom.de Villanova ser.fer.6. post Domin.4. Quadr. *Quod enim Ecclesiam Domini hodie perdit, quid nisi Confessorum, & Pastorum blandiens adulatio, deliniens, demulcensque assentatio?* Ita describunt Magistri positi tamquam Ecclesiæ lumina pietatem, & charitatem Confessorum: non ergo est contra has nobilissimas virtutes zelus, & integritas in corrigendo, & admonendo.

1003 Nec valet, si dicas doctrinam Sanctorum Patrum tunc habere locũ, quandò vitia pœnitentium ipsismet sunt perspicua, vel ignorantia est vincibilis, secus, dum invincibilis adest. Damus tibi sensum illorum ita esse. Sed dicito, quandò in doctrina Sanctorum Patrum est credendum fidelem laborare ignorantia invincibili, & esse in bona fide, itaut credamus non peccare, licèt operetur contra legem? Si dicas cum sententia contraria nobis, quod tunc datur, quando operans in toto processu actualis operationis non habet aliquã advertentiam, aut conscientiæ remorsum de malitia objecti: Cœterum hoc non est doctrinæ Sanctorum Patrum conforme, ut ex dictis sup. §.5. constare potest. Et deinceps idipsum probat D. Hieronym. in Dialogo cum Crithebulo Pelagiano, præsertim lib.2.ubi ait: *Si hoc Pauli testimonio non moveris, audi aliud ejusdem, cui contradicere non potes: Nihil mihi conscius sum, &c. mire, nec me ipsum judico. Nihil mihi conscius sum, nec tamen in hoc justificatus sum. Qui hoc dicebat nullius utiq; sibi cõscius erat, sed quia legerat: Delicta quis intelligit &c. Et sunt viæ, quæ videntur viro justa, novissima autem ducunt in profundum inferni. Et iterum: Omnis vir videtur sibi justus; Deus autem corda hominum dirigit: idcircò temperavit sententiam, ne forte per ignorantiam deliquisset.* Sed de hoc latè dictum est sup. 1.par. qu.4. ab art.4. & à num.70.

1004 D.Thomas in 2.dist.22. quæst.2. art.2., & D.Bonav. art.2. q.3. ad id probãdum adducunt illud D. August. in Confessionibus: *Eò insanabilius peccabam, quò me peccare nesciebam.* Alia dedimus supra in hoc articulo §.4. ubi animadvertimus quãtùm distat hæc doctrina à Jansenismo. Quia ut supra eo §.4. dictum est, ex præcedenti negligentia, ex passione, & cupiditate præcedenti, quandòque ignorantia est indirectè voluntaria, & vincibilis, sine ullo remorsu actuali, dum elicitur operatio.

Tandem non obstat, quòd in principio hujus corolarii dicebatur: Nostrum modum dicendi dare occasionem peccatis formalibus, dum intenditur vitare peccata materialia. Negatur verò dari ejusmodi occasionem: sed dicimus Confessores in casu primæ assertionis non posse prudenter credere accedere pœnitentem cum efficaci proposito, prout requiritur, quandò existimarent pœnitentem, cognita lege, illam violaturum: nec facilè potest credere ignorantiam esse invincibilem, aut per multum tempus perduraturam: & deindè potest existimare pœnitentem Dei adjutorio non peccaturum.

1005 Ad hæc Confessarius debet omne studium adhibere, & diligentiam, ut vitentur peccata non solùm formalia, sed etiã materialia, quia in seipsis Divinæ Majestati opponuntur. Propterea veri amici Dei valdè circa hoc satagebant, & maximè dum munus Pastorum exercebant. Ideo omnem curam ponebant in adimendis ignorantiis, maximè à propriis ovibus, quia maximum malum putabant ignorantiam, & materialia peccata. Hoc apertè constat in casibus §.proximo adductis ex D.August., & Thaulero. Si nullum esset malum peccatum materiale, si nihil à Deo per id aufertur: sed potius est actio honesta, sancta, & meritoria, ut quid D.Augustinus repellit à receptione Baptismi fœminã laborantem ignorantia invincibili in usu matrimonii, si prius non monetur, & emmendetur; adeout contrarium, dicat S.Doctor, esse indignum in disputationem deducere; actusque illos in usu matrimonii nuncupat absolutè peccatum, & adulterium? Ut quid etiam illuminatissimus Thaulerus obligabat illam mu-

mulierem, ut si animam suam liberare vellet, suaviori modo, quo posset, rem illam manifestaret marito, cum tam evidenti periculo gravissimi detrimenti; & tamdem illam absque consolatione, & afflictam reliquit; eamque ad alium ob suam absentiam misit pro cõvenienti remedio? Quid cum hoc modo procedendi virorum (à Deo plusquam alii, illuminatorum) illa doctrina, quæ tam faciliter permittit ignorantias? Quid cum illa, quæ tradit, quod hoc ipso, quod sit aliquid probabile, licèt minus, licèt detur majus periculum frangendi legem, non est curandum vitare, quia est tantùm materiale peccatum, licèt contingat legem violari, imò erit actio honesta, & meritoria? Desinat ergo talis doctrina nos errare cum Divo Augustino, & aliis ejusdem qualitatis, quos brevitatis gratia ommittimus adducere.

ARTICULUS IX.

Utrum ex sententia probabilioristarum oriantur plures scrupuli, & anxietates, sitq; bujusmodi via nimis difficilis, & impossibilis.

1006 Inter cœtera argumenta, quæ pro se, & contra viam, quam sequimur, proponunt, & urgent vehementer Auctores benigni, apud ipsos valdè plausibile est illud: Usum sententiæ, seu doctrinæ probabilioristarum esse nimis difficilem, immò & impossibilem, si dicere liceat, expositumque innumerabilibus scrupulis, & anxietatibus. Adeoque hoc inconveniens amplificant, & magnificiunt; quo multorum animus non parùm deterretur, ita quod non audeant à probabilismo recedere existimantes esse absque illo impossibile fidelium animas per viam salutis dirigere, aut incedere. Sed hoc argumentum, seu interturbatio, vel terror, quàm infirmum sit, facilè agnosceret, qui recentis probabilismi conditiones radicitus examinaret, & qualiter magis consistat in vocibus hoc argumentum, quàm in rebus, & qualiter terrores, & difficultates, quas attribuunt sententiæ, quam vocant rigidam, magis reverà conveniunt suæ sententiæ benignæ, ut qui ex animò pio attentè scrutatus fuerit, & comparaverit hinc doctrinam Scriptorum probabilioristarum, & illinc scripta benignorum: ut hìc curabimus ostẽdere, de quo etiam actum est supra 1. par. à n.319.

§. I.

Referuntur fundamenta, quibus attribuuntur viæ probabilioristarum, difficultates, anxietates &c.

1007 Ommittimus objectionem vulgarem, ex illo Christi Domini; *jugum meum suave est, & onus meum leve*: & ex illo Evangelistæ Joannis; *mandata ejus gravia non sunt*. Quia jam satis de hoc actum est supra q. 2. art. 3. Probant ergo benigni, quòd intendunt, primo: Quia, juxta sententiam rigidam debet esse operans certus moraliter de licito, & honestate suæ operationis, sed hoc plerumque est difficillimum, immò impossibile, dum versamur inter opiniones probabiles: ergo &c. Prob. mi. Difficile planè est judicare, quæ probabilior, vel minus probabilis, tùm discernendo efficaciam rationum, tùm præstantiam auctoritatum inter ipsos Doctores, quia unusquisque judicat, & asserit suam esse probabiliorem. Quomodo igitur Parochus, seu alius Confessor, qui non habet nisi duas summas, & plerumque non nisi unum Auctorem, poterit discutere, quæ sit probabilior opinio; cum ipse fortè non habeat plus capacitatis, quàm ad historicè percipiendas opiniones, quandoquidem vel versati non parum in ipsa Theologia morali, & pariter in scholastica, & habentes bibliothecas nobiliorum scriptorum, hoc discutere, & discernere non possunt: quid de aliis dicendum? ergo in præfato modo opinandi, & dirigendi imponitur onus difficillimum, incomportabile, immo, & impossibile.

1008 Secundò. In eodem modo docendi certitudo de rectitudine operationis requiritur esse ita certa, ut parum formidinis maneat etiam in judicio directo: sed hoc ipso datur occasio innumeris scrupulis, & perplexitatibus; maximè personis timoratis.

ratis. Cum enim sese offerant difficultates, seu dubia circa objectum, & etiam circa circumstantias in modo operandi; & non sit facile invenire motiva ad formandum judicium cum morali certitudine, & absque gravi formidine; quot scrupuli, & perplexitates operantium animos circumplectentur, ita ut teneantur fere semper eligere nedum tutum, sed quòd respectivè tutius est? Et cum hoc valdè difficilè sit, exponentur fideles continuo periculo peccandi.

Tertiò id ipsum fulciunt: Quia debemus attendere ad temporum diversitatem, ut ipsa prudentia dictat: tempus autem præsens aptum non est ad tantum portandum onus. Etenim in præsentibus sæculis fidelium animi sunt minus dispositi, impedimenta virtutum urgentiora, occasiones plures, subsidia minora, ut possimus cum Apostolo dicere: *Quoniam dies mali sunt*, ad Ephes. c. 5. Expedit ergo aliquantum remittere arcum: ergo cum in via sententiæ rigidæ hæc non videantur attendi, ejus praxis est incommoda, & inconveniens. Secus in via sententiæ benignæ, in qua ejusmodi circumstantiæ prudenter attenduntur. Quare plures, & ex eruditis, nostris temporibus gratulantur ob fœlicitatem, qua frui possunt: quia virtute probabilismi fidelium animæ tot diversa itinera habeant, ut facile ad supera tendant. Hoc autem non sic contingere potest in via probabiliorismi, quippè rigida, & stricta.

1009 Confirmari etiam potest ex praxi Ecclesiæ Catholicæ, quæ tamquam pia Mater temporum diversitati se accomodat. Antiquitus strictiora dabantur præcepta; veluti in modo procedendi circa personas Ecclesiasticas, quarum vita strictior tunc erat. Ad Ordinem Præsbyteratus requisitum erat tempus triginta annorum; Impedimenta dirimentia inter affines, & consanguineos usque ad septimum gradum protendebantur, & ad quartum gradum ex copula illicita. Confessio peccatorum, & communio Eucharistica tribus vicibus quolibet anno erat sub præcepto, & alia plura: quæ pia Mater Ecclesia temperavit, & obligationem restrinxit, non ampliavit. Et præcipuè rigor ille, & modus antiquus designandi pœnitentias ferè in totum sublatus est. Debemus ergo inclinare hac tempestate non ad rigorem, & implicandas animas difficultatibus; & anxietatibus, sed benignè procedendum. Quapropter experientia ipsa ostendit, quàm pauci faveant sententiæ rigidæ, quàm pauci per illam incedunt. E contra quàm multi, immo sine numero sunt, qui benignam amplectuntur, docent, & accipiunt tamquam iter expeditum, & tutum: tantorum igitur auctoritas, & consensus magnum robur ei conferre dignoscitur. His argumentis fit satis infra à n. 1027.

§. II.

Probationes, seu objectiones adducta retorquentur in viam probabilismi, cui potius conveniunt origo anxietatum, & difficultas, &c.

1010 QUi conspexerit prima facie ratiocinationes supra adductas in sententiam probabiliorismi, & in probabilismi gratiam, non mirum, quòd hæc ei complaceat, & illa displiceat, attenta humanæ conditionis natura: quippè proclivi ad blanda, prona ad faciliora, & ad magis secundum carnem, & delectabilia inclinata. At quia nobis, prout sanguine Salvatoris Redemptis; sedulò est attendendum ad finem, ad quem sumus à Cõditore misericorditer ordinati, & ad media ad illum consequendum conducentia à Magistro, & Redemptore nostro ostensa in Evangelio; ideò debemus animum ad superiora attollere; non per viam commoditatis, sed per evangelicam in Cęlum tendere: quia infallibilis veritatis est illud: *Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*.

Fatemur in via probabiliorismi difficultatem reperiri, attentis viribus nostræ naturæ. Sed hinc quid inferri potest? Ergo non est amplectenda, sed reiicienda? Si valet illatio, fieri potest contra Legem Evangelicam, eò quòd est arcta, difficilis, & non ita blanda humanæ conditioni, & ideò, *pauci sunt qui inveniunt eam*. Fiat etiam contra plura præcepta tum naturalia, tum Divina, & etiam humana: in quorum ad-

adimpletione datur gravis difficultas. Sed de hoc jam dictum est supra, q. 2. ar. 4., & qualiter reddatur facilis, & suavis Lex Evangelica, & præceptorum adimpletio, non per medium à probabilismo inductum.

1011 Pro clariori intelligentia hujus puncti est notandum, quòd in hac duplici via, seu sententia, de qua nobis sermo, duplex potest considerari difficultas. Primam esse continget in adimpletione legum, vel evitatione transgressionis illarum, prout strictius docet, & dirigit via probabiliorismi, vel prout traditur in contraria probabilismi. Certissimum enim est, quòd in utraque via datur non parva difficultas in adimpletione omnium obligationum, quibus quisque ligatur juxta proprium statum: & similiter non facilè, sed difficilè est regnum cęlorum consequi, ut constat ex Evangelio. Quæstio igitur est, qua via adimpletio legis Evangelicæ erit suavior? Per quam erit minus difficilè vitam æternam consequi; per probabilismi viam, aut per illi contrariam?

Auctores benigni per viam suam respondent. Sed quibus fundamentis? Hæc apud illos non reperiuntur adducta, ex Sacra Pagina, aut ex SS. Patribus: quibus adhęrendum potius est in re tanti momenti, utpote à Deo edoctis, & ab Ecclesia Sancta, ut ejus lumina, quæ sequamur, propositis: qui suavitatem, & facilitatem rectè constituunt in sedula exercitatione virtutum, non in auferendo, & minuendo obligationes, sed potius in addendo. Sed quia de hoc fusse actum est supra dicta qu.2. toto art. 9. Si placet ibi potest videri, & alia dicentur in hoc, & duob. ar. seqq.

1012 Alia difficultas potest considerari in eliciendo judicio practico recto, ut operationes sint conformes regulis moris, dum occurrit dubium de earum honestate, aut quæstio circa quam interveniunt opiniones oppositæ circa licitum. Et circa hujusmodi difficultatem militant objectiones, seu ratiocinationes §. præcedentis. Non diffitemur inveniri difficultatem aliqualem in modo regulandi, & dirigendi conscientias in via probabiliorismi; quia attenta cęcitate per peccatum originale inducta in naturam humanam, & ut homo in viribus suis non confidat, & humilietur, & viribus gratiæ nitatur, relictus est experiri dubia, perplexitates, & anxietates: ut quisque quamtumvis illuminatus, & eruditus existat confitebitur. Nunc ergo est investigandum; in qua duarum harum viarum revera adsit major difficultas, & ex qua oriri possunt plures, & graviores scrupuli, perplexitates, & anxietates quoad dirigendas conscientias.

Jam mihi videor plerosque Auctores benignos, & alios probabilismum amplexantes mirari, quòd in quæstionem hoc adducatur: cùm adeò clarum appareat omnia illa inconvenientia vitari per directionem probabilismi. Cæterum licet per hujusmodi artificium, & ejus viam, directio conscientiæ adeò facilis videatur: tamen si attentè, & radicitus introspiciatur, non adeò facilem, benignam, & sine ex crupulis, & anxietatibus hanc viam experiemur, sicut se quoad speciem ostentat. Pro quo supponimus primo, probabilitatem, quàm statuunt Auctores benigni, debere esse veram, & non sophisticam, sufficientemque ad movendum intellectum, & voluntatem ad prudenter operandum. Secundo in eorum sententia supponimus judicium ultimum practicum de licito operationis debere esse omnino certum, evidens, & infallibile. Utraque suppositio est apud ipsos doctrina inconcussa.

1013 Sed quantam difficultatem patiatur hæc doctrina: quàm parum apta probabilitas, quæ secura apud ipsos putatur ad regulandam conscientiam: quàm arduum elicere præfatum judicium, prout illud construunt: quàm insufficiens ad conformandas voluntates, & operationes nostras cum Voluntate Divina, hæc (inquam) & alia hûc conducentia constare possunt ex latè dictis in tota hac controversia, quæ si rectè, & pia affectione perpendantur, non adeò benigna, facilis, & sine scrupulis, & conscientiæ anxietatibus, apparebit in praxi tam prædicata via recentis probabilismi. Quod autem plerique tantam securitatem sibi promittant in hac via, ex affectu, consuetudine, & quia sic educati sunt, potest provenire; & ex zelo salvandi animas; an sit secundum scientiam, est dubium.

Cæ-

1014 Cæterum si non urgeant, quæ hucusque dicta sunt, adeamus ad ipsos Auctores probabilistas, non ad quoscumque, sed ad nobiliores, qui ex professo de hoc assumpto scripserunt; & inspiciamus, quid requirant ad veram probabilitatem practicam; quid sentiant, & doceant de judicio requisito ad regulandam honestatem operationis. Terillus, duos integros tomos scripsit pro defensione sententiæ benignæ; tractavit diffusè de requisitis ad veram probabilitatem, præcipuè t. 2. de consc. probab. q. 2. n. 41., & q. 15. num. 12. & t. de regul. mor. q. 1. n. 7. ubi sic ait de requisitis ad probabilitatem veram; *Primum est, ut nitatur fundamento fide digno, idest tali, quod aptum est ad assensum, ab homine perito, & probo irrepræhensibiliter judicante, impetrandum. Iam ut motivum aliquod sit tale, ante omnia maximè requiritur, ne quidquam certi in contrarium afferatur: quia nemo irrepræhensibiliter judicat contra id, quòd est certum. Unde nihil contrarium fidei, aut decretis Summorum Pontificum, aut Conciliorum approbatorum, aut expresso scripturæ textui, vel unanimi SS. Patrum consensui; aut ulli argumento fidem facienti; atque moralem certitudinem inducenti, est probabile.*

1015 *Secundò: sententia aliqua, ut sit probabilis* (prosequitur Terillus) *confirmari debet motivo gravi, ac magno, scilicet valide attrahente ad assensum. Et quidem magnitudo hujus motivi sumi debet, non solum absolutè, quatenus vehementer impellit secundum se; sed etiam relative ad omnia in contrarium allata: adeout etiam in contradictione illorum vehementer alliciat ad assensum; idque præcise ratione sua magnitudinis, tam absolutè, quàm comparativè, & non ex affectu, ac propensione ejus, cui proponitur.* Hactenus, & rectè hic insignis probabilista: cujus præfatam doctrinam etiam refert RR. Tyrsus dissert. 1. §. 3. Adhibeatur animus ad hanc doctrinam magistri, quem ut ducem præcipuum sequuntur juniores probabilistæ, & judicetur, an sit facile hæc requisita discutere, & discernere, dum quis accedit ad comparandam in libris moralibus veram probabilitatem, dum se adinvicem contradicunt Auctores, an, inquam, juxtà hanc doctrinam poterit quis sine scrupulis, & anxietate amplecti sententiam, ubi videt pro lege stare æqualia, vel majora fundamenta comparativè, & relativè ad opposita? Sciolus ille Parochus, seu Sacerdos Confessarius poterit facile per suam unicam summam solvere dubium? Verum est quòd observando requisita à Terillo statuta liberabitur ab scrupulis, & anxietate, quia revera sunt ipsamet, quæ tradunt probabilistæ.

1016 Deinde ipse Terillus quæst. 6. de conscientia num. 24. ita docet: *Non solum plures, sed unus vir doctrina, & pietate præstans, si de novo in dubium vocet probabilitatem cujusvis sententiæ; & si communissimæ, & profiteatur se novis, magnisq; rationibus ductum id facere, sua auctoritate efficit, ne illa opinio sit certò probabilis quo ad nos:* Et rursus 1. par. de regul. mor. ait: *Quoties viri graves magnæ probitatis, & peritiæ fama celebres novis magni momenti rationibus contra communem sententiam insurgunt, illamque improbabilitatis arguunt illa per hoc ipsum perdit suam probabilitatem.* Hæc Teril. Erit ne adeo facile discernere, & dijudicare quantitatem talis fundamenti? Præterea quis negare poterit plures Auctores probos, magnæ auctoritatis, & peritiæ, Cardineles, Episcopos, Magistros &c. Magnis rationibus insurrexisse contra sententiam benignam, propugnantes operanti solum esse practice probabilem opinionem, (dum non favet legi,) quando facit illam subjective, & formaliter suam ex motivis præstantioribus, & inferentibus quandam moralē certitudinem. Sufficeret Præstantissimus Magister probitate, & doctrina conspicuus Reverendissimus P. Tyrsus Gonzalez, cujus liber de hac materia quasi in judicio contradictorio Romæ discussus consignata à Summo Pontifice Innoc. XII Congregatione, in qua auditis Doctissimis Theologis, & Censoribus, magno plausu approbatus, & in eadem Alma Urbe imprimi est permissus. Non ergo potest impartiri tanta securitas, quantam plures volunt tribuere sententiæ benignæ.

1017 Præterea post damnationem ab Innoc. XI. factam illius propositionis: *Generatim, dum probabilitate &c.* quæ refertur supra quæst. 2. art. 8. à n. 460, orta est con-

controverſia inter ipſos probabiliſtas, quæ opiniones compræhendantur ſub damnatione opinionis tenuis probabilitatis. Expoſitio inter ipſos communiter recepta aſſerit illas opiniones compræhendi, quæ tantum ſunt probabiliter probabiles; unde dicunt non tangi ſuam ſententiam benignam, quia hæc requirit probabilitatem certam de honeſtate operationis. Cæterum quam difficile ſit, & expoſitum perplexitatibus ferre judicium de quando opinio eſt probabiliter probabilis, quis nõ videt? Præterquamquod ejuſmodi expoſitio caret fundamento, & eſt voluntaria, nam ſi opinio includitur intra fines probabilitatis, habet eſſentialia probabilitatis, unde non erit idem probabile, ac prudens, quod eſt refugium ſententiæ benignæ: quomodo dicitur tollere anxietates, de quo actum eſt d. art. 8. §. 2. ergo re ipſa eas non tollit, ſed auget.

Tandem idem Terillus 2. par. q. 30. num. 3. & qu. 52. num. 2. hanc concluſionem ſtatuit formalibus verbis: *Intellectus nulli contradictionis parti aſſentiri poteſt, quandiu ſignate exiſtimat rationes utrique parti faventes eſſe æquales* (quod efficaciter probat, & concludit,) *Hæc ratio à fortiori convincit; quod nemo poſſit aſſentiri objecto, ac motivo, quæ abſolute credit eſſe minus probabilia oppoſitis*. Hæc prædictus Auctor, & refert Camargo par. 1. lib. 1. Contr. 5. num. 8. Idem tradit Perea in ſuo acri lydio lapide in fine libri, ubi hanc regulam tradit inter aliàs ad dignoſcendam veram practicam probabilitatem.

Dices hos Auctores aliis in locis ſtatuere doctrinam contrariam nuper adductam, ut videre eſt in diſcurſu operum illorum. At inquiritur, cui doctrinæ iſtius loci, aut alterius ſtandum eſt? Saltem ex hoc colligi poteſt incertitudo probabiliſmi: niſi dicatur, quod veritas adeò ex ſe clareſcit, quod facile non eſt illam fugere, ſed ipſa videtur compellere, ut hic, aut ibi manifeſtetur. Quare cum ſaltem ad veritatem magis accedat doctrina nuper adducta, potius illi ſtandum eſt. Et ut minimum ex illa conſtat non carere gravi difficultate, perplexitate, & ſcrupulis viam benignã: cum videamus, quod præcitati Auctores, & alii non pauci, poſt quam oppugnant fortiter ſententiam, dum perveniunt ad aſſignandas regulas pro ejus uſu in praxi, non parum illam reſtringuunt, & limitant.

§. III.

Idem aſſumptum proſequitur adducendo doctrinam ex aliis probabiliſtis.

1018 Inter Celebriores defenſores probabiliſmi connumeratur Eſparza. Hic par. 2. art. 113. eamdem doctrinam tradit, quæ nuper adducta eſt ex Terillo, & in appendice ad quæſt. de uſu licito opin. probab. art. 112. *Ad probabilitatem*, docet, *requiri, ut nitatur opinio fundamento abſolute, & comparative magno; ideſt fundamento, quod non ſolum ſeorſim, & ſecundum ſe ſit difficile ſolubile, & valde protrahat ad aſſenſum, ſed quod comparatum etiam cum fundamento oppoſitæ partis retineat adhuc vim magnam*. Ex quo infert non manere probabilem unam partem, quando apud eumdem fundamentum alterius partis evidenter, & manifeſte eſt majus. Idem docet, & explicat in eadem appendice art. 102. & in curſ. Theol. 1. 2. qu. 23. deffinit opinionem probabilem: *Opinio probabilis eſt, quæ nititur motivo fallibili, ſed magni momenti, ideſt fundante exiguam formidinem*. Hæ ſunt regulæ hujus eruditi Auctoris, (quem merito magnifaciunt probabiliſtæ) pro uſu opinionis probabilis in via benignæ opinionis: erit facile in eadem via diſcernere probabilitatem veram?

Nullus acrior propugnator jurium probabilitatis quam Cardenas, & qui ita perſpicuè, & diffusè nitatur ſtabilire uſum ſententiæ beningæ: Et tamen apponit plura clauſtra, ſeu limitationes opinionibus, ut licitè ſententia benigna ad praxim poſſit deduci: intra quæ clauſtra, (quæ ut minimum ſunt octo) non debet includi opinio, ut ſit practicè probabilis: ut videre eſt in ſuo opere de probabilitate, præcipue diſp. 15. cap. 4. art. 1. & 2. diſp. 10. cap. 2. ar. 11. & ſeqq. & alibi. Ad præfatas limitationes neceſſariò attendendas rectè probat, ut fiat judicium de probabilitate ſufficienti ad dirigendam conſcientiam. Certè non adeſt

parva difficultas in dignoſcendo, quæ opiniones includantur jn illis clauſtris, & quæ extra illa vagentur.

1019 Inſuper; difficultas, & anxietas in hoc probabilitatis practicę examine pręcipue procedit in caſibus occurrentibus ex defectu certitudinis, quam ſæpè in opinionibus,& earum fundamentis non reperimus ad quæſtionem, ſeu dubium reſolvendum. Quanta autem in certitudo detur in via probabiliſmi in comparando, & eliciendo judicium verum practicum in materia probabili, non ſolum conſtat ex fundamentis adeo urgentibus, & auctoritate tot ſapientiſſimorum probabiliſmum impugnantium; ſed etiam ex doctrina, & auctoritate ipſorum probabiliſtarum, qui ſe invicem opponentes, alteri aliorũ fundamenta, & modum regulandi conſcientiam tamquam inſufficientem rejiciunt.

1020 Pro quo eſt ſupponendum,(quod breviter tetigimus ſupra qu. 3. art. 1. §. 1. in fine,) Auctores benignos in duas claſſes, ſeu modos dicendi eſſe diviſos. Plerique eorum graviores,& antiquiores concludunt licitum operationis ex vi opinionis etiam minus probabilis per propoſitiones directas, & explodunt tamquam inutile,& falſum artificium reflexiſtarum, ut ſolum apparenter verum, & ſine reali fundamento. Alii vero (& iſte modus eſt communis recentiorum) ad reflexas recurrunt, videntes, quod ex directis nequit reddi judicium certum de honeſtate operationis, quod omnino neceſſarium eſſe contendunt. De quo actum eſt ſupra qu. 4. art. 1. Itaq; primus modus dicendi rejicit ſecundum, ut inutilẽ,& inſufficientẽ,& ſic illum reddit incertum: & hic etiam primum incertum reddit, illum impugnando: Ergo nec iſtorum modus eſt regula certa ad honeſte operandum, neque illorum, ſed tantum dubia. Quomodo excluduntur anxietates, & perplexitates à ſententia beniga?

1021 Primum igitur modum impugnat Filliucius tract. 21. num. 174. *Dum rationes contrariæ ſunt ferè equalis probabilitatis, tunc non eſſet ſatis ad eligendam partem minus tutam: proinde enim eſſet, ac dubitare, & eſſe ſuſpenſum*. Et num. 140. ait: *quando duæ opiniones ſunt in cæteris pares, & altera tutior eſt, hæc ut plurimum anteferenda eſt*. Et num. 149. docet: *eum qui conſulitur, abſolute loquendo teneri ad reſpondendum ſecundum propriam opinionem, non autem ſecundum opinionem aliorũ, etiam probabilem*. Vazq. 1.2. diſp. 67. num. 4. *Si ratione probabili conceptum fuit* (dubiũ) *alia efficaciori deponendum eſt, nam ſi minus efficax, & minus probabilis ratio, non ſufficit generare aſſenſum contrarium*. Sed quid neceſſe eſt alios referre, cum omnes porbabiliſtæ reflexiſtæ, talem modum rejiciunt: de quo actum eſt ſupra quæſt. 2.& 3. pet totam.

Secundus etiam modus oppugnatus eſt q. 4. art. 1. & quæſt. 3. art. 7. ratione illa conformandi voluntatem noſtram cum divina,de quo fundamento Eſparza 2. par. art. 146. ingenue fatetur,& efficaciter probat: *nullum patere reflexiſtis effugium, ne exiguam quidem rimam ad vim inſuperabilem ejuſmodi demonſtrationis declinandam*. Suarez in 1. 2. diſp. 12. ſect. 6. n. 9. Dicit: *tenetur præceptor ſaniorem, & veriorem doctrinam docere, in quo poteſt per gradus peccare juxta materiæ qualitatem*: quem refert, & ipſi aſſentitur N. Lezana, Conſulto 58. num. 51. Certum eſt non poſſe quem ſequi, neque conſulere, quod non poteſt docere: Si ergo tenetur præceptor docere veriorem, & ſaniorem, non poterit docere minus probabilem, & minus tutam, ut magis veram, & magis ſanam: ergo nec ſequi, vel conſulere. Reflexa nihil veritatis addit objecto; ſi eſt in ſe objectum uſurarium, & contra Divinam Voluntatem, non enim per reflexam mutatur Divina Voluntas; unde nihil prodeſt, quantumvis reflectas ad operationem circa illud honeſtandam; Si ante reflexionem non tibi apparebat honeſtum; Ergo inepte per artificium reflexionum auferuntur dubia, & anxietates.

1022 Si autem adduceremus in particulari plurimas reſolutiones Auctorum ſectantium probabiliſmum, facile dignoſceretur in illo origo perplexitatum,& difficultatum diſcernendi veram probabilitatem. Unum, & alterum caſum breviter attingam. N. Lezana, (qui etiam eſt Auctor benignus,) in dicto Conſulto 58. à num. 82. refert nonnullas opiniones, quas reputat improbabiles, & præſertim illam,

quæ

quæ affirmat potionem, vulgo, *de Chocolate* non frangere jejuniũ, *nisi sumatur* (addit) *in parva quantitate*:)& tamen talis opinio habet plures patronos, & ex professo illam discutientes, & propugnantes. Joannes à Cruce in suo directorio, ubi de Sacramento Pœnitentiæ, referens opinionem eximentem ab obligatione confitendi circunstantias aggravantes, concl. 3. ait: *Sed istam sententiam reputo improbabilem*. Passim in Auctoribus probabilismo consentientibus invenitur: nunc reprobare aliorum placita, vel sententias; nunc dicere, quod non auderent talem sententiam in praxi sectari: nunc ut improbabiles alias notare: licet ejusmodi opiniones habent plures Auctores adducentes sua fundamenta pro illis, & respondentes argumentis contrariis: ex quo fit non adesse levem difficultatem in applicando regulas, seu principia, (quæ statuunt pro vera probabilitate,) & in discernendo, quibus opinionibus vere conveniant. Tandem adeo multiplicatus est numerus opinionum, & modi dicendi, & inter opinandum dissensio, quod materia moralis, & veritas circa illam tota arcanum, jam tota mysterium videtur. Et unde tam in stricabilis confusio, nisi quia supponendo, quod probabile est licitum; quia prudens; & juxta illud axioma, quod vere circunfertur ex Tullio in Paradox. *Nihil est tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile*: intellectus humanus quærit vias ad fabricandas, & in lucem edendas tot probabilitates. Cæterum valde difficile est credere, quod hoc modo sternitur via ad vitam æternam faciliter consequendam: siquidem probabile, ut tale, non dicit determinate verum, sed est indifferens ad verum, & falsum. At Magister Cœlestis non ostendit, nobis hanc viam, sed illam: *Diligite veritatem, & veritas liberabit vos*. De quo sup. q. 2. ar. 3. §. 1. & de inceps.

✲✲✲✲✲✲✲

§. IV.

Refertur breviter modus resolvendi dubia in praxi, & dirigendi conscientiam in via probabiliorismi; & quænam in hoc reperiatur difficultas.

1023 Ostenso quodammodo viam probabilismi non carere difficultatibus, & esse non parum expositam scrupulis, & anxietatibus, si radicitus, & à fundamentis attente, & recte scrutetur; nunc videndum, quantã difficultatẽ necesse sit reperiri in via probabiliorismi, quam sequimur; quantum exposita sit scrupulis, anxietatibus &c. Hoc non melius percipi potest, quam assignando modum resolvendi, & regulandi per hanc viam. Hoc pluribus in locis hujus operis jam tactum; & hic breviter est attingendum. Dubitas an tenearis ad recitationem Officii Divini, eò quod tibi apparet aliqualiter tenue beneficium, quod possides: & vis tuam conscientiam in tuto collocare: quid faciendum? Debes inprimis absque passione, & affectu inordinato intendere veritatem invenire, & quæ sit voluntas Dei; deinde seriò, & magna diligentia evolvere Auctores graves, (si potes) vel consulere viros eruditos, & probos, de quibus existimes veritatem tibi dicturos, eritquè medium valde utile Deum deprecari, ut lucem emittat pro veritate assequenda. Si ergo attentis fundamentis tam à ratione, quam auctoritate judicas, cum excessu esse probabilius non adesse obligationem, poteris deponere dubium, & licité omittere recitationem. Si vero attentis fundamentis ex utraque parte tibi apparet esse magis probabile, vel æquè probabile te teneri, permanes in dubio, debesque recitare, ne te exponas periculo frangendi legem, & contra veniendi divinæ voluntati: *quia intrat illud principium*: *in dubio tutior pars est eligenda*.

1024 Hoc modo etiam procedendum, quando visis circa quæstionem duabus, vel pluribus sententiis oppositis, & earum fundamentis, nec potest discerni, quænam sit probabilior, nec prudenter judicare præstantiora stare pro libertate, debes securio-

curiorem partem amplecti. Quod si dubiū sit circa objectum, quod ex parte affirmationis, & negationis habet legem contrariam juxta oppositas opiniones, ut in illa quæstione, an possis in confessione complicem manifestare; tunc amplectenda etiam est probabilior, & in simili dubio illa pars, in qua majus vitatur malum. Sed quid, si hoc nequit discernere, quia nescit quæ sit probabilior opinio, vel quod extremum malum sit majus? De hoc dictum est supra par. 1. art. 3. à n. 49.

1025 Hic est modus dicendi, modus regulandi conscientiam, & discernendi inter opiniones in ordine morali quoad praxim in via probabiliorismi. Quæ igitur difficultas adeo ingens adest in eo, quod intellectus eliciat appositam regulationem? Quinam scrupuli, vel anxietates ex modo isto possunt exoriri? Immò hoc est medium ad illa vitanda, ut docet Clemens V. in Clementina, Exivi de verb. sign. ibi: *Attendentes, quod in his, quæ ad animæ salutem respiciunt, ad vitandos graviter remorsus conscientiæ, pars securior est tenenda*. Non recurrit Christi Vicarius ad viam sententiæ benignæ, sed ad contrariam.

Dices: Hic opus, & labor est. Quænam major difficultas, quàm si quis nescit, vel non potest judicium facere inter opiniones de illa, quæ tamquam excessivè probabilior faveat libertati, semper teneatur in praxi sequi, quod tutius est, & illam, quæ favet legi? Apud quem hoc nimis rigidum non videbitur?

1026 Respondetur, quod hoc apud plurimos non videbitur nimis rigidū: apud verè Deum diligentes: apud vitam æternam seriò, & diligenter quærentes: apud legem divinam, & divinam voluntatem rectè æstimantes. Sed hoc satis dictum est sup. qu. 2. art. 4. à num. 398., & dicetur articulis 10. 12. & 13. sequentib. Nec exceptio per difficile aliquid valet, ut supra in hoc artic. §. 2. animadvertimus. Siquidem, *quàm arcta est via, quæ ducit ad vitam, & Regnum Cœlorum vim patitur*. Certè Doctores Sancti, dum docent, & nobis ostendunt viam salutis, non recurrunt ad blanda, suavia, & secundùm carnem, & sanguinem facilia, ut patet in eorum scriptis, sed ad contraria, quæ exercitio charitatis, & aliarum virtutum, levia, & facilia redduntur. Audiendus est Venerabilis Beda serm. 8. de Sanctis in Breviario die 5. Novembr. *Memores esse debemus voluntatem non nostram, sed Dei facere debere; quia qui fecerit eius voluntatem, manet in æternum, quomodo ille manet in æternum. Quapropter, charissimi, mente integra, fide firma, charitate perfecta parati ad omnem voluntatem Dei, conservantes fortiter dominica mandata, &c.* D. Chrysostomus in eodem Breviario die 7. Novembr. *Tu Christiane delicatus es miles, si putas te posse sine pugna vincere, sine certamine triumphare. Ex ere vires, fortiter dimica, atrociter in prælio isto concerta. Considera pactum, conditionem attende, militiam nosce, pactum, quod spopondisti, conditionem, qua accessisti, militiam, cui nomen dedisti*. In quibus ostenditur non esse fugiendas difficultates pro legibus Dei adimplendis. Totam legem tenetur Catholicus observare; quis neget in hac observantia non dari gravem difficultatem? Sed gratia Dei vincitur difficultas; id etiam fieri potest in sequendo tutiorem partem, juxta modum jam supra propositum.

§. V.

Fit satis argumentis appositis in §. 1.

1027 AD 1. respond. nego min. Non enim est adeo difficile invenire veritatem de eo, quod Deus nobis præcipit, ut mox artic. seq. agemus. Dato non posse nos discernere efficaciam majorem, vel minorem rationum utriusque partis, jam habemus in jure canonico præscriptum, quid agere debeamus; nempe: *In dubiis tutior pars est eligenda*. Jam comparamus veritatem, ut legem Dei, & ejus voluntatem adimpleamus. Hoc non ita in via probabilismi invenitur, immo nec potest inveniri. Ad exemplum de illo Parocho, seu Confessario non habente plus capacitatis, quàm ad historicè percipiendas opiniones, oportebat dicere, an sit capax ministerii sublimis Confessarii. Quomodo huic convenit illud Malachiæ cap. 2. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, quia Angelus Domini Exercituum est*. Peccaret ergo mortaliter, qui ita ignarus exerceret hoc mu-

munus, juxta illud D.Pauli: *ignorans ignorabitur*, 1. ad Cor. cap.14. tum ex D. Th. opusc. 65., ubi ex sententia Salvatoris adducit illud: *Si cęcus cęcum præsumat ducere, in foveam ductor primus cadit, inde secutor*. Et ibidem ait: *Certè cum videamus Medicos corporum revolvere, quotidie legere libros physicales, & medicinales, in quibus docentur curare moritura corpora: Magna stultitia est non legere libros Sanctorum medicinales animarum, in quibus docemur curare animas in æternum victuras. Maius est damnum unius animæ, quàm de morte innumerabilium corporum*; ut 24. q.3. *si habeas*; circa fin.

1028 In qua auctoritate notandum 1. qualiter argumentatur S. Doctor à minori ad majus, ex temporali damno vitando ad spirituale; in quo contradicit docentibus illam disparitatem, quod Medicus corporum, si reipsa errat, occidit infirmum: Medicus verò animarum, licèt erret reipsa, animam sanat. Secundò stultos compellat Medicos animarum, qui non legunt libros medicinales Sanctorum Patrum: contra illos, qui dicunt, & scribunt in materiis moralibus esse recurrendum non ad Sanctos Patres, sed ad auctores modernos; unde quidam Neothericus de hoc fusè scribens, attingens quodam punctum, de quo scribit D.Augustinus, consiliatur Confessarios, ut ommisso Augustino, adeant auctorem quemdam modernum, qui non parum laxè resolvit materias morales, & ex cujus libris plures opiniones ab Ecclesia proscriptæ sunt: Redeundo ad præfatum Confessorem, qui ex unico libro, quem habet, nequit discernere inter opiniones, ex suppositione, quod debeat dubium resolvere, debet alios consulere; si hoc non potest, supplex: *postulet sapientiam à Deo, qui dat omnibus affluenter*, ut ait D.Jacob.Epist. Can.ca.1. Si tandem manet anceps, quod tutius, sequatur, vel ubi minus malum recognoscit adesse, prout supra dictum est.

Ad secundum argum. patet ex dictis: Pro quo notandum, quod est frequens abusus hujus vocis *scrupulus*: Hoc siquidem nomine à plerisque vocatur doctrina, vel dictamen, quod cupiditatibus, & liberiori modo vivendi contrariatur, nisi fortè contineat peccatum manifestum. Itaque appellant scrupulum, dum quis timet peccatum in his rebus, in quibus prudentes gravi fundamento judicant inesse periculum violandi legem divinam, & licet timor iste oriatur ex tali prudenti judicio, ab illis appellatur vanus timor; sed est petitio principii.

Hæc enim est quæstio: Dum timor nascitur ex judicio prudenti probabilis periculi faciendi contra legē Dei, sit timor vanus? Cęterū repugnat esse vanum in eo, qui habet, vel potest habere judiciū prudens de gravi malo (quale est divinę legis violatio) quod æquè, vel magis probabiliter eventurum sit. Si igitur ejusmodi timor dicitur scrupulus, occurrendum est illi, non laxiora, & periculosiora concedendo, sed dirigendo per securiora; ut Summus Pontifex nos docet in Clementina §. proximo adducta. Si autem scrupulus, verè talis ortus sit non ex rationabili fundamento, recurrendum est ad remedia, de quibus agitur in materia de conscientia scrupulosa, immo ad libros spirituales de hoc agentibus.

Ad tertium concedimus esse attendendas temporum circunstantias: Negamus tamen non esse tempus præsens portādi onus, quod divina voluntas nobis imponit: nec nos ex nobis illud imponimus, sed ex ipsa voluntate divina, ut sufficienter probatur. Animos esse minus dispositos, unde provenit, nisi ex malitia, & ex affectu tepido ad divinam voluntatem? Quod si occasiones sunt plures, & impedimenta urgentiora, etiam Deus offert abundantiorem gratiam. Et ideo falsum est, nunc esse minora subsidia, loquendo de subsidiis gratiæ, quibus debemus præliari, & vincere, non viribus naturæ corruptæ.

1029 Fatemur cum Apostolo: *quoniam dies mali sunt*: sed ob hoc quid nobis faciendum? Iam ibi ipse præmisit: *Videte itaque fratres, quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed quasi sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt*. Quid ergo ex hoc inferendum? Dies mali sunt, & antiquis pejores; ergo laxiora docenda? Non ita, sed potius monendum, ut fideles magis cautè procedant, pericula peccandi diligentius caveant, & ad tutiora studiosius aspirent: *Oportet nos tempus*

redi-

redimere (ait ibi Angelicus Doctor) *quoniam dies mali sunt*; quia debemus malitiam dierum vitare. *In hunc autem modum dicitur aliquis vexationem suam redimere, quia dimittit aliquid de iure suo perire.* Non ergo doctrina laxior his temporibus est statuenda, sed contraria: quò tempus periculosius, eò cautius ambulandum. *Dum superbit impius, incenditur pauper*: Psal. 9. & ibi D. Augustinus: *Mirum, & verum est quanto studio bonæ spei parvuli accendantur ad rectè vivendum comparatione peccãtium.* Tandem in ordine ad vitanda peccata, & divinam voluntatem adimplendam unum sunt omnia tempora: Et contrarium dicere, damnatur tamquam stultitia, Eccli. 7. *Ne dicas: quid putas causæ est, quod priora tempora meliora fuere, quàm nunc sunt. Stulta enim est huiusmodi interrogatio.*

1030 Ad id, quod in eodem argumento addebatur de gratulatione facienda his temporibus, quia per artificium probabilismi per diversa itinera facilis fit ascẽsus in Cœlum: Infœlix erit dicenda Ecclesia, quæ ferè per 15. sęcula laboravit hac ignorantia; miseri illius temporis fideles, qui non habuerunt adeo facilem ingressum in Cœlum, & plures à Sacerdotibus malè instructi peccabant, qui via probabilismi vitassent peccata, & salvi fuissent. Quomodo rectè, & in utilitatem animarum damnatæ sunt à Pontificibus tot propositiones, quæ magnam Theologiæ Moralis partem comprehendunt; & in sententia benigna erant probabiles? Siquidem per earum itinera tenderent in Cœlum. Cœterum potius illud claudebant, & in illis habebat locum via benignæ sententiæ: *Bonum est habere duas, seu diversas vias* (ait eruditus Fagnanus num. 401.) *si ambæ sunt recta. At via probabilium, & libertas eligendi opinionem probabilem in concursu probabilioris, quæ favet præcepto, nullatenus tuta est, immo evidenti periculo exposita, ut in superioribus mõstratum est.* Hæc ille.

Ad confirmationem de praxi Ecclesiæ juxta diversitatem temporum, verum est, prudentissimè variare sua instituta, juxta exigentiam majoris, vel minoris convenientiæ in ordine ad commune bonum fidelium, & ad præcautionem malorum. Sed circa hanc variationem minuendo, vel addendo, habet legitimam potestatem. At subditis hoc non competit, sed tantùm debent submitti jugo à Deo per se, vel per suos Ministros imposito: Nec ejus voluntatem possunt coarctare detrahendo, vel amplificare adjiciendo, juxtà illud Deuter. cap. 12. *Nec addas quidquam, nec diminuas.* Quis enim potest divinam voluntatem mutare? Unde meritò docemur in jure canonico (ex D. Augustino) in cap. non afferamus 24. qu. 1. *Non afferamus stateras dolosas, ubi appendamus, quod volumus, & quomodo volumus pro arbitrio nostro. Sed afferamus divinam stateram de Scripturis sanctis, tamquam de thesauris dominicis; & in illa quid sit gravius, appendamus; immò non appendamus, sed à Domino appensa recognoscamus.*

ARTICULUS X.

Utrum sit invenibilis veritas in dubijs de moribus emergentibus.

1031 Vulgare proloquium in [illegible] via probabilismi ut certum habetur, veritatem moralem, & legem Dei ut in plurimum inveniri nõ posse, quamvis diligenter quæratur. Hinc plerique auctores benigni docent, per non inventionem veritatis, quemq. eximi ab obligatione, circa quam dubitatur, an detur lex. Inde etiam universi auctores benigni tradunt ad licitè operandum sufficere, quod pro libertate adsit aliquod fundamentum probabile ad honeste operandum, quamvis pro lege dentur probabiliora fundamenta; quia tunc nõ invenitur, seu non est invenibilis veritas. Hinc divulgant, nostram sententiam imponere animabus onus incomportabile, & obligare ad impossibile. Hinc etiam hujus impositionis causa multi eorũ sententiæ assentiuntur, quia conditio naturæ corruptæ dura refugit, & quod difficile existimat; & avide amplectetur, quod suave, & facile putat. Quamvis autèm hoc punctum in superioribus non semèl tactum fuerit, & quam longe a vera securitate abscedat eujusmodi modus dicendi, ob id, quod additur de invenibilitate veritatis circa Divinam voluntatem, oportet præsens dubium ad examen vocari.

§. I. *Ali-*

§. I.

Aliqua pranotantur.

1032. PRænotandum, & supponendum est primo: dubitantem de honestate alicujus objecti, circà quod intendit operari, debere diligentiam adhibere ad inveniendam veritatem, an sit juxtà, aùt contrà Divinam voluntatem. Itàque non solùm est sequenda Divina voluntas, seù lex, dum patet, sed etiàm quærenda, dùm latet. Quamvis autèm omnes conveniant adhibendam esse diligentiam, quantam requirit negotii, aut rei gravitas, & facultas ejus, qui vult operari; qualis, & quanta esse debeat, non facile est mensurabile: Nec potest regula generalis assignari omnibus, & singulis rebus, aùt negotiis, & volentibus operari apta.

Hoc solum monemus, attentè, & diligentèr esse pensandum, quantum malum sit, de quo vitando agitur, & consultatur in quæstionibus moralibus. Est enim omnium maximum, nempè peccatum, quo solo in summam miseriam incidimus. Est Divinorum præceptorum observatio, qua vitam æternam possidemus. Est offensa Dei infinita, qui potest còrpus, & animam perdere in gehennam. Negotium igitur tanti momenti qualem diligentiam postulat? Quæ diligentia erit nimia? Quare cavendum est (sine scrupulo tamèn, & anxietate) ne imbecilitatis humanæ specie negligentia occultetur: ne circà veritatem, plurimis parum gratam, attentio, & circumspectio fugiatur. Ut enim ait Pontifex in cap. ubi periculum 3. de elect. in 6. *Ubi periculum majus intenditur, ibi proculdubio est plenius consulendum*. Ex quo fit nos difficulter posse excusari prætextu non inveniendi veritatem. Undè D. Chrisost. hom. 26. in epist. ad Rom. ait: *Circunspectis itaque singulis, qua ad nos pertinent videamus, necuiquam, vel modicam mali ansam prabeamus. Stadium quippe prasens hac vita est, & innumeros oculos, quos circum quaque dirigamus, habere oportet, nec putandum ad Apologiam sufficere ignorantiam: Erit enim, erit inquam, quando ignorantia pœnas dabimus: quando, & ipsa ignorantia veniam non habebit*. De quo iterum redibit sermo in hoc articulo.

1033. Secundo notandum, quod multa homo non potest viribus proprijs, quæ poterit alijs majoribus ab alio acceptis. Alia enim potest viribus proprijs, & alia viribus gratiæ. Circa cognitionem veritatum practicarum, seu moralium ad ordinem supernaturalem pertinentium certum est naturam nostram non habere vires proprias, & sic ad illas cognoscendas, indigere gratiæ auxilio supernaturali. Circa veritates vero morales ordinis naturalis, Theologi cum Doctore Angelico distinguentes, docent hominem in statu naturæ lapsæ non posse illas cognoscere collectivè sumptas, posse tamen divisivè, seu quamlibet, si absolute, & per se sola summatur. Ita docent N. Salmant. de Gratia tract. 14. disp. 2. dub. 1.

1034. Tertio notandum naturam nostram, cum sit ad supernaturalem ordinem elevata, habere etiam finem supernaturalem elevatum, ut notum est omnibus Christifidelibus. Hinc fit considerationem, seu cognitionem mediorum ad hunc finem conducentium, & circunstantiarum actuum humanorum, summendam esse ex proportione ad hunc finé. Ex quo etiam fit principia, & fundamenta ad judicandum rectè de prædictis medijs, & circunstantijs, & de eorum convenientia, & proportione, & ad inveniendam veritatem circa hæc, summi debere à Theologo non tam ex discursibus naturalibus, & alijs adinventionibus nostris; sed ex verissima doctrina Evangelij, & Divi Pauli, & aliorum Apostolorum, & etiam ex libris veteris testamenti: atque ex Sanctis Patribus, quos tamquam vera lumina nobis proponit pia Mater Ecclesia: ita ut si prædictis non sit conformis doctrina, quæ traditur, nullatenus erit amplectenda.

1035. Hoc perspicue videmus in ipso Apostolo, maximè in illa cœlesti Epistola ad Colosenses. Quibus motivis causam agit an naturalibus, & Philosophicis, an ordinis Christianorum? Quid ibi invenitur nisi in singulis verbis Jesum Christum repetitum, ejus crucem, charitatem, mortem, judicium, vocationem nostram, & alia supernaturalia, Divina, & æterna? Quid

Quid aliud in toto Evangelio, & Epistolis Canonicis. Non ommittendum, quod ad Colosens. cap. 12. dicit idem Divus Paulus: *Hoc autem dico, ut nemo vos decipiat in sublimitate sermonis*. Quid intelligatur per illa verba in sublimitate sermonis exponit Sanctus Chrisostomus, qui ita legit: *Ne quis vobis imponat sublimitate sermonis. Vides, quod ideo ista dixerim, ne ab hominibus sapientiam quæratis, ne quis vobis imponat probabilitate sermonis. Quid enim si probabiliter dicatur.* Ubi apud hunc Doctorem optimum, & Ecclesiæ lumen, & apud ejusmodi magistros invenitur hoc nomen probabile, non tanti fit, nec habetur tanquam tutissimum, & sanctissimum, qualiter apud plerosque prædicatur, & magnificatur. His suppositis.

§. II.

Conclusio respondens Quæstioni. Probatur auctoritate Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum.

1036. Veritas moralis, & lex Dei ab omnibus ut in plurimum inveniri potest. Consulto dicimus ut in plurimum,& non semper,ut infrà magis explicabitur. Probatur primo ex Deuteronomio cap. 30. *Quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, nec procùl situm, ut possis dicere, quis nostrum valet ad Cœlum ascendere, ut deferat illud ad nos ut opere compleamus ...,. sed juxtà te est sermo valdè in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum. Considera, quod hodie proposuerim in corde tuo vitam, & bonum, & è cotrario mortem, & malum: ut diligas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus, & custodias mandata illius*. Si ergo tunc bonum, & vita, mors, & malum, viæque Domini non erant super Cœlum exaltatæ, nunc temporibus Christianis latebit sub impossibilitate modus inveniendi, & intelligendi Dei leges, postquam nobis ortus est Sol justitiæ?

De Sapientia in ejus lib. cap. 6. dicitur: *Clara est, & quæ numquam marcescit sapientia, & facile videtur ab his, qui diligunt eam, & invenitur ab his, qui quærunt illam. Præoccupat, qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat. Qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit; assidentem enim illam foribus suis inveniet. &c.* Et Ecclesiast. cap. 32. *Qui timet Dominum excipiet doctrinam ejus: & qui vigilaverint ad illum, invenient benedictionem. Qui quærit legem replebitur ab ea; & qui insidiose agit, scandalizabatur in ea. &c.* Verissimæ sunt hæ promissiones: in eis, & promittitur inventio veræ sapientiæ, quæ est cognitio Divinæ Voluntatis, & assignatur medium ad illam quærendam.

1037. Deindè Isaias de Christo Domino prædixit: *Et docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus*. Quod postea fœlix illa Samaritana etiam de ipso dixit: *Scio quod Messias veniet, qui dicitur Christus; Cum ergo venerit ille, annuntiabit nobis omnia*. Qui ergo unum Christum invenit, non erit, in quo erret, si non vult, cum dicat. *Ego sum via veritas, & vita*: quia ut ait Divus Thomas in Epist. ad Rom. cap. 10. lect. 1. *Christus est Verbum Dei, in quo sunt omnia Dei mandata*. Ipse Dominns loquens de Spiritu Sancto Joan. cap. 16. ait: *Ille docebit vos omnem veritatem*.

Tandem relictis alijs innumeris locis, quid expressius illa promissione Apostoli Jacobi in sua Can. cap. 1. *Si quis autem vestrum indiget Sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & dabitur ei. Postulet in fide nihil hæsitans*. Relata docet ipse Deus, Spiritus Sanctus illa scripsit. Ex quibus constare clare videtur, quod quidquid nobis Deus præcipit, auxilijs gratiæ suæ possumus scire, & consequenter non esse ita impossibilem inventionem veritatis moralis, ut auctores benigni suadere conantur. Verum quamvis id contendant suadere; Undè hoc fiat, & ex quo loco Scripturæ Sacræ, aut Sanctorum Patrum constat, quod nec ex gratiæ auxilijs à Deo datis, aut saltem oblatis nobis, non possumus veritatem prædictam invenire, non ostenditur: si recursus fiat ad experientiam, hæc fallibilis est, ut supra ostensum est, & ulterius mox ostendetur ex Sanctis Patribus.

1038. Secundò probatur conclusio ex Sacro Concilio Tridentino sesion. 6. cap.

11.

11. *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis. Cujus mandata gravia non ſunt, cujus jugum ſuave, & onus leve. Qui enim ſunt filij Dei, Chriſtum diligunt; qui autem diligit eum, ut ipſemet teſtatur, ſervat ſermones ejus: quod utique cum Divino auxilio præſtare poſſunt.* Hæc Concilium. Ubi in margine citatur Concil. African. & Milevitan. In hoc ſic diffinitur cap. 4. *Si quis dixerit gratiam Dei per Jeſum Chriſtum Dominum Noſtrum propter hoc nos tantum adjuvare ad non peccandum, quia ipſa non revelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, ut ſciamus, quid appetere, quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præſtari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus: anathema ſit: Cum enim dicat Apoſtolus, ſcientia inflat, charitas autem ædificat, valdè impium eſt, ut credamus ad eam, quæ inflat nos habere gratiam Chriſti; & ad eam, quæ ædificat non habere, cum ſit utrumque donum Dei, & ſcire quid facere debeamus, & diligere, quid faciamus &c. ſicut de Deo ſcriptum eſt: qui docet hominem ſcientiam, ita etiam ſcriptum eſt: charitas ex Deo eſt.* Ex his auctoritatibus Conciliorum conſtat eſſe donum Dei ſcire, quid facere debeamus, & quod id facere poſſimus: Unde infertur quod ſicut non deficit gratia ad efficiendum, pariter ad ſciendum non deficit.

1039. Si probationes ex omnibus Sanctis Patribus adduceremus in confirmationem, plures libri non ſufficerent. Nonnulla audiamus. Divus Auguſtinus de quantitate animæ cap. 13. *Fieri non poteſt* (ait) *quadam providentia Divina, ut Religioſis animis ſe ipſos, & Deum ſuum, ideſt, veritatem piè, & caſtè, & diligenter quærentibus inveniendi facultas deſit.* Divus Thomas in opuſc. 73. de Uſuris in Proœmio: *Omnis à natura non degenerans veritatem amat, & eam ſcire, ſuper omnia deſiderat. Quam ſi quis concupiſcit vero corde, & eam quæſierit in ſimplicitate cordis ſui, ipſa ſe ipſam manifeſtabit, & Deus, qui hoc promittit, Veritas eſt, & eam promittit diligentibus ſe, ſicut ſcriptum eſt: Præoccupat eos, qui ſe concupiſcunt &c.* Ubi Doctor Angelicus loquitur de veritate in materia de rebus moralibus, & quæſtionibus ſpecialibus, de quibus acturus erat ibi, nimirum de uſuris. Circa quas jam tunc exiſtebant opiniones oppoſitæ utrinque probabiles, de quibus dici poterat attenta ſententia benigna: veritas inveniri non poteſt: utraque eſt probabilis; utraque ſecura, & ſi minus probabilis, & militans contra legem. Aliter tamen uiſum eſt S. Doctori: nam memorans contrarietatem Doctorum, & opinionem, non intulit, tutum eſt quodcumque docuero, ſed ob ipſam contrarietatem Deum orat, ad gratiæ auxilium recurrit; *Ne ſe errare permittat* (ait) *non modo in periculum animæ ſuæ, ſed in laqueũ etiam aliorum.* Ergo certum eſt in doctrina Divi Thomæ non ſufficere invenire probabile, quod utrinque ut tale defenditur, ſed ulterius procedendum, & inveſtigandum, in qua parte ſit veritas: nec per hoc, quod utrunque probabile eſt, jam veritas non eſt invenibilis.

Divus Hieronymus ſuper illa Verba Chriſti Domini *Petite, & dabitur vobis, &c.* Math. cap. 7. *Qui Carnalia ſupra vetuerat poſtulari, quid quærere debeamus oſtendit. Si petenti dabitur, & quærens invenit, & pulſanti aperitur. Ergo cui non datur, & non invenit, & cui non apperitur, apparet, quod non benè petierit, quæſierit, & pulſaverit. Pulſemus itaque januam Chriſti, de qua dictum eſt: Hæc porta Domini, juſti intrabunt per eam: ut cum pulſaverimus aperiantur nobis theſauri abſconditi, & tenebroſi in Chriſto Jeſu, in quo eſt omnis Scientia.* Hæc Divus Hieronymus. Ubi aſſequtionem veritatis poſſibilem ſupponit. Quid aptius ad rem licet breviſſimum, quam illud Divi Chriſoſtomi homilia 51. in Joann. *Nihil veritate clarius, nihil ſimplicius, niſi maligni eſſe velimus.* Quare Sancti Patres noſtræ malitiæ, aut negligentiæ, ut in plurimum attribuunt, quod veritatem non inveniamus ad Divinam Voluntatem cognoſcendam, & adimplendam.

§. I. I. I.

Eadem assertio de invenibili veritate ratione fulcitur.

1040. HOc ipso, quod Deus nobis legem imponat, tenemur absolute illam observare: sed hoc ipso illam possumus cognoscere: ergo ejus cognitio, seu veritas invenibilis est. Major constat: aliàs enim lex esset omnino frustranea. Minor etiam certa videtur: Nam cum cognitio ad observantiam sit necessaria, sublata possibilitate cognitionis, infertur impossibilitas adimpletionis.

Confirmatur primo: posito aliquo fine, nequeunt deesse media pro illo consequendo: sed finis legis est, ut secundum illam vivamus: ergo cum scire legem ad hoc sit medium omninò necessarium; cognitio legis debet esse possibilis. Confirmatur secundo: Sicut natura non deficit in necessariis, ità nèc gratia: sed constituto fine à natura, media non erunt impossibilia: ergo nec respectu gratiæ.

Confirmatur tertiò. Deus vult nos invenire, & scrire, quod nobis præcipit: ergo voluit nos posse invenire, & scire: & consequẽter ipse voluit dare nobis posse id, quod nobis præcipit, & quod inveniamus: Conseq. patet, tum ex auctoritatibus Conciliorum, & Sanctorum Patrum §. proximo adductis: tum etiam; quia stultum esset Deum velle nos scire, & invenire, & quod hoc nobis non esset possibile. Antec. probatur: Nam stultum esset nobis aliquid præcipere, & non velle nos id invenire, & scire.

Hinc repellitur illud effugium de Legibus Dei non sufficienter promulgatis; quod supra quæst. 4. art. 2. num. *696.* jam actum est. Homines enim legem condere possunt, quæ vires nostras excedat, aut congrua non sit, possuntque non promulgare, potest eos pœnitere, & quod non sit satis promulgata: hoc in sapientissimo, & omnipotente legislatore non habet locum, qui dum legem condit, intendit, ut secundum illam vivamus, & non deficit in necessarijs, ut illam impleamus.

1041. Hinc etiam refelluntur aptitudines, & ineptitudines, & alia, quæ pro impossibilitate allegantur. Ipse Sapientissimus legislator melius cognovit figmentum nostrum, cognovit esse rusticos, & barbaros &c. ipse satis cognovit has exceptiones nostras: ipse omnia mensuravit: quare si quid voluit ab aliquo fieri, novit supra vires illius non esse, nec ad nos pertinet circa hæc mensuram apponere. Ergo illa invenire, & scire possumus, quæ summus taxator virium, & adiutor voluit à nobis fieri.

1042 Et ne dicas hæc à nobis voluntarie dici, nova, & inaudita proferre; audienda sunt aurea D.Chrysostomi eloquia, homil.*26.* in Epist. ad Rom. *Ne dicas, quomodo hunc, vel illum simplicem, & bonum contempsit Deus, cum sit Græcus? Nam primum quidem quis simplex sit, ab hominibus cognosci nequit, sed ab eo solo, qui singula corda formavit. Deinde, & hoc dici potest, quod plerumque qui talis videtur, veritatis nullam habeat, vel curam, vel diligentiam.*

Sed dicis: quomodo poterit, cum sit homo vehementer simplex, & idiota? Simplicem itaque hunc, & idiotam in rebus terrenis mihi consideres; ac dicas videasque quam multam illic ostendat diligentiam; quam, & si spiritualibus intendere voluisset, contemptus utique non fuisset. Sole quippe clariora sunt, quæ veritatis sunt, & ubicumque quis intenderit, facile suam ipsius salutem appræhendet; Siquidem advertere voluerit, illamque non obiter quærendam putaverit. An in Palæstina occulta sunt salutis negotia? An in modico orbis angulo? Non audisti Prophætam dicentem; quoniam omne genus cognoscet me à parvo, usque ad magnum? Non vides rem ipsam loqui? Quomodo ergo veniam habebunt isti &c.

Ista, inquies ab eo exigis, qui agrum incolit, & à barbaro? Non solum ab Agricola, & à barbaro; sed & si quis barbaris istis, qui nunc sunt barbarior fuerit. Quanam ratione, dic quæso, in rebus sæcularibus, qui talis est, & contradicere novit injuria affectus, & resistere violentiam passus, omniaque facere, ac moliri, ut neque calumniam aliquando ferat, cum in rebus spiritualibus eadem prudentia non utatur &c. Nihil itaque est, quod dicis, nibil est inquam,

sed

sed solius negligentiæ, socordiæque culpa erit &c. Hæc Sanctissimus hic Doctor, qui pergit illa fuse probando.

Infertur ergo ex præjactis fundamentis ex SS. Scripturis, SS. Patribus, & ratione, quod veritas circa Dei legem plerumque saltem est invenibilis, & quod non latet adeo occulta, ut vult sententia benigna. Et loquimur de lege Dei, naturali, & de lege Divina, & specialibus obligationibus status specialis cujuscumque. Nam de legibus positivis non est ita difficile carere notitia, & ab ejus adimpletione excusari.

§. IV.

Evasiones, & nonnullæ objectiones contra datam doctrinam.

1043 Respondebis, inculcando impossibilitatem sequendi in praxi viam probabilioristarum, quantum illam complanare studeant; & licet SS. Patres illis favere videantur, loquuntur more concionatorio, & per quamdam exagerationem, ut fideles magis excitentur ad diligentiam adhibendam pro legis Dei observatione. Unde eorum doctrina non tangit sententiam benignam, per quam, & si falsa sit, adimpletur præceptum:

Sed contra: Nam de difficultate procedendi per viam nostram jam satis actum est supra art. præcedenti, & alibi. Quod autem dicitur de doctrina SS. Patrum, quid ad rem, quod loquantur concionatoriè? ubi nisi in concionibus, & præsertim SS. Patrum veritas non debet occultari; sed potius palam proferri? aliàs deciperent fideles, & essent in causa, quod violarent legem, ubi non est. Deinde, in temporibus illis, non erant alii libri morales, nisi scripta SS. Patrum. D. Thomas, & D. Bonaventura, quamnam aliam doctrinam sequuntur etiam in rebus moralibus, nisi SS. Patrum scripta? & quare Pontifex Alexander VII. illas 45. propositiones damnavit, & Innoc. XI. ejus vestigia sequens alias plures damnavit, nisi quia alienas ab Evangelica simplicitate, & SS. Patrum doctrina? Ergo illa doctrina est vera, quæ loquutionibus SS. Patrum fuerit conformis.

Quod dicitur, de adimpletione præcepti per opinionem probabiliorem, & si falsa sit, non evacuat vim fundamentorum. Tum quia si non est probabilior, quæ stat pro libertate, dum est minus tuta, non excusat à peccato formali, ut in tota hac controversia probatum est. Tum deinde; quia dato non peccare formaliter operantem, peccaret peccato materiali, quod quantum possumus vitare debemus, ut supra in hac quæst. art. 8. §. 10. in fine dictum est. Præterea falsum est per talem opinionem reddi possibilem adimpletionem præcepti, sed potius tale præceptum negat, & in sententia benigna reddit actionemem laudabilem. Ponamus reipsa dari præceptum restituendi, quis dicet te adimplere hoc præceptum, sequendo sententiam te eximentem à restitutione? Aliunde ergo adimplectio fieri debet possibilis.

1044 Instabis ad hominem: per totam hanc controversiam intendis obligare ad sectandum omnem opinionem pro lege, dum contraria non est probabilior: admittis vero posse intellectum amplecti illas, quæ cum excessu probabiliores sunt pro libertate: Sed plures ex istis sunt falsæ: ergo etiam in via probabiliorismi admittis plures obligationes, & plura præcepta, quorum notitia, aut veritas est inveniri impossibilis. Ergo corruit vestra doctrina, immo non est conformis SS. Patrum modo loquendi, siquidem absolutè, & sine exceptione loquuntur.

Resp. concedendo majorem, & min. & nego ultimam consequentiam. Etenim consulto posuimus in assertione, *quod veritas moralis, & lex Dei, ut in plurimum est invenibilis*: non diximus semper. Et licet Sacra Scriptura, & SS. Patres absolute dicant Deum non negare auxilium ad cognoscendum omne, quod nobis præcipit, hoc intelligendum videtur, ut in plurimum. Et hic modus loquendi consuetus est in S. Scriptura; ut in Psal. 13. *De Cœlo respexit Deus, ut videat si est intelligens, aut requirens Deum; Omnes inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum*. Et illud Divi Pauli. *Omnes quærunt quæ sua sunt*. Philipen. cap. 2. Quia ut in plurimum ita contingit.

1045 Dicimus itaque in nostris principiis

cipiis contingere aliquas opiniones probabiliores esse falsas, sed hoc contingit per accidens, & rarò. Cum enim quæramus veritatem rerum in se pertinentium ad mores; ubi intellectus invenit majora motiva cum excessu, regulariter adest veritas, & rarò falsitas: & consequenter per accidens contigere potest, quod rarò impossibilitas inducatur. Dato quod quandoque in dubio, vel quæstione morali veritatē circa licitū, aut illicitum nequeat homo invenire, facta debita diligentia, sed adhuc remanet dubius, quia sibi fundamenta partis minus tutæ non apparent *probabiliora*, & manet cum notabili formidine, adhuc tamen facillime invenit aliam veritatem, ut vitet offensam Dei, sequendo partem tutiorem, & sic honeste operatur, & revera adimplet illud præceptum Dei: non se exponendi periculo violandi legem ipsius, juxta illud: *Qui amat periculum peribit in illo*; & perspicuè in jure Canonico tamquam regula nobis intimatum, *in dubiis tutior pars est eligenda*. Hæc autem in via sententiæ benignæ non sic recte ordinantur. Nam si opiniones sunt minus tutæ, & minus probabiles, raro veræ sunt, quia regulariter probabiliores sunt veræ. Si sunt æquè probabiles, est contingens quod ista, aut illa sit vera, aut falsa, & qui utramque, vel quamlibet amplectitur, revera non quærit veritatem, quia æquè admittit falsitatem, & veritatem. Unde manifestè exponitur periculo frangendi legem; & per accidens est, quod non violetur. Ut sæpius superius actum est.

§. V.

Fit satis argumento apud probabilistas existimato strenuissimo.

1046 SEmel animus alicui doctrinæ inclinatus adeo in hæresit, ut argumenta, quæ aliis debilia judicantur, apud se invictissima videantur. Sic plures, vel Clarissimi Viri præoccupati probabilitatis doctrina, & aliorum auctoritate, (non tamen ex profunda consideratione) illi adhæserunt, ut autument suam sententiam certissime demonstrari hoc argumento; & ideo separatim ad examen vocatur.

Ipsi Ecclesiæ Sanctæ Doctores Sanctissimi, & alii Theologi insignes in rebus moralibus frequenter se contradicunt: ergo doctrina ex sacra Pagina, & SS. Patribus supra adducta non habet sensum adeo generalem à nobis intentum, sed alium strictissimum. Ant. est certum. Et conseq. probatur. Nam hoc ipso quod dissentiant, necesse est hos, aut illos falli: sed nequit illis attribui, quod diligenter veritatem moralem, & legem Dei non quæsierunt: Ergo prædictæ auctoritates aliter, ac volumus, sunt intelligendæ.

1047 Explicatur, & urgetur magis: SS. Patres docuerunt in materia morali plures opiniones minus tutas, & minus probabiles, & etiam plures, quæ in re erunt falsæ: ergo sufficit diligentia pro in invenienda veritate morali elicere judicium probabile de honestate objecti: Consequentia constare videtur; Quia SS. Patribus non possumus attribuere defectum diligentiæ, unde si contenti sunt cum judicio probabili, hoc sufficit pro sufficienti diligentia. Antecedens est certum: Nam scita est illa controversia inter D. Augustinum, & D. Hieronymum circa repræhensionem à D. Paulo factam D. Petro, in qua D. Hieronimus asserit Apostolum Paulum id fecisse dissimulationis modo, & D. Augustinus contendit ita licite fieri non potuisse. Etiam circa bigamiam contractam ante baptismum, per baptismum omnino cessare docet D. Hieronymus, sed contrarium tradit D. Augustinus. Quorum auctoritates referuntur in cap. 1. & 2. 26. dist. An debeat quis peccatum confiteri statim, ac commode potest, asserit D. Bonaventura in 4. dist. 17. qu. 2. Negat vero D. Th. in 4. dist. 17. qu. 3. 1. qu. 4. ubi ait: non esse peccatum hoc differre usque ad tempus Paschæ. Quis ergo negabit non posse nos assentiri sententiæ D. Augustini, & etiam D. Hieronymi: & sic de aliis.

1048 Pro solutione hujus argumenti est notandum: non ita esse necessarium Magistris, aut Doctoribus Ecclesiæ, dum docent, aut scribunt, invenire, & cognoscere veritatem, etiam postquam diligenter illam quæsierint, sicut necessarium est ipsis, vel aliis illam invenire, dum volunt de facto operari. Ratio differentiæ est;

quia

quia licet in hoc Auctore veritas moralis inventa non ſit, poteſt quiſque alios interrogare, & poſitis aliis mediis, (de quibus puncto ſeq.) à Deo lumen accipere. Pro quo eſt in terris Chriſti Vicarius, qui poteſt infallibiliter rem, ſeu negotium ſecundum veritatem determinare, & ſcriptorum errores corrigere; quemadmodum factum eſt circa illam opinionem Sanctiſſimi, & Doctiſſimi Martyiris Cypriani de non valore baptiſmi ab Hæreticis miniſtrati. Si autem ut in plurimum non poſſet homo facta ſufficienti diligentia veritatem invenire, eſſet illi ut in plurimum impoſſibile præcepta, quæ ignorat, adimplere. Docentibus vero non ita Deus promiſit, ſicut operantibus, (ut ex tot ſcripturæ locis, & SS. Patrum conſtat) nec oportuit, quod haberent ſecuritatem inveniendi reipſa veritatem, ne forte ſuperbirent exiſtimantes habere clavem ſcientiæ: aut alii nimis confidentes illorum ſententiis, minori ſollicitudine ſtuderent recurrere in ipſum lumen ſapientiæ per juge Orationis exercitium: ut recte animadvertit D. Auguſtinus Inchirid. cap. 6. *Et ipſa rei difficultas ad hoc eſt utilis, ne ſit ſpes ſibi quiſque, aut alter alteri, ſed Deus ſit omnibus. Id enim nobis expedire ambigit nemo.*

1049 Unde ad argumentum reſp. eſſe falſum SS. Patres, & illos celebres Auctores antiquos frequenter ſe contradicere, ſed rarò. Conſequentia etiam negatur. nimirum loca ſcripturæ adducta aliter eſſe intelligenda, ſed ut Tridentinum docet, intelligi debent juxta expoſitionem SS. Patrum, nec alia apud illos eſt invenire, quàm à nobis allata eſt; Concedimus aliquando, ſed rarò falli hunc, vel illum S. Eccleſiæ Doctorem, etiam ſi diligenter veritatem quæſierit, ut dictum eſt.

Ad Confirm. etiam conſtat ex dictis, rarò opiniones minus tutas, & minus probabiles quo ad nos docuiſſe, *Quo ad nos*, inquam. Quia ſi quandoque illas docuerunt, ideò, quia tunc probabiliores, & veras illas exiſtimarunt; & contrarium illis attribuere, ipſorum eſſet injuria non exigua. Quod autem docuerint eſſe licitum, vel amplexos eſſe in operando opinionem minus tutam ipſis æquè, vel minus probabilem, hactenus oſtenſum non eſt à probabiliſmi profeſſoribus, nec in unico Eccleſiæ Doctore. Et ex hoc procedit, & eſt ratio, cur inter SS. Eccleſiæ Patres, & inter pios librorum Spiritualium Scriptores videmus raram inveniri contradictionem quoad honeſtatem operationum aſſignandam. Ideo igitur eſt; quia ſeriò inquirebant veritatem reipſa; & ante oculos habebant vitare periculum offenſæ majeſtatis Divinæ. Non ſic experimur apud Neothericos probabiliſtas. Non legimus: *hoc eſt verum*: aut: *utrum ſit verum*: ſed: *an ſit probabile*: *hoc eſt probabile*. Quomodo ſic in veritatis inventionem intenditur; dum regula honeſtatis conſtituitur, nedum dum aliquid apparet indifferens ad verum, & falſum, ſed etiam dum apparet ad falſitatem magis accedere? Hinc ergo quid mirum tanta inter Neothericos contradictio, & innumerabilis opinionum multitudo? Ex dictis conſtat ad inſtantiã, quæ fieri ſolet ex eò, quod multoties Pontifices amplexi ſunt opiniones minus tutas. Reſp. exiſtimaſſe tunc eſſe ſibi probabiliores, & veras.

1050 Ad id quod in fine confirmationis additur de uſu licito ſequendi quamlibet opinionem SS. Patrum ſe invicem contradicentium: dicimus attendemdam eſſe Veritatem, & ubi magis apparet adherendum. Si autem æquè, vel minus veritas apparet pro parte minus tuta, vitandum eſt periculum, & tuta amplectenda, ut ex hactenus dictis conſtat. Nec Doctori illi illam partem minus tutam docenti fit injuria: ſufficit enim de illo exiſtimare parti illi aſſenſum prębuiſſe, quia verum eſſe probabilius judicavit. Quibus omnibus addendum videtur, Doctorem Sanctum quandoque diligentiam adhibuiſſe pro invenienda veritate, ſed aliquam ommiſſiſſe, non quæ culpam gravem, ſed levem induxerit, obquam ad inventionem veritatis non pervenerit. Ipſi enim Sancti illud Prophetæ ſæpius ingeminabant: *Ab occultis meis munda me Domine.*

AR-

ARTICULUS XI.

Qualiter non debemus adhibere faciliter excusationes in peccatis, præsertim dum sunt contra jus naturale.

1051 CUm id, de quo agimus, magni momenti sit, expediens erit nonnulla hìc animadvertere circa modum nos excusandi in defectibus adimpletionis obligationum nostrarum. In pluribus enim existimamus non errare, neque peccare; & habere excusationem coram Deo cogitamus, & tamen reipsa nihil coram Deo proficiet. Multa nobis videntur non esse contra Dei voluntatem sequendo nostra judicia nostris opinionibus innitentes. Alia nos ignorasse, & sufficienter quæsisse putamus. Circa quod videri potest doctrina S.Greg.Magni, & D.Augustini sup. n.110. & n.108. relata.

Dari ignorantias circa jus naturale, ex quibus peccatur, non est dubium: an vero possint esse invincibiles, est magna difficultas inter Doctores, ut mox dicemus. Admisso quod darentur invincibiles aliquando, id cognoscere, & discernere difficillimum est: de quo aliqua diximus supra à num. 971. Dari ignorantiam invincibilem circa jus positivum etiam divinum, & facilius circa res facti, etiam est certum, in quibus cognoscẽdis adest sua difficultas. Permisit conditor noster nobis esse plura sub opinionibus, nec certitudinem circa plures habeamus: quod non ad detrimentum nostrum, sed ex sua ineffabili, & clementissima providentia, ut nos ad meliora, tutiora, & perfectiora conaremur, ut §.præcedenti ex D.Augustino in inchirid. ca.60. visum est. Ut igitur indigentiam nostram agnosceremus, & sic ut parvuli ignari ad Magistrum Cœlestem nostrum continuò recursum haberemus, & in protectione Dei Cœli commoraremur, nos dereliquit inter formidines. Si enim omnia præcepta, & modos obligandi omninò certò sciremus, fortè sisteremus in electione circa minus perfecta, nec indigentiam agnosceremus, ommitteremusque illum recursum utilissimum ad superbiam nostram abigendam valdè necessarium.

Cœterum, cum ex hac salutari providentia Dei deberet homo ad perfectiora conari; quid tamen à multis fit? Hoc ipso quod non sit obligatio certa, quærere rationes ad excutiendum jugum obligationis: & hac via inferre etiam honestè operari, etiam si aliàs reipsa sit contra Dei voluntatem: & per non inventionem veritatis, jam factum est bonum, quamvis in re sit pessimum. Ut autem in re tanti momenti errore non capiamur, & tempore dandi rationem villicationis nostræ minus habentes non inveniamur, non contenti simus ad quemlibet auctorem accedere, sed præcipuè adeamus Ecclesiæ lumina (ab ipsa nobis proposita, ut sequamur) nimirum Sanctos Doctores divinæ legis peritissimos, & diligentissimos amatores. In quibus videamus, qualiter sit facile habere excusationem ex titulo ignorantiæ. Jam circa hoc visum est in præcedenti articulo §.2.à num. 1036., qualiter ex Scriptura constat, factam promissionem inveniendi scientiam, seu veritatem illam quærentibus: & ex Conciliis, & SS.Patribus, nobis à Deo dari, & scire, & posse facere, quid agere debeamus, & vitare, quod facere non possumus, si diligenter quæramus: in hoc non facile excusationem prætendere possumus; adeout Divus Chrysostomus (prout ibi visum est) rusticos non excusat, nec idiotas, neque barbaros titulo ignorantiæ.

1052 Præter ibi adducta, audiendus D.Augustinus lib.2. de peccatorum meritis cap.17. *Jam ergo, quod tertio loco posui, videamus: Cùm voluntas humana, gratia adjuvante divina, sine peccato in hac vita possit homo esse: cur non sit, possim facillimè, ac verissimè respondere, quia homines nolunt. Cur nolint? Imus in longum. Verum etiam sine præjudicio diligentioris inquisitionis dicam. Nolunt homines facere, quod iustum est: sive quia latet, an iustum sit, sive quia non delectat.* Et infra: *Ut autem innotescat, quod latebat, & suave fiat, quod non delectabat, gratia Dei est, quæ adiuvat voluntates, quæ, ut non adiuventur, in ipsis itidem causa est, non in Deo.* Ubi S. Doctor ideo docet latere homines veritatem moralem, quia ipsi nolunt, & in illis esse causam, quare ignoratur.

D.Thom., qui & dogmaticè, & scholasti-

lasticè loquitur, quodl. 9. art. 5. *Illud autem, quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur, per hoc, quod sit secundùm conscientiam*. Et infra: *Ille, qui facit contra opinionem Magistrorum, si facit contra veram opinionem, non excusatur à peccato, quamvis non faciat contra conscientiam, sic enim contra legem Dei facit*. Et quodl. 3. art. art. 10. *Diversæ opiniones Doctorum Sacræ Scripturæ, siquidem non pertinent ad fidem, & bonos mores, absque periculo auditores utramque opinionem sequi possunt... In his verò, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores, nullus excusatur, si sequatur opinionem alicuius Magistri: in talibus enim ignorantia non excusat*.

1053 Ex prædictis auctoritatibus, & aliis pluribus desumptis ex Sanctis Patribus, plures, & graves auctores defendunt non esse admittendam ignorantiam invincibilem juris naturalis. Antiquos refert Vazqu. 1.2. disp. 120. cap. 1., & disp. 122. cap. 1. nimirum S. Bonaventuram B. Albertum, Alexandrum Halensem, Antisiodorensem, Gratianum, Durandum, Gersonem, Alphon. de Castro, Hugon. de S. Victore, Gabrielem, Villelmum Parisiensem; quorum auctoritates refert Comitolus resp. moral. lib. 5. cap. 1. Idem docet Cajetanus 1.2. qu. 76. art. 4. Estius in 2. dist. 22. ar. 14. & est communis apud modernos probabilioristas, ut videre in Genetto, Boudart. UVimbrochio, Palanco, & novissimè nervosè defendit Magister Marius Diana Ordinis Prædicatorum tom. de Regulis Conscientiæ, 2. part. ferè per tot. Et ultra auctoritatem D. Augustini supra adductã, adducunt ejusdem verba lib. 2. contra Confess. cap. 4. *Lex tua scripta est in cordibus hominum, quam neque ulla quidem delet iniquitas*. Et in Ps. 118. conc. 25. *Nullus est, qui faciat alteri iniuriam, nisi qui fieri sibi nolit, & in hoc transgreditur naturæ legem, quam non sinitur ignorare*.

Nec ejusmodi auctores admittunt distinctionem illam tripartitam, nimirùm quod circa principia communissima juris naturalis nequit dari invincibilis ignorantia: in secundariis, licèt raro dari posse; in remotis, seu conclusionibus, quæ difficile possunt certò inferri, passim posse dari; non inquam hoc admittunt, sed absolutè in omnibus ignorantiam invincibilem non admittunt. Probant ratione D. Thom. 1.2. q. 91. ar. 2. *Eò quòd lex naturalis nihil aliud est, quàm participatio legis æternę in rationali creatura, quasi lumen rationis naturalis, quo discernimus, quid sit bonum, aut quid sit malum*. Sed hujusmodi lex imprimitur in ipsa natura rationali, dum creatur; ut ipse S. Doctor ibidem docet ex Ps. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: quod pertinet ad naturalem legem, quæ nihil aliud est, quàm impressio divini luminis in rationali creatura*: Ergo ejusmodi creatura participat lumen necessarium ad cognoscendam omnem legem naturalem, dum actu obligat; aliàs Deus præciperet impossibile: siquidem sine cognitione nequit lex adimpleri. Quare in D. Thoma non invenitur aliqua exceptio, immò dum apponit exceptionem ratione ignorantiæ in hoc jure, sic ait: *Ignorantia iuris non excusat, nisi fortè sit ignorantia invincibilis, sicut est in furiosis, & amentibus: quæ omnino excusat*. Quare videtur clarè inferri in habentibus usum rationis non excusari. Similiter alii SS. Patres non excipiunt illo modo, quo moderni volunt; ut S. Ambr. relatus in cap. turbatur 1. qu. 4. *Ignorantia iuris naturalis in omnibus adductis damnabilis est*. S. Antoninus 1. part. tit. 3. cap. 10., ubi de conscientia. *Ignorantia*, ait, *si sit iuris naturalis, vel divini nullum excusat habentem usum rationis*. Vbi, dum ait, *iuris naturalis, vel divini*, non accipit ly, *vel*, disjunctivè, quasi velit dicere de utroque, sed identicè, accipiendo pro synonimis *ius naturale, vel divinum*, quia ita solet appellari jus naturale.

1054 Unde ad exempla, & experientias, quas affert sententia contraria, respondent non esse admittendas: v. g. afferunt aliqui exempla in rustico, qui potest existimare esse licitum mentiri in gravi necessitate, immò & pejerare. In aliquibus posse ignorari pollutionem esse peccatum, & furari in gravi necessitate: apud infideles esse licitam fornicationem, & pluralitatem uxorum: & quod magis urget: Quis poterit in tot opinionibus, quę circunferuntur circa jus naturale, veritatem, prout in se attingere, cùm videamus tot viros piissimos, & doctissimos circa earum veritatem formi-

dare,

dare, & ad invicem diffidere in earum resolutione? Hoc enim contingit, quia interdum indigent multo, & longo discursu; unde non mirum, ut naturaliter discurrendo, aliquando homines deficiant: & maximè homines rudes, mulierculæ, pueri, & puellæ à nemine eruditæ quomodo possunt habere tantam perspicaciam natutaliter, ut ea omnia, quæ juris naturæ sunt, penetrare possint sine ullo prorsus errore? Et apponit exemplum Neothericus quidam, in illa quæstione: An jure naturali tenear ad restitutionem damni, quod cum sola culpa veniali intuli. Dicas mihi, qui negas juris naturalis in omnibus ignorantiam, an possim, & ex quo principio certo cognoscere, quæ pars vera sit in hac quæstione?

1055 Nihilominus respondent ad exēpla adducta, eos falli, qui in illis dari ignorantiam invincibilem existimant: Nec ex eò quòd illæ personæ rudes, vel aliæ dicant nullo modo existimasse in actionibus illis adesse peccatum, potest summi prudens ratio, seu argumentum ad judicandum habuisse, seu habere ignorantiam invincibilem: siquidem inadvertentia de malitia provenit in illis ex defectu debitæ diligentiæ, vel ex passione, pravis consuetudinibus, & malis habitibus; & etiam forsitam habere aliquam advertentiam quasi imperceptibilem, de qua non curant, & quia supra illam non reflectunt, dicunt omni advertentia carere. Quare præfati auctores dicunt magis SS. Patribus standum esse, quàm aliis auctoribus, ignorantias illas, ut invincibiles admittentibus, & pœnitentibus se caruisse debita notitia asserentibus.

1056 Ad id quòd exadverso urgetur, de dubiis circa jus naturale, quorum resolutio exigit multum, & longum discursum, respondet Marius Diana supra relatus, 2. p. c. 6. §. 15., & 16. distinguendo diversitatem quæstionum, quæ circa jus naturale agitantur. Etenim aliæ sunt juris tantum, & aliæ sunt mixtæ ex quæstionibus juris, & facti. Circa dubia prioris generis dabilis non est ignorantia invincibilis; circa alterius generis dari potest, dum difficultates emergunt ex parte facti. Sit exemplum in mutuo. Si dubium sit, an ex mutuo absolutè possit accipi aliquid extra sortem; solum dubium est juris: & sic nequit dari in ejusmodi acceptione talis ignorantia: quia nullus est, qui vellet à se exigi aliquid ultra sortem, quia nullus adest titulus exigendi: nec valent plus centum, quæ dantur, quàm centum, quæ accipiuntur. Cæterum alià dubia occurrunt circa mutuum; an sit contractus usurarius, vel non: v.g. an ratione trium contractuum possit exigi aliquid ultra sortem, vel ratione lucri cessantis: aliis Auctoribus negantibus; aliis verò affirmantibus: sed taliter quòd qui affirmant, negant esse usuram; sed dari de facto titulum accipiendi. Idem in illa quæstione: an delictum in uno loco publicum possit licitè in alio, ubi ignoratur, manifestari? Plures negant; alii verò plures affirmant. Sed ideò hoc ita sentiunt; quia hoc ipso quod delictum hìc est publicum, de facto amisit jus circa famam propriam delinquens; & ideò dicunt non esse contra justitiam, nec contra charitatem. Idem in materia temperantiæ. Nemo ignorat esse rescindendas superfluitates, & excessus in potu, cibo, & aliis sensuum oblectamentis, sed in factis dignoscendis, an exorbitent à mensura, aut per excessum, aut per defectum, hìc opus, & labor est.

1057 Idipsum contingit in aliis innumeris quæstionibus, quæ inter Auctores agitantur, in quibus præcipua difficultas consistit in ipso facto, & ex eò, quòd jus naturæ ibi lateat, & quia circa facta facilius potest dari ignorantia invincibilis, ideò in prædictis resolutionibus facilius admitti potest, non in pertinentibus ad ipsum jus naturale. Unde in casu illo de eo, qui intulit damnum grave ex culpa veniali, qui asserunt non teneri, ideò dicunt, quia de facto moraliter per peccatum veniale non infertur grave damnum, & ideò negant teneri ad restitutionem, ut docent nostri Salmanticenses in cursu morali. t. 3. de restit. c. 1. à n. 30. Undè quia in similibus casibus jus naturale manet velatum, & involutum in ipsis actibus, etiam si quandoque detur error, excusatur homo ignorantia facti, in quo solum materialiter agit contra jus naturæ, nec in ipso stat, ut sciat, ut in accessu Jacob ad Liam, qui materialiter, & physicè fuit contra jus naturale.

AR-

ARTICULUS XII.

Dum quis intelligit à lege naturali defecisse, debet per pœnitentiæ Sacramentum id expiare, nec facilè ignorantia excusari.

1058 FAteor sese offerre mihi maximam difficultatem circa resolutionem, an ignorantia invincibilis juris naturalis cadere possit in adultos ratione utentes, cum videam in SS. Patribus nullum vestigium inveniri circa ejus admissionem, sed potiùs absolutè illam excludunt, nec ullam exceptionem apponunt: ut videre est in auctoritatibus §. antec. relatis, & in aliis pluribus supra 1. p. q. 4. art. 5. suamque doctrinam in Sacra Scriptura fundant, quæ etiam ibi §. 1., & 2. adducitur. Quare saltem non dubito, quin ignorantia juris naturalis rarius invincibilis sit, quàm plerique sibi studeant persuadere. Colligiturque meo videri, quòd raro possimus propter aliquam excusationem circa jus naturale quemquam culpa liberare. Certum est autem ignorantiam juris hujus peccati malitiam minuere; arbitror etiam quandoque imminutionem tantam esse posse, ob impedimenta cognoscendæ veritatis, ut peccatum quòd aliàs mortale fuisset ratione materiæ, transeat in veniale tantum ob obscuritatem malitię, etiam post adhibitam non levem diligentiam; sed esse valdè difficilè cognoscere, seu scire, quando veniale, seu mortale sit, dum materia in se gravis est. Hoc modo intelligerem doctrinam SS. Patrum.

1059 Quapropter dum contingat nos intelligere defecisse, vel aliquid egisse, quòd ex se est grave, contra legem naturalem, putantes, vel non existimantes ab illa recedere, debemus de actione, vel ommissione pœnitere, pro ea satisfacere, & confessione expiare. Ad hoc moveor Primo, quia, in facto legem Dei violavimus, an verò apud Deum nos excusationem habeamus, ignoramus: siquidem ad nos excusandum necessarium est adhibuisse omnem diligentiam ad sciendum, nec ratione negligentiæ, vel alicujus passionis, alicujus rei defectus fuisse in causa, ut non sciremus: quòd quidem difficillimum est ita nobis ipsis fidere, & talem de nobis satisfactionem habere, quòd de hoc saltem non dubitemus; ergo cum fere in dubium sit peccata dubia debere in confessione explicari, adeò ut contrarium communiter practicè improbabile judicetur, id ipsum in casu nostro fieri debet.

Secundò. Quia hæc fuit ratio, & praxis omnium Sanctorum, qui humili confessione, lachrymis, & voluntariis castigationibus studebant abolere, quæ per ignorantiam commiserant; quæ nos fortè omni culpa vacare, judicaremus. Non raro contingit, dum memoriæ nobis occurrunt aliqua, quæ in vita præterita commisimus, quæ non illicita tunc censebamus; & nunc mente magis vera luce illustrata judicamus pœnam mœreri, nec nunc auderemus illa committere. Ergo cum Sanctis remedium quæramus in pœnitentia, potiùs quàm excusationem per ignorantiam.

1060 Tertiò. Negari non potest sententiam negantem ignorantiam juris naturalis invincibilem esse valdè probabilem: nam præter urgens fundamentum, quòd habet in Sacra Scriptura, & SS. Patribus, est omnium, vel ferè omnium antiquorum, & etiam plurium auctorum gravissimorum hujus temporis, qui gravibus fundamentis illam propugnant. Hoc supposito, formatur hæc ratio. Peccata probabilia debet quis confiteri: ergo cum sit probabile non dari ullam ignorantiam invincibilem; negari nequit in casu nostro dari peccatum probabiliter: quo debet illud confiteri. Consequentia constat. Et antecedens probatur: quia ita docent, Nugnus in addit. ad 3. p. q. 9. art. 2. dub. 4. citans D. Th. in 4. dist. 17. q. 3. art. 1. q. 4., & dist. 21. q. 2. art. 3. ad 3. (& meritò, qui licèt expræsse id non dicat, colligetur ex ejus doctrina) Ricard. dist. 16. art. 5. q. 1. Palud. in 4. d. 21. q. 2. Sot. dist. 18. q. 2. ar. 4. Navar. in man. c. 9. n. 14. Victoria n. 13. Salas in 1. 2. tract. 8. q. unic. n. 60. & alii plures.

Secundò: quia eadem ratio datur respectu peccati probabilis, ac respectu peccati dubii: sed hoc debet exponi in confessione, ut docet communissima sententia: ergo, & probabile. Prob. maj. tùm quia valdè in-

consequenter procederetur dicendo; hominem, qui gravibus fundamentis judicatur peccasse, vel ipse potest id judicare, (iste enim habet probabile peccatum) non teneri confiteri; illum verò teneri, qui habet peccatum dubium, (quod contingit in doctrina Auctorum negantium obligationem exponendi peccatum probabile in confessione) dum aliquis levi ratione aliqua suspicatur se peccasse. Quis ergo negationem illam cum ista assertione componat?

1061 Tertiò. Nam negari non potest, qui probabiliter peccavit, teneri dolere de illo peccato, alias probabiliter maneret in illo, cum sine dolore nullum remittatur peccatum; & consequenter probabiliter damnaretur. Sed dolor de peccato debet esse semper in ordine ad Confessionem: debet ergo habere propositum efficax illud confitendi, prout illud habet in conscientia, ac proindè dum adest tempus Confessionis in illa debet exponi. Denique: homo dum confitetur, debet ita se disponere, ut quadam existimatione, & certitudine morali judicet, & probet accedere in gratia ad Sacram Eucharistiam: juxta illud Apostoli 1. Cor. 11. *Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat*: hæc autem probatio debet fieri per confessionem, ut determinat Concilium Tridentinum sess. 14. c. 5. Sed iste non probat per confessionem accedere in gratia: siquidem probare per confessionem non aliud est nisi confiteri omnia peccata, ita ut illa certitudine judicet nullum ommisisse peccatum, quòd non confiteretur, quod quidem nequit homo judicare, si probabile peccatum in confessione non exposuit. Ergo illud debet in illa exponere. Et hæc est præcipua ratio, quare tenemur confiteri peccata dubia, quæ non minus, sed magis in peccato probabile locum habet: ergo &c. Demùm quia ad Sacerdotē, quatenus relictum ut Vicarium Christi, debent per tenere peccata, quæ ad Christum pertinent judicanda; pertinent etiam probabilia: & consequenter dicendum hominem, qui cognoscit à lege naturali graviter defecisse, licet per ignorantiam, debere de illo dolere, & per confessionem expiare, etiam dum peccatum est probabile.

Sed est animadvertendum certissimum esse, quòd omninò substineri nequit illa propositio: *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsa operantem ex ipsa non excusat à peccato mortali*. Illam enim damnavit, & prohibuit san. mem. Alexander VIII. in suo decreto publicato die 2. Decem. 1690.

1062 Ulterius idem proportionabiliter est dicendum de peccatis contra jus divinum, quòd communiter scire debent Christiani, & de peccatis, contra leges, aut præcepta, quæ quisque scire tenetur, propter eadem motiva proxima adducta debent homines de illis dolere, & confiteri. Quæ autem quisque scire teneatur dictum est supra à n. 156., & à n. 224. Dixi, *proportionabiliter*, quia circa præcepta naturalia, & divina, quippè majoris momenti, major requiritur diligentia ad illa sciendum, & quia magis cognoscibilia sunt, difficilius, immò difficillimè potest quis circa illa per ignorantiam excusari, ut dictum est, & etiam agitur supra à n. 848.

1063 Quid autem dicendū sit de peccatis, seu recessibus à legibus per ignorantiā facti, jā dictū est facilius intervenire in hujusmodi peccatis ignorantiam invincibilem. Cæterum non est admittenda regula aliquorum docentium, quòd si per oblivionem, aut inadvertentiam, homo ommittat, vel operetur contra legem, hoc ipso jam à culpa formali debet liber existimari. Hoc enim rejectum est supra 1. p. q. 4. art. 5., & seqq. & constat peccari per oblivionem ex Deut. c. 15., & ex cap. *Qui*, & *Divinis* 12. q. 2. Quamvis ergò multoties circa facta contingat ignorantiam invincibilem adesse: hoc autem determinare, per difficile est. Nam totum negotium hoc dependet etiam à diligentia, & studio de rebus sciendis adhibito, & de animi applicatione, vel desidia circa adimplenda, quæ sub obligatione quisque tenetur.

1064 Duæ regulę viam veritatis melius sequentibus à signantur. Prima summitur ex ipsis rebus ad unumquemque pertinentibus. Ita ut circa ea, quæ raró contingunt, vel nunquam; potest præsumi rationabiliter, invincibiliter ignorari, secus circa ea, quæ frequenter eveniunt, & pertinent ad nos. Ut in casu Noe: quia in se, nec in aliis erat expertus vini virtutem, communiter à peccato ebrietatis excusatur.

tur. Idem in homine qui bibens non parvam vini quantitatem, & numquam expertus est se ebrium, nec existimavit se inebriandum: erit error, & ignorantia invincibilis, secus si expertus est contrarium. Idem de illo, qui rarò obliviscitur recitare officium, aut horam canonicam; nam si multoties oblitus est, debet adhibere magis exactam diligentiam, ut non obliviscatur, aliàs si ommittat, licèt non advertat, non excusatur. Idem de oblivione peccatorum in confessione, & in aliis similibus factis, seu occasionibus. Non tamen dicimus hanc regulam aliquam exceptionem pati non posse.

1065 Secunda regula sumitur ex diligenti, & efficaci voluntate, & ex deside, & inefficaci. Sunt enim aliæ voluntates diligentes, actuosæ, efficaces, Deum amantes, suasque obligationes plurimi habentes. Hæ si quid ignoraverint, seu oblitæ fuerint recitationis Horæ Canonicæ, vel esse diem jejunii &c. tunc si in aliquo defecerint, involuntarium censeri potest: quia rarò obliviscuntur, vel rarò non advertunt: quod in diligentibus, & non ambientibus pecunias, & res temporales sufficiens testimonium habemus. Contrarium censendum est in voluntatibus desidibus, & pigris: quæ difficile excusari possunt. Timeant ergo negligentes, & pœniteant, si in aliqua re etiam facti deficiant; quia in suis ignorantiis, & oblivionibus factorum regulariter præsumendum est, & habendum vincibiliter ignorasse. Cœterum de diligentibus, qui virtutem, & res animæ sic curant, sicut avari, & mundi ambitiosi res mundi, existimari potest rarò prædictas ignorantias, & obliviones in illis esse volūtarias. Quamvis hæc secunda regula exceptionem, licèt rarò, habere continget; certior tamen est, quàm prima.

1066 Ad majorem confirmationem eorum, quæ dicta sunt, afferam duo exempla. Primum circa jus; & secundum circa factum. Narrat S. Petrus Damianus opusc.7. c.21. de quodam Eremita, qui deceptus, & ignorans, contra legem naturalem peccatum libidinis perpetrabat. Ipse cum Deo sedulò exercitio multarum virtutum cum suo collega deservisset, hæc illi per diabolum injecta cogitatio est: ut quandocumq; libidine titilaretur, sic semen frictu genitalis membri egerere deberet, tamquam phlegma de naribus projiceret; qui & ob id dæmonibus moriens, vidente socio, traditus est. Tum ejus socius reatum ejus ignorans, sed exercitia virtutum recolens penè desperavit dicens: *O qui poterit salvus esse? Quomodo iste periit?* Cui mox Angelus stans dixit: *Nè turberis, iste enim licèt multa fecerit, tamen per illud vitium cuncta defedavit*. Hæc S. Damianus; Non defuit probabilista docens secluso jure divino positivo, pollutionē esse licitā, sicut phlegmatis projectio ex naribus; immo quod esset bona, & aliquādo obligatoria; & aliàs dari potest invincibilis ignorantia circa jus divinum: Cur in principiis illius probabilistæ non posset excusari Eremita ille rudis, & in litteris non versatus? Tamen talis doctrina damnatur ab Alex. VII. prop. 49. & damnatus fuit ille miserrimus.

1067 Secundum refert D. Greg. lib.4. dialog. cap.40. de Paschasio Diacono Cardinali. In ea contentione, inquit, quæ in ardescente zelo fidelium inter Simmachum, & Laurentium facta est, ad Pontificatus ordinem Laurentium elegit: Et omnium post unanimitate superatus, in sua tamen sententia usque ad diem sui exitus perstitit. Hic cùm esset dèfunctus ejus dalmaticam feretro superpositam dæmoniacus tetigit, statimque sanatus est. Post multum verò temporis Germano Capuano Episcopo Medici pro salute corporis dictaverant, ut in Angulanis thermis labari debuisset. Qui ingressus easdem thermas prædictum Paschasium Diaconum stantem, & obsequentem in caloribus invenit. Quo viso vehementer extimuit, & quid illic tantus vir faceret, inquisivit. Cui ille respondit. Pro nulla alia causa in hoc pœnali loco deputatus sum, nisi quia in parte Laurentii contra Simmacum sensi; sed quæsò te pro me Dominum deprecare: atque in hoc cognosces, quod exauditus sis, si huc veniens me non inveneris. Qua de re vir Dominus Germanus se in precibus strinxit, & post paucos dies rediit; sed jam dictum Paschasium in eodem loco minimè invenit. Quia enim non malitiæ, sed ignorantiæ errore peccaverat, purgari post mortem à peccatis potuit. Quod tamen credendum

 est,

est, quia ex eleemosinarum largitate, hoc obtinuit, ut tunc posset promereri veniam, cùm jam nihil posset operari. Hactenus D.Greg.

Certum videtur virum adeo pium errore, vel ignorantia facti digniorem Laurentium existimasse; & tamen, ut D.Gregorius asserit, ignorantiam à peccato non liberasse. Non enim advertens, vel sciens Laurentium minus dignum promovere curavit; sed quia ex aliqua passione, vel affectione sibi dignior videbatur. Hoc latuit, qui libros rectissimos de S. Spiritu scripsit, ut ibi asserit D.Greg., qui tot piis operibus, & miraculo claruit. Quid de nobis miseris, nostri amatoribus, tot passionibus affectis existimare debemus? Quomodo tam juris, quàm facti ignorantias facilè prodesse ad excusationes habendas in peccatis existimare poterimus?

ARTICULUS XIII.

Quæ sint media ad inveniendas veritates morales.

§. I.

Virtutum exercitium ad hoc valdè conducit.

1068 SUpponimus adhibendam esse solicitudinem, & diligentiam magnam, & curam circa studium Theologiæ moralis ad inveniendam veritatem in dubiis moralibus, & non ommittendum studium etiam sacrorum Canonum, & dum proprio discursu, vel libris non inuenitur, adhibendam piorum, & eruditorum Virorum consultationem. Sed numquid hæc sufficient? Quandoque sufficient: at multoties si quid amplius non adhibetur, veritas delitescet. Scitum est illud Philosophi: *Unusquisque júdicat secundùm quod est affectus*. Voluntas enim in suam inclinationem allicit, & attrahit vehementer intellectum. Unde Philosophus 3. Ethic. cap.4. etiam dixit: qualis unusquisque est, talis finis ei videtur. Et D.Thomas 1.2. qu.9. artic.2. ait: *Irato videtur bonum, quod non videtur quieto*; & qu. 3. de malo art. 9. ad 7. *In quolibet actu virtutis, vel peccati fit quadam deductio quasi syllogistica: sed tamen aliter syllogizat temperatus, aliter continens*.

Hinc est, quod licèt quis non mediocri intelligentia circa res morales imbutus sit, si passionibus inordinatis, & habitibus corruptis, & prauis affectibus adolescit, non parum expositus est defectui attingendi veritatem. Sed quia supra 1. part. qu. 4. ab art.7. latè actum est, qualiter passiones obnubilant intellectum, & sint causæ ignorantiarum vincibilium, ibi si placet, potest videri probatum ex Sac.Scriptura, SS.Patribus, & etiam rationibus.

1069 Econtrà, ubi animus est virtutibus ornatus, rectis habitibus, & affectibus sanctis ditatus, faciliter veritatem attingit; quia sicut vitiis anima tenebrescit, ita illuminatur virtutibus, quatenus rectificant potentias in ordine ad ultimum finem, quē ut optimum homo debet intendere: finis autem ultimus in practicis habet rationem principii; unde qui circa hunc finem est rectè dispositus, facilè deducit practicas conclusiones, seu judicia recta. Hoc enim satis nos docet ipsa experientia. Videmus homines (immò, & fœminas) sine scientiis, quæ in scholis docentur, & etiam ad ipsas ineptissimos, ingenio tardos, discursu hebetes, sed ita tamen instructos, ac firmos in conclusionibus agendorum, & vitandorum, ut erubescere quidem possimus. Et unde hoc, nisi quia virtutibus, & rectis affectibus acquisierunt scientiam Sanctorum, & instructionem ex virtutibus ortam, ita quod superat magnarum aliarum mentium eminentiam: ita quod oporteat nos exclamare cum magno, & sapientissimo August. Confess. lib. 8. cap. 8. *Quid patimur? quid est hoc? Quid audisti? Surgunt indocti, & Cælum rapiunt; & nos cum doctrinis nostris sine corde ecce volutamur in carne, & sanguine, &c.*

1070 Quid item dicendum de pluribus natura simplicibus, de fœminis etiam, quæ solùm exercitio virtutum tam sublimem sapientiam non solùm mysticam, sed etiam scholasticam, & moralem adeptę sunt, ut sapientioribus meritò in admiratione magna sint. Quis non miratur Cęlestis Magistræ S. Theresiæ sublimem sapientiam, idemque de simili sapientia celeberrimæ

Vir-

Virginis S. Catharinæ Senensis, quæ, ut in ejus officio legitur: sacrarum litterarum professoribus difficillimas de divinitate quæstiones proponentibus respondit. Plures alias ommittimus, qui in schola, & exercitio virtutum sapientiam compararunt veram, & valdè diversam à pluribus, qui labore indefesso evolventes libros per longũ vitæ spatium, licèt scientiam acquisierint, in re fortè manent, & versantur in ignorationis tenebris.

1071 Hoc aliquandò contigit celebri illi Magistro Joanni Thaulero, cujus doctrinæ celebris, & ingenii fœlicitatis fama longè, latèque divulgabatur. Et tamen quidam Laicus, qui eum concionantem altè, & eruditè auscultavit, sed in spiritu Domini didicit: Doctorem illum bonum, suavem, benignum, & sacrarum litterarum apprimè intelligentem esse, obscurè tamen, sed absque lumine gratiæ diuinæ. Cujus propterea cœcitatem vehementer miserans ipsum accessit: & inter alia plura hæc illi affatus est. *Dixi: vas vacuum, & in mundum te habere: nec enim Deum in cunctis actionibus tuis, & dimissionibus pure amas; præterea die in nocte, & in tenebris te versari, verissimum est, & Pharisæum te esse, verum esse probabo, &c.* Quid ad hæc responderet, & quid efficeret tantus Magister ad verba tam dura unius Laici, qui scholas mundi nesciebat? Compunctus, & humiliatus, illi seipsum tradidit Discipulum obsequentem, à quo accepit alphabetum illud aureum, ut juxta illud instituerer vitam; quod ita complevit, & ad tantam perfectionem, & veram sapientiam V. Thaulerus fœliciter peruenit; ut fusius refertur in ejus vita, quæ habetur in principio tomi sermonum ejus.

1072 Ex quo colligitur quantum conducit exercitium virtutum ad veram sapientiam acquirendam, & inveniendam veritatem, ut rectè vitam nostram instruere, & actiones regulare possimus. Propterea Divus Augustinus lib. 1. de libero arbitrio cap. 20. ad studium virtutum nos mittit, tamquam ad verum Magistrum, ut ab ignorantia cœcante liberemur: cujus verba dedimus supra num. 206. Hæc dicta sunt de hoc medio virtutum in communi. Id autẽ ostendere de qualibet in particulari esset nimis diffusum: unde de quatuor ad intentum plus conducentibus ostendere curabimus.

§. II.

Humilitas, & obedientia valdè disponunt mentem ad inveniendam veritatem, & regulandam conscientiam.

1073 De temporibus suis ajebat Richardus de S. Victore: *Unde tam contraria consilia, tamque diversa sententia? Unde, nisi de cordis caligine? Nisi enim interior oculus caligaret, toties proculdubio in veritatis judicio minimè erraret.* Et tamen non desunt, qui fœlicitati præsentium temporum gratulantur, quod tot sententiis, & opinionibus inter se contrariis fruitur, ut sic diversis viis homo possit ad Cœlum facilius tendere. O infœlix fœlicitas, quæ consistit in majori cordium caligine! Hæc undè provenerit, docet S. Gregorius 9. Mor. cap. 7. *Seclusum quippe ab internis genus humanum, exigente culpa, mentis oculos perdidit.* In illa prima conditione nihil circa veritates morales occurrentes homo poterat ignorare, nec erat opinionibus locus, quia ut D. Thom. 1. 2. qu. 85. art. 3. error, & opinari fuit effectus proveniens à culpa originali. Hæc in sententia S. Doctoris fuit superbia: unde prima radix caliginis cordium, & errandi, & opinandi est superbia. Hinc illud Davidicum Psalm. *Deus de Cœlo prospexit super filios hominum, ut videat, si est intelligens, aut requirens Deum. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt.* Et à quo? Hugo Cardinalis ibi: *Hi sunt multi Scholares, & litterati, declinaverunt à via veritatis.* Qualiter autem superbia sit causa erroris, dictũ est sup. n. 175.

1074 Quare quærendum est remedium, & medicamentum ad sanitatem caliginis oculorum cordis humani. Ipse Divinus Magister illud nobis applicat loquens ad quẽdam, qui sapientem se existimabat, Apocalip. ca. 3. *Collyrio unge oculos tuos* (idest explicat Rupertus, & alii apud Sylveiram ibi): *Cor tuum vera humilitate purifica, ut videas.* Circa illa verba Christi D. Joann. cap. 9. *Ego veni in mundum, ut qui non vident,*

videant, & qui vident cæci fiant; ait D. Augustinus: *Ad Medicum venisti? Videre te dicis? Cessabunt collyria: semper cæcus manebis, confitere te cæcum, ut illuminari merearis*. Ita super Psal. 65. Hoc ipsum nobis imponit Apostolus 1. Cor. 3. *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens*. Circa quod quærit Divus Basil. in reg. brevior. interr. 274. *Quomodo efficitur aliquis stultus in hoc sæculo? Si formidaverit judicium Domini dicentis: Væ, qui sapientes estis in occulis vestris, & coram vobis metipsis prudentes, & illum fuerit imitatus, qui dixit: Vt jumentum factus sum apud te*. Nam, ut apud omnes indubium est, ut rectè actiones nostræ dirigantur, necesse est, ut adhibeatur actus prudentiæ: *Est autem valdè difficile* (ait S. Laurentius Justinian. de ligno vitæ): *Vt is, qui se sapientem existimat, mentem suam prudenter dirigat: Nam revera hominis prudentia efficitur humilitas suæ existimationis*. Sed quid egemus aliis testimoniis, cùm habeamus ex ore Veritatis in Evãgelio illud pretiosissimum eloquium: *Confiteor tibi Pater Rex Cæli, & Terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis*. Et Spiritus Sanctus in Psal. 18. *Testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis*.

1075 Et non erit absre hìc afferre exẽplum cujusdam parvuli stulti, sed verè sapientis N. V. Fr. Francisci à Puero Jesu, de cujus canonizatione agitur apud Sãctiss. fuit per multũ tempus adeo stultus, & rudis, ut ejus Pater ob hanc causam domo sua ejecerit. Qui dicatus ministerio assistendi infirmis in celebri Hospit. Compluten. (vulgo de la Altezana) ubi humilitatis, & aliarũ virtutum exercitio sapientia cœlesti non parum illustratus est. Cum quadam occasione pro pauperibus magnæ quantitatis eleemosinam recepisset, quidam Religiosus non parum eruditus illum rogavit, ut sibi mutuaret ducata 300. ad impressionem libri, quem ipse scripserat, & postea, dum illa solveret, retribueret bonam eleemosinam, ut illam erogaret Militibus pauperculis Pueri Iesu (ita vocabat Vener. Frater pauperes). Qui respondit illi Viro docto: *Non videt Noster Pater, quod ob mutuum nihil accipi potest*. Replicavit ille: *Non dabo propter mutuum, sed tamquam eleemosinam*. Cui iterum Ven. Frater: *Quomodo erit eleemosina, cum nobis non dabis, nisi tibi mutuemus?* Quod audiens Religiosus fastidiosus dixit: *Nonne videtis, quàm Theologus est rusticus*. Et Ven. Franciscus magna humilitate conclusit: *Laudetur Puer Jesus*; & abscessit. Ita refert P. Joseph à Jesu Maria, c. 24. vitæ ipsius. En ex una parte eruditus Theolog. Scriptor, & Mag. qualiter opinabatur; & ex alia rudis, & simplex rusticus verè sapienter, & prudenter judicabat. Et quarè sic, nisi quia: *Sapientiam præstat parvulis; & ibi est sapientia, ubi est humilitas?* Ad hanc mittebat, ut veram Magistram Divus Augustinus amicum suum Dioscorum, ut veritatem inveniret; sicut sup. visum est n. 248.

1076 Humilitati est affinis obedientiæ sublimis virtus: hæ inter se copulantur. Quamuis sit hæc virtus in voluntate, valdè conducit ad hoc, ut intellectus practicè rectè judicet de obligatione legum secundùm veritatem. *Hæc virtus* (ait illuminatissimus S. Laurentius Iustin. tractat. lignum vitæ, de obedientia cap. 3. in fin.) *hominem ditat, lætificat Ecclesiam, pacem tribuit, mentem ornat, animam castificat, Cœlum aperit, vitam fœlicem homini tribuit, & omnes virtutes custodit. Sola namque verissimè virtus est rationalis creaturæ, quæ cæteras virtutes menti inserit, insertasque custodit*. Hujus rationem assignat D. Tho. 2. 2. qu. 14. artic. 3. ad 2. *Eò quod ad obedientiam pertinent omnes actus virtutum, prout sunt in præcepto. Inquantum ergo actus virtutum operantur causaliter, vel dispositive ad earum generationem, & conservationem, intantùm dicitur, quod obedientia omnes virtutes menti inserit, & custodit*.

1077 Igitur dum mens hac perfectissima virtute est benè disposita, certum est, quod etiam ejus intellectus practicus erit rectè dispositus ad practicè judicandum de veritate circa obligationem omnium virtutum, & omnium legum, quæ non aliud præcipiunt, nisi virtutum actus. Hoc expertus est Rex David, in obedientiæ virtute exemplar clarissimum, ut in ejus Psalmis satis constat; quomodo obediens erat, qui dicebat? *Portio mea Domine dixi custodire legem tuam*, & alia hujusmodi plura. De-

se

se igitur ait Psal. 118. *Super senes intellexi, quia mandata tua quæsivi*: In scriptura attribuitur senibus, sapientia, intellectus, consilium, &c. Eccli.8. *Ab ipsis enim disces sapientiam, & doctrinam intellectus.... Non te prætereat narratio seniorum; ipsi enim didicerunt à Patribus; quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dare responsum*. Studio igitur tantæ virtutis asserit esse addiscendam adeo superiorem intelligentiam; ut nos doceat, quod si cupimus verè sapientes, & intelligentes esse, hujus virtutis studio, seu exercitio diligenter incumbere satagamus.

1078 Primum; & principale, quòd obedientia nos docet, tradit D. Gregor. lib. 2. Reg. c. 4. *Vera namque obedientia, nec præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit.... Nescit enim judicare quisquis perfectè didicit obedire, quia hoc tantum bonum putat, si præceptis obediat*. O vera, & desiderabilis sapientia! Præcor, attendat vir cordatus, & pius, quid cum doctrina Sacra, & SS. Patrum habeat forma, & modus obediendi, qui à pluribus neothericis traditur. Dum occurrit dubium, aut quæstio de legis, aut virtutis obligatione, in hominis mente tribunal constituunt, instituiturque lis formalis inter legem Sanctam Dei, & nos. Scitum est, quòd quando duo litigant, reus actorem cogit probare, & concludere, aliter liberum, liberandumque reum sit pronunciandum, quia in dubiis favendum est reo. Hoc ipsum faciunt cum Dei lege: hominem velut reum assumunt, legem ut actorem faciunt, quæ probare cogatur; & nisi certò probet, dicunt partem contrariam æque, vel minus probabilem, & ab obligatione legis hominem liberum pronuntiant. Afferat lex, licet probationes majores, & urgentiores, nihil facit; nisi certò concludant, quòd in jure juxta regulam de favendo reo non habet locum, nisi dum partes æqualiter probant, nam si actoris sunt probationes fortiores, reus succūbit: & hoc ipsum decernit jus, licet possessio stet pro reo: at probabilistæ, etiam si pro lege sint fortiores, ratio debet succumbere, si non sunt certò concludentes.

1079 Præterea tot, allegata, tam exquisitè inventa, & promota sunt in illorum scriptis contra legem, quasi lex esset nobis adversaria, & ad instar hostis, sicut in litibus, & quasi data, & posita non fuisset ad convertendas, & illuminandas animas, sed ad illas evertendas. Quid aliud indicat, legem sanctam Dei dicere, & tractare veluti odiosam, & sic restringendam juxta regulam juris? Et ea propter, si semel ad sit probabilis opinio, licet minus, deficit lex ex defectu sufficientis promulgationis. Circa in hoc numero, & præcedenti insinuata, plura dicta sunt in discursu hujus opusculi. Solum oportet scire quid nos doceat obedientia? An ab ipsa approbentur modò relata? Omnia quæ cadunt sub præcepto, pertinent ad obedientiam, ipsaque nos docet, & cogit adimplere: docet D. Th. Undè in dubium est nos docere, & intimare illud tanti momenti, & adeò ponderatum mandatum Dei in Psalm. 118. *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.* Quid dicerent hìc Græci sapientes, quorum fuit illa memorabilis sententia: *Ne quid nimis?* Cæterum divina rethorica sic hoc tam salubre mandatum nobis proposuit, & exposuit: quod aliquo modò potest exprimi ita; *quòd valdè præcipit hoc Deus, & valdè oportet custodire Dei mandata*, ut exponit ibi D. Augustinus. Hoc itaque docet magistra obedientia: non formare tot lites ad enervandas vires legum, & præceptorum.

§. III.

Oratio est præcipuum medium ad veritatis inventionem.

1080 TAm clarè constat ex ipso Breviario, vel Officio Divino, quod recitatur quotidiè, quanta sit necessitas orationis, & quam aptum medium ad inveniendas veritates practicas, & conscientias nostras absque errore regulandas; quòd de hoc agere superfluum penne videatur: at nihil frustraneum in re tanti momenti. Dubitationes enim quas passim experimur, quibus fluctuamur, de infirmitate rationis nostræ nos convincunt, pariterque admonent ad Deum esse confugiendum: Ideò enixè orabat sapiens: *Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam.... Quis enim*

po-

poterit scire consilium Dei : aut quis cogitare, quid velit Deus? cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ nostræ &c. Sap. c. 9.

1081 Hæ sunt repetitæ voces Ecclesiæ Sanctæ cum Propheta Regio: *Notam fac mihi viam per quam ambulem. Doce me facere voluntatem tuam.* Ps. 142. *Dirige me in veritate.* Ps. 24. *Da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua : Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo.* Ps. 118. &c. Hinc frequentatio orationum, seu collectarum, quas Missale, & Breviarium Romanum toties apponit. *Mentes nostras, quæsumus Domine, Paraclitus, qui à te procedit illuminet, & inducat in omnem, sicut tuus Filius promisit, veritatem. Largire quæsumus Domine, spiritum cogitandi, quæ recta sunt propitius, & agendi, ut qui sine te esse non possumus, secundum te vivere valeamus. Custodi Domine Ecclesiam tuam propitiatione perpetua; & quia sine te labitur humana mortalitas, tuis semper auxiliis, & abstrabatur à noxiis, & ad salutaria dirigatur.* Et aliæ, quæ ommittuntur. Sic docet Sancta Mater Ecclesia filios suos deprecari pro veritate invenienda ad bene operandum, Scit enim, *quod universa vanitas est homo.* Ps. 38. *Et: omnis homo mendax.* Ps. 115.

1082 Sic, inquam, docet Mater Ecclesia filios depræcari, quia ita ab ipso Spiritu Sancto edocta est; qui ad hoc apposuit exemplum piissimi Regis Josaph. 2. Paralip. 20. *Cum ignoremus, quid agere debeamus: hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te*: Et per Apostolum Jacobum Epist. Can. c. 1. *Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter; & non improperat, & dabitur ei : postulet autem nihil hæsitans.* Ita verbis, & suis exemplis etiam SS. Patres nos docent per recursum media oratione ad Deum quærere veritatem, ut non culpabiliter, ignorantiam incurramus. Sic de viris piis sui temporis scribit D. Augustinus lib. 22. de Civitate Dei cap. 23. *Continuis vigiliis excubant, ne opinio verisimilis fallat, ne decipiat sermo versutus, ne se tenebræ alicujus erroris offundant: ne quòd bonum est, malum; & quòd malum est bonum dicatur. Ne ab iis, quæ agenda sunt metus revocet : ne in ea, quæ agenda non sunt, cupido præcipitet.* Hoc ita refert Sanctus Doctor de seipso, & aliis, qui solicitè studebant, qualiter veritas inquirenda sit ad rectè operandum, non solum evolvendo libros, sed potius vigiliis, & orationibus insistendo. Hinc in cordatis, & timoratis conscientiis in agendo tanta solicitudo, hinc tanti faciunt errandi periculum: quia ut idem Augustin. ait, serm. 12. de tempore: *Voluntatis propensio auctoritatem vitiis quærit; & quòd malum est, bonum; aut bono proximum esse suadet.*

Alia ejusdem D. Augustini ad intentum habetur supra n. 106., & alia n. 1039. & etiam D. Hieronymi eod. n. 1039. in fine. Et qui expræssius nobis reliquit doctrinam mirabilem, & exemplum, Doctor Angelicus præsertim in prologo Opusc. 73. de usuris, cujus verba referuntur supra n. 542., & d. num. 1039. Et in ejus officio lect. 5. dicitur: *Numquam se lectioni, aut scriptioni dedit, nisi post orationem.* Ideò tot Thesauros veritatis invenit, & mirabili methodo, & claritate in omni materia veritatem nobis manifestavit.

§. IV.

Charitas multipliciter docet veritatem moralem.

1083 Tandem pro Coronide adveniat Regina Magistra Charitas, & habitet in cordibus nostris, & maneat semper; ipsa enim plurima, & utilissima docebit nos, sine illa enim erimus in tenebris, & umbra mortis. Audiendus D. Augustinus serm. 42. de tempore. *Unde quamlibet aliquis copiosas divitias habeat, si charitas in illo non fuerit, nihil boni ex illis facere poterit, sine qua vera, & Cœlestium virtutum Matre Magistra, quid facere debeat, vel quantum dare debeat, omnino non novit: Et ideò quantum potest elaboret, ut habeat charitatem, & habeat lucem, ut habeat Oleum. Charitas Oleo comparatur... Lucerna, & Lampas sine Oleo accensa, fumare potest de iracundia, fumare de superbia, fœtere de avaritia, sine charitate penitus non potest lucem habere.* Hæc SS. Doct. quæ sufficienter probant quantum jubat charitas ad inveniendas

das veritates, & recte regulandas nostras conscientias. Sed aliqua circa idem breviter adjiciemus.

1084 I. Charitas nos docet plurimas vitare quæstiones. Ubicunque enim hæ occurrunt, datur contrarietas, dubitatur de veritate, adest errandi periculũ, & agendi contra Dei legem: quid tunc facit Deum amans? id quod Spiritus S. nos docet: *Quasi à facie colubri fuge peccata*: *Eccli.* 21. *Qui sapiens est* (ibi Cornel.) *non tantum serpentem, & colubrum fugit; sed etiam faciem colubri, idest occasionem peccati, & omnem ejus ingressum perhorrescit*. Sese offert quæstio; quoties quis teneatur credere, actum charitatis elicere, vel orare? quam sententiam docet charitas sectari? Negatur suppositum. Non enim amans curat de tali quæstione, sed qualibet hora credit, amat, & orat. Occurrunt quæstiones circa contractus, solutiones &c. *Sed cum charitas non quærat quæ sua sunt*; & dictet illud totius doctrinæ moralis compendium; *Quæcumque vultis, ut faciant vobis, & vos facite illis*: facile cessant quæstiones inter diligentes Deum super omnia, & proximum sicut seipsos. Hoc videri potest inter Patrem, & Filium, inter duos Fratres, aut amicos verè sese invicem diligentes; sive vendituri invicem, sive empturi, sive mutuum præstituri, sive aliter contracturi, nullas subtilitates, aut quæstiones movent, de plano, & sincerè sibi invicem convivunt; quia licet unusquisque, quæ sua sunt quærat, etiam quæ alterius simul attendit. Certè non aliter nos adinvicem amare tenemur: Fratres enim, & amici sumus in Christo, & ita docet, & facit charitas cessare quæstiones.

1085 II. Magistra charitas docet nos diligenter quære veritatem circa divinam voluntatem, quam facit amare, & illi placere, & non displicere. Hoc planè conspicitur in amantibus, & concupiscentibus aliquam rem magni momenti in sua existimatione: quid non facit? Quid diligentiæ omittit? Id efficit charitas, sollicitat animam, ut quærat, & inveniat Dei voluntatem, ut ipsi placeat. E contra non amantes, regulariter sunt negligentes: sæpè affectant quærere, & non quærunt; quibus dicitur: *Si quæritis, quærite*. Isai. cap. 21. Et dum alios consulunt, non veritatem, sed commoditatem quærunt, quam diligunt; & ut ajebat D. Augustinus; *quod amant volunt esse veritatem*. Unde Deus non rarò permittit, ut qui inquirit, & à quo inquirit, decipiantur, & cœcus cœcum ducat, & ambo in foveam cadant. Deinde cum debeamus adhibere diligentiam requisitam, & de hoc à nobis præstito non possimus scire nisi per signa, conjecturas, ut ait D. Th. 1.2. qu. 122. art. 5. charitas docet maxime attendere, ut lex Dei attentè perpendatur, sicut viatores faciunt, dum via difficilis est. Hi enim de periculis timent, de via sua, & termino cogitant, errores declinant, si ab uno responsum fuerit, ab alio, & alio id rursus requirũt. Viatores sumus. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*. Hæc est via Domini, & non parum difficilis: & si illi adeo sunt diligentes, ut coronam corruptibilem accipiant, quid nobis agendũ, ut incorruptam?

1086 III. Magistra charitas nos docet reddendo animũ bene affectũ, ut non disputemus, vel lites formemus cum legibus, sed illas valde æstimemus, scitũ esse illud principiũ: *Unusquisq; judicat secundum quod est affectus*: Cum autẽ quis sit bene affectus circa Deum, consequenter ita est circa ejus legem, per quam innotescit ejus voluntas; & sic habet maximam circa leges, seu voluntatem Dei æstimationem. Unde qui vere Deum amat, iterat illud Prophetæ. Ps. 118. *Portio mea Domine dixi custodire legem tuam*. Quare valde longe adest à disputando, & formando lites cum legibus, de quo sup. num. 1078. & seq. dictum est. Quis enim quæstionem moveat, & litem, ut non accipiat totam, vel partem hæreditatis pretiosæ sibi relictæ? Ubi est charitas ibi Dei filiatio: quis verus filius non estimat magni jussa parentis? alias non filius, sed mercenarius ostenditur. Deinde dum actus hujus virtutis continuantur, reddit nobis quæ sursum sunt sapida, jucunda, & delectabilia, facitq; sentire ipsum Deum infinitum esse ipsam dulcedinem, saporem, & beatitudinem, & quantum oportet eidem servire, & obedire, & sic excluduntur à corde nedum gravia peccata, sed & affectiones, & reliquiæ ex illis in anima justa relictæ: unde non modo reddit intel-

lectum aptum ad bene judicandum, quasi quodam purum, & expeditum speculum, sed etiam ipsam vim intellectivam magis firmat, & auget. Cæterum ubi non viget charitas, licet verbis aliud homo loquatur, ejus affectiones terram loquuntur, terra diligitur: licet judicium urgeat, conscientia clamet, & remordeat; prævalent affectiones pravæ, juxta quas tandem elicitur judicium practicum, quia hoc judicium tale est, qualis est finis: ubi autem Deus finis non est, sed bonum commutabile, ibi non erit prudentia vera, hæc enim absque charitate esse non potest. Ut docet D. Th. 2.2. qu.47. art.13. Deficientibus ergo his duobus nobilissimis virtutibus, quodnam bonum, & quænam rectitudo operationum poterunt existere in anima? Ubi autem sunt, & sedulò exercentur, extinguunt inordinatos affectus, faciunt videre phantasmata, & illusiones, quibus obcœcatur peccator, & quod anima intimo cordis affectu lætissimè psallat. *Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde*. Ps. 71.

1087 IV. Magistra charitas nos docet vitare incerta, & amplecti, quæ tuta. Non apparet ad primum aspectum esse cōformem charitati responsionem illam Virginum prudentum: *Ite potius ad vendentes, & emite vobis*: forsitan cogitarunt satis, superque futurum oleum, ut possent præstare fatuis: tamen negant, *ne forte non sufficiat nobis, & vobis*. Vere enim diligebant Sponsum, & ne contingeret defectum apud illum incurrere, prudenter quod certum, & tutum amplexę sunt. Quid ergo facit anima vere Deum amans inter tantam opinionum confusionem, dum sunt ęqualiter probabiles, minus tutū sectabitur? Immo neque in quæstionem mittit talia, ne fortè Deum suum offendat. Qui filios, qui pecunias &c. amant, non committunt ea certo periculo: solo amore, sine alia doctrina, ab illo ea retrahunt. Idem facit charitas. Unde vere Deum diligens non intelligit illam vulgarem evasionem: *quod lex solum materialiter violatur*: a charitate docentur, ne se exponant periculo legem violandi, quidquid de opinionib. vel reflexionibus. Adeamus ergo illos, qui non verbo, sed opere, & veritate Deum diligunt: dicamus illis de jejunio, de ęsu carnium, de recitatione officii divini, & de aliis præceptis. Ecce in Scholis, & in libris sunt opiniones aliæ æquè, vel magis fundatæ asserentes esse hæc, aut illa peccatum mortale, aliæ æquè, vel minus fundatæ dicunt non esse. Quid facient? præterient jejunium, aut alia omittent sine fine? Potius horrent: opinionibus renuntiant, Deo sancte, & sine periculo frangendi legem inservire pergunt; quia sic edocentur à Magistra charitate: non ita regulariter faciunt tepidi, pigri, & ubi hæc non regnat.

1088 V. Magistra charitas docet recte judicare in quæstionibus de facili, & difficili. Plerumque in his quæstionibus moralibus à pluribus fit recursus, ad hoc: *est difficile*: & ex hoc pronunciatur statim, *impossibile*; & concluditur non cadere sub obligatione, & sic ubicumque sui amantibus, & delicatissimis occurrit aliquid difficile; jam honestatur per conceptum *impossibile*, & ita vivitur delicatè. Esset autem inquirendum: an præcepta solum imponantur illis, qui bonis habitibus assueti, faciliter ea adimplent? an vero etiam aliis, quibus ob habitus pravos difficilia redduntur? Nullus quidem Theologus hos secundos ab obligatione liberos pronunciabit. Illos quorū, Deus venter est, jube jejunare, jube à carnibus abstinere; quibus pecunia Deus, restituere, aut non thesaurizare, aut malos contractus non in re: terribilia injunges. Dic Proceribus, & etiam aliis plurimis, ut veritatem dicant, de proximis non detrahant, nihil mali faciant, etiam si contingat, ut à suo Principe, vel ab alio sint offendendi, aut in honorandi, vel à suo gradu deponendi, dic ergo hoc illis, dum adest periculum, ut illis contingat, vel de facto contingit. Quid definiet prudentia Carnis, & Sanguinis ex Cathedra pestilentiæ? esse Christum imitandum, esse omnino Divinę Voluntati humiliter conformandum? Nihil minus: Sed esse impossibilia, quin etiam imprudentissima, & absurda. At contra da hominem vere Deum amantem super omnia, quæ sursum sunt sapientem, quæ terrena, non quærentē. Quid faciet? *Omnia possunt in eo, qui me confortat.* Omnia amanti sunt possibilia, & plerumq; facilia per gratiam Domini Nostri Jesu Chri-

Christi. Sed qualiter omnia difficilia fiant suavia per charitatem; actum est supra à num. 398. & à num. 408.

1089 VI. Magistra charitas mediante dilectione affert, seu unit cum anima Trinitatem Sanctissimam, ut in illa maneat: *Siquis diligit me, sermonem meum servabit* (testatur Christus D. Joan. cap. 14.) *& Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Hęc est unio, quæ fit in missione invisibili divinarum personarum, in qua ipsæ personæ Spiritus Sancti, & Verbi per intimam, veram, & realem præsentiam speciali modo incipiant habitare in anima Deum charitatis amore diligente. Ut ex D. Thoma, & aliis SS. Patribus, & rationibus probant N. Salmantic. tract. de Trinitate dub. ult. Quid ergo faciet in anima, qui docet hominem scientiam? Fit ergo Dominus omnium se diligentium Magister; ita Deuter. 8. *Sicut erudit filium suum homo: Sic Dominus Deus tuus erudivit te, ut custodias mandata Dei tui, & ambules in viis ejus, & timeas eum.*

1090 Qui scientissimum Magistrum secum habet, & illum audit: qui peritissimum viæ ducem, & illum sequitur, facile vitat errores, etiam in densissima nocte. Quid ergo dicendum de habentibus Deum, ut Magistrum, & Ducem? E contrà de non habētibus, quales sunt, qui terrena sapiunt, illumque non quærunt; sed se ipsos, & proprium commodum, eos Deus excœcat permittendo se ipsos seduci, & etiam ab aliis subtrahendo lumen suum. Cæterum quærentes illum, & ejus gloriam, ad illum accedentes per dilectionem, & unionem charitatis instruit, & illuminat, juxta illud Psal. *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundendur.* Et D. Auguginus lib. 8. super Genes. cap. 12. to. 3. ait: *quod homo Deo sibi præsente illuminatur, absente autem continuo tenebratur; à quo non locorum intervallis, sed voluntatis à versione disceditur.*

1091 Quapropter Doctor Angelicus 2. 2. qu. 45. art. 3. docet: *in omnibus habentibus charitatem reperiri donum sapientiæ, quæ importat quandam rectitudinem judicii circa divina conspicienda, & consulenda. Et hanc sapientiam sortiuntur omnes, qui sunt in gratia gratum faciente; quantum est necessarium ad salutem, quia si natura non dèficit in necessariis, multo minus gratia. Unde dicitur 1. Ioann. 2. Unctio docet vos de omnibus.* Hæc D. Thomas: nomine autem Unctionis intelligitur charitas, ut ex ponit ipse S. Doctor opusc. 4. §. *Sicut ergo.*

1092 Qualiter autem Divinus Magister docet diligentes se, illosque ab erroribus custodiat, dicendum id facere, & per se immediate, & mediatè per Doctores, & alios: arcendi enim sunt de mentati sectarii, & vitandum instinctum internum in sensu hæretico. Per se itaque, & mediate docet diligentes se, custodiendo ab errore, non communiter nova revelando, aut scientiam infusam communicando, sed jam revelata opportune suggerendo, & inspirando, Sanctas cogitationes immittendo, malas, quibus falli possumus, avertendo, ac multo plura in nobis operando, quam nos observare, & scire possimus. Habet enim in manu sua voluntates nostras, facit nos legere libros, qui pro sint, non legere, qui non prossint, & avertit à capite cogitationes quærendi mala consilia, quæ eò tendunt, ut voluntates nostras, & cupiditates expleamus, non quomodo sanctiores simus. Has ergo cogitationes, quæ ex corde exeunt, charitate sua extinguit, qui custodit Israel.

1093 Habet etiam Deus in manu sua voluntates, & linguas Doctorum, per quos diligentes ipsum dirigit, quo illos oportet, facitque ab illis recte responsum dari, & si rectè non detur, ut in illo non quiescant, sed ab aliis veritatem quærant: Et sæpe quod ipsis casus per accidens videtur, præsentissima providentia disponit, ut aliquid legant, aut audiant, vel etiam ab aliquo ignorante illuminentur, & sic recta sapiant. Haç igitur providentia habet modos innumeros, quibus sedulò diligentes se, dirigat, custodiat, & ad recta perducat, ipsis etiam insciis, & nihil cogitantibus: de quibus Propheta canit: *Beatus, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum.*

Utinam hoc Opusculum cedat in utilitatem Ecclesiæ Sanctæ, & in morum sanam institutionem; & præcipue in laudem

Omnipotentis Dei, & Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, S. Joseph Patris, & Protectoris nostri, & Seraph. Matris N. S. Thæresiæ à Jesu &c.

Si quid autem doctrinæ S. Romanæ Ecclesiæ, & bonis moribus aliquid, vel aliquo modo dissonum, & minus consonum dixerimus, iterum, & iterum libenter retractamus.

Finis Operis.

INDEX

Rerum præcipuarum in hoc Opere contentarum; Ordine Alphabetico.

An

Charitas.

Confeſſarius.

D

Doctor.

Decreta.

Difficultas. Difficile.

Dubium.

E

Excuſatio.

Error.

Exempla.

F

Formido.

G

H

Hæreticus.

I

Ignorantia.

B. Joannes à Cruce.

D. Isidorus.

Intellectus.

Oratio.

P

Sancti Patres.

Peccatum.

Periculum.

Præceptum.

Errata, quæ in Collectione corrigi debent.

Pag.	Col.	Lin.	Errata	Correcta.	Pag.	Col.	Lin.	Errata	Correcta.
ij	2	44	poteſt	poſſe	xxxvj	1	34	formalo	fo mare
iv	2	37	diſtinctum	dictum	xxxvj	1	35	licitus	licitum
xiij	2	11	ac	at	xxxviij	2	24	&	vel
xviij	1	17	negantes, aſferentes	negantibus, aſſerentibus	xxxix	2	48	oppoſita	appoſita
xviij	2	37	habebunt	habebant	xlj	2	31	non	nos
xix	1	39	explicat	explicatur	xlvij	1	33	ipſo	ipſos
xxv	1	37	neceſſarius	neceſſaria	lxj	1	6	referunt	referuntur
					lxiij	1	28	deprobata	depravata

Errata in corpore corrigenda.

Pag.	Col.	Lin.	Errata	Correcta.	Pag.	Col.	Lin.	Errata	Correcta.
3	2	26	profectius	perfectius	147	1	27	percuius	percuſus
12	1	50	non licere	licere	159	1	42	nampre	namque
18	1	28	non eſſe	eſſe	161	1	1	implentes	impellentes
31	1	45	fœninæ	fœminæ	179	2	13	incredieile	incredibile
33	2	22	preſequitur	proſequitur	193	1	10	occurrrnt	occurrunt
40	2	14	cædie	cædis	209	2	36	aliquid	aliqua
47	1	24	virum	verum	217	1	29	timere	temere
51	2	14	in particulatr	in particulari	227	2	42	Theologi	Theologos
55	2	37	ſulutem	ſalutem	255	1	51	at ſi	ac ſi
57	2	35	opeperi	operi	256	1	33	fundamẽtormu	fundamentorum
64	1	9	opererur	operetur	256	1	44	princia	principia
69	1	37	Doctores	Doctoris	296	1	21	Extraordinariã	Extraordinarium
82	2	1	prudentior	prudentia	308	2	44	mentoria	meritoria
83	2	49	Confirmatur	Conformatur	312	1	9	commendam	commendatam
87	2	13	peſtingere	pertingere	317	1	36	detrimẽtornm	detrimentorum
88	2	29	pedetentium	pedetentim	320	2	17	ſubdito	ſubditum
104	2	3	Autes	Auctores	322	2	5	redditum	debitum
109	2	22	nos	non	325	1	32	confermet	conformet
110	2	28	parte	per te	330	1	33	eſt	ex
119	1	6	impugnabilem	inexpugnabilem	336	1	5	Puulus	Paulus
119	1	45	Auctoribus	Auctoritas	345	1	52	adelterio	adulterio
121	1	10	reorobari	reprobari	353	1	1	probabilitas	probabiliſtas
132	2	12	Probabiliſtarũ	Probabilioriſtarũ	358	2	22	in invia	in via
133	2	14	cederentur	rederentur	364	1	40	probabilitas	probabiliſtas
137	1	33	Vire	Verè	364	2	41	defferre	differre
145	2	23	delectatione	dilectione	364	1	52	deo	ideo
146	2	8	timere	temerè	372	2	29	habetes	hebetes

ROMÆ MDCCXI.

Typis Jo: Franciſci Chracas, propè S. MARCUM in viâ Curſus.

SUPERIORUM FACULTATE.